BIBLIOTECA NAZIO[NALE] VITT. EMANUELE ROMA
8
17 — E
3 4

Digitized by Google

I
8 17 E-3

SELECTA
MORALIA.

Digitized by Google

MONS REGALIS

Hoc eſt.

Ad Caſus Conſcientiæ, & Animarum Regimen

INSTITVTIO MORALIS THEOLOG.
verè Regia, & Vtiliſſima

AVTHORE

Admodum Reuerendo Patre

MAGISTRO VINCENTIO
DE MONTE REGALI

Ordinis Minorum S. Franciſci Conuentualium
Sacræ Theologiæ Doctore,

Et Romę apud Baſilicam Sanctorum duodecim Apoſtolorum Publico Caſuum Conſcientię Lectore.

Florentiæ Typis Amatoris Maſſæ, & Laurentij de Landis 1641.

Superiorum Permiſſu

S. Andrea della Valle.

8-17-E-3

Digitized by Google

SELECTA MORALIA

SIVE

De Animæ Morbis, & Medicamine Breuis, & Selecta Tractatio.

AVCTORE

Admodum Reuerendo Patre

MAGISTRO VINCENTIO DE MONTE REGALI

Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conuentualium Sacræ Theologiæ Doctore,

E Romæ apud Baſilicam Sanctorum duodecim Apoſtolorum Publico Caſuum Conſcientiæ Lectore.



Florentiæ, Typis nouis Amatoris Maſſæ, & Laurentij de Landis.

SVPERIORVM PERMISSV M.DC.LV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuerendiſsimo, ac Religioſiſsimo Patri

IOANNI BAPTISTAE BERARDICELLO LARINATI

Artium, & Sacræ Theologiæ Doctori Eximio

Vniuerſi Ordinis Minorum S. Franciſci Conuent. Miniſtro Generali digniſsimo

Domino, ac Patrono quàm maximè Colendo.

Guardianus, & Patres diſcreti domus Baſilicæ Sanctorum Duodecim Apoſtolorum de Vrbe

Cum omnimoda ſubiectione F.

REGALIS *hic* MONS, *quem in Moralis Theologiæ ſtadio extollere, ac in apertam lucem proferre ſtuduit, nunquàm ſatis laudatus, & recolendæ memoriæ Vir, P. Magiſter Vincentius de Monte Regali, Regia, cùm præcipuè, Virtutum tuarum, tùm Gentilicij Stemmatis, Corona inſigniri petit (Reuerendiſs. Pater;) Tua, enim, præclariſſima Virtus, Comitas, & benignitas ſic omnium ad ſe rapuit animos, vt vel mortuos ipſos reuocare videatur ad vitam, quo ſe tibi, ſuaque conſecrent omnia. Nil magis fuit in votis Operis huius aucto-*

ri, quàm vt Montem erigens, æternum poſteris relinqueret ſui amoris ergà te pignus, & obſeruantiæ monumentum. Id ergo à nobis expoſtulant defuncti iàm Montis Regalis manes, quod importuno præreptus fato, explere ipſe non potuit, vt poſthumum Opus in poſterum viuat, ac non ſine gloria poſt parentis Occaſum ſub REGALIS *tui Serti fæliciſſima protectione immortale perennet. Et quidem auſpicatiſſimi omnis loco ducimus, Montem hunc tui nominis titulo prænotari, & in publicam auram ſub aurea Coronæ tuæ vmbra prodire, nàm, Authore è viuis ſublato, inani* REGALIS *nominis imagine quaſi ammiſſa corona frui videretur, niſi fortunatiſſimo fænore (quod de Traiano Imper. in Panegir. iactatur) & pientiſſimum Parentem, & benigniſſimum protectorem, & Regali decus in te nanciſceretur. Denique, ſi (vt Ricardo de Sancto Victore de Arca Miſtica* 14. *arriſit) exultantes, vt Arietes, & animati montes (quod in Pſal.* 113. *legitur) ſunt Doctores, qui in ſapientiæ ſuæ exceſſibus puram, & ſimplicem Veritatem contemplantur. Quidni ad te liber iſte exultando confugeret, ad quem tot doctrinarum Proceres, velut ad Tutelare numen confugiunt? Cæterùm hic aptiùs* MONS *(Reuerendiſs. Pater) à Regia tua benignitate expectat foueri, quem multiplici doctiſſimorum Scriptorum eruditione, ac Sanctorum Patrum pietate, & doctrina;* REGALIS *inſcriptio iure meritò cohoneſtat. Ita ſperamus, ita obnixè precamur. Vale.*

AD

AD LECTOREM PRO AVTHORE
Præfatio.

SVBLIMIVS ad ſydera tolleret nobile caput REGALIS hic MONS (beneuole lector) niſi, quæ ſceptra ligonibus æquat, inuida mors, importuno fato eripuiſſet Authorem. Siquidem proximorum vtilitati, & animarum profectui conſulens Inſtitutionem Theologicam Moralem abſolutiſſimam, & omnes abundè complectens materias, quæ varietate, eruditione, doctrina, facilitate tibi non minus iucunda, quam vtilis euaſiſset. Verum, cum adhuc primus hic totius operis tomus cuderetur, Romæ extremum obijt diem, quo factum eſt, vt & totum opus prodire non poſſit, & primum hoc Volumen non ita abſolutum, & elegans vt optabat. Tuæ erunt partes, dum legeris, linguam moderare, ne, quę te quoque manet, & quæ ſurda eſt nec cuiuſquam audit vota, mortem laceſſas, & nihil, niſi aſſiduum Authoris ſtudium, ſummam eruditionem, multiplicem lectionem, Sapientiam, Pietatem, optimamq; erga Dei optimi maximi Gloriam, & te tuamq; ſalutem, voluntatem celebres, & commendes. Hoc pium, hoc chriſtianum, hoc honeſtum decet lectorem, in eum præſertim virum, qui viuus proximorum ſaluti anxiè ſemper incubuit, & de qua mortuus etiam eſt ſollicitus. Viue tu diu felix, & vale, grataſq; ad Deum preces pro eius anima funde.

Index

INDEX
CAPITVM.

Tractatus Primus.

De Peccato in ſe. Cap. I. pag. 1
De diuiſione. Cap. II. p. 5
De diuiſione, alio modo procedendo. p. 7
De ſubiecto peccati. Cap. III. pag. 11
De cauſis peccati. Cap. IV. pag. 19
De effectibus peccati. Cap. V. pag. 54
De peccato Actuali, quod eſt duplex mortale, & veniale. Cap. VI. p. 55
De Regulis Humanorum Actuum. Cap. VII. p. 75
De Confeſſario, & Pænitente. pag. 89
De Medico. p. 89
De Iudice. p. 90
De Aduocato. p. 90
De Subdito ergà Superiorem. pag. 91
De modo tollendi peccatū. Cap. VIII. p. 92

Tractatus Secundus.

De neceſſitate Præceptorum Decalogi. Cap. I. p. 94
De numero Præceptorum, & de numeri ſufficientia. Cap. II. pag. 99
De Diſtinctione præceptorum. Cap. III. p. 104
De præceptis Veteris legis. pag. 105
De diſpenſatione Præceptorum Decalogi. Cap. IV. p. 107
De fine Præcepti. Cap. V. p. 114
De cauſa excuſante ab impletione, & tranſgreſſione Præcepti. Cap. VI. p. 127

Tractatus Tertius.

De primi Decalogi Præcepti intelligentia. Cap. I. p. 134
De Adoratione. Cap. II. p. 139

Tractatus Quartus.

De Secundi Decalogi Præcepti intel-

Digitized by Google

intelligentia. Cap.I.*pag.* 152
De his, quæ ſpectant ad quidditatem, & eſſe iuramenti. Cap.II. *pag.* 158
De Vſu Iuramenti. Cap. III. *pag.* 166
De Iuramẽti obligatione. C.IV. *pag.* 186
De Ablatione obligationis Iuramenti. Cap.V. *pag.* 197

Tractatus Quartus.

De Tertij Decalogi Præcepti Intelligentia. Cap.j. *pag.* 207
De ordine, & connexione, ſeu cõtinuatione huius tertij præcepti ad duo alia primæ tabulæ. Cap. ij. *pag.* 211
De mutatione Sabbati in diem Dominicum. Cap.iij. *p.* 214
De his, quæ hoc tertio Decalogi præcepto facienda fidelibus imponantur, aut prohibeantur. Cap.jv. *pag.* 218
Cuius ſit inſtituere dies feſtos. Cap. v. *pag.* 240
De his, qui obligantur ad feſtorum obſeruationem, & de pænis non obſeruantium dies feſtos. Cap.vj. *pag.* 241
De cauſa excuſante à peccato facientes opera prohibita in die feſto. Cap.vij. *p.* 246

Tractatus Quintus.

De Quarti Præcepti Intelligẽtia, & quid eodem Præcepto præcipiatur. cap. j. *p.* 349
Parentum nomine quinam intelligi debeant. cap.ij. *p.* 252
De his, in quibus Parentes, præſertim carnales, honorandi ſunt. cap iij. *p.* 253
De exemptione filij ab obligatione huius præcepti. cap.jv. *pag.* 2 6
De his, quæ è contrà debent Parentes ergà filios. cap.v. *pag.* 258
De Peccatis, quæ cõtrà hoc præceptum committuntur. c. vj. *pag.* 260
De Pænis, quibus peccata filiorum in Parentes puniuntur, & de præmio honorantium Parentes. cap.vij. *p.* 267

Tractatus Sextus.

De huius Quinti Præcepti Intelligentia. cap.j. *pag.* 270
De his, quæ hoc Quinto Decalogi præcepto prohibentur. cap. ij. *pag.* 273
De occiſione licita, & quæ hoc præcepto non prohibetur. cap. iij. *pag.* 274
De cauſis, ſeù occaſionibus, aut

mo-

motiuis Homicidij. cap. iv. *pag.* 288
De Pœnis Homicidæ. cap. v. *pag.* 290

Tractatus Septimus.

De intelligentia Sexti, & Noni Decalogi Præcepti, & quid in Sacra Scriptura nomine Mæchiæ ſiue fornicationis intelligatur quidue in his preceptis prohibeatur. cap. j. *pag.* 291
De ſpeciebus luxuriæ. cap. ij. *pag.* 295
De Oſculis, Tactibus, & Amplexibus impudicis, c. iij. *p.* 298
De Pollutione. c. jv. *pag.* 300
De delectatione Moroſa. cap. v. *pag.* 305
De ornatu Mulierum. cap. vj. *pag.* 311
De Virginitate. cap. vij. *pag.* 312

Tractatus Octauus.

De intelligentia huius Septimi Decalogi Præcepti, Quiduæ per ipſum prohibeatur. cap. j. *pag.* 315
De modis, quibus fit contra hoc Præceptum. cap. ij. *pag.* 317
De furto. cap. iij. *pag.* 320
De furtis particulariũ perſonarum, videlicet, Vxorum, Filiorumfamilias, Famulorum, &c. cap. iv. *pag.* 331
De Iure, Dominio, & Poſſeſſione, prout ſpectare poſſunt ad hoc Decalogi Præceptum, cap. v. *pag.* 337
De Occupatione primo, dominium acquirendi, modo cap. vj. *pag.* 342
De Venatione, Aucupio, & Piſcatione. cap. vij. *pag.* 352
De acquirendo Dominio per Bellum. cap. viij. *pag.* 356

Tractatus Nonus.

De intelligentia huius Octaui Decalogi præcepti Quidue per ipſum prohibeatur. cap. j. *pag.* 363
De his, quibus læditur è proximus extrà iudiciũ, quibuſue tranſgreſſio huius octaui Præcepti committitur. cap. ij. *pag.* 365

Appendix pro Nono, & X. Decalogi Præcepto.

De intelligentia horum Præceptorum, quidue per ea prohibeatur. Cap. Vnicum. *pag.* 369

Fa:

Facultas Reuerendiſſimi Patris Miniſtri Generalis totius Ordinis.

VT opus Inſtitutionis Theologicæ Moralis Patris Magiſtri Vincentij de Monte Regali in hac noſtra Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Vrbe Caſuum Conſcientiæ publici lectoris, de ſpeciali mandato noſtro à Patre Magiſtro Stephano de Luchis Venuſino in Romana Vniuerſitate Publico Theologo reuiſum, & ab eo approbatum Typis dari poſſit, ſeruatis ſeruandis facultatem concedimus. In fidem, &c. Datum Romæ 16. Auguſti 1635.

Frater Ioannes Baptiſta Miniſter Generalis.

Locus Sigilli.

Frater Bonauentura de Velitris
Secret. & Aſſiſtens Ordinis.

Digitized by Google

Adm. R. P. Prior Carmelitarum Diſcalceatorum videat hoc opus, & referat ſi quod contineatur pietati Chriſtianæ, boniſuè moribus aduerſum. Dat.die 19.Iulij 1637.

Vincentius Rabatta Vic.Gen.Flor.

Perlegi opus hoc Moralis Inſtitutionis Theologicæ de mandato Perilluſtr. & Reuerendiſs. DD. Vincentij Rabatta Vicarij Generalis Florentiæ, & in eo nihil Fidei Catholicæ, aut moribus contrarium reperi. Dat. in noſtro Conuentu S. Pauli Florentiæ pridie Kal. Auguſti 1637.

Fr. Io. Auguſtinus à S. Angelo Prior Carmelitarum Diſcalceatorum Florentiæ.

Attenta præmiſſa relatione imprimatur liber ſeruatis ſeruan. Dat. die 19. Auguſti 1637.

Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Adm. Reu. P. Magiſter Io: Paulus Bimbaccius Guardianus S. Crucis Florentiæ, & Conſultor S. Officij perlegat hoc opus, & referat, an in eo ſit aliquid quod æditioni contradicat. Die 20. Auguſti 1637.

Fr. Ioannes Inquiſitor Gen. Florentiæ.

Totum hoc opus diligenter perlegi, & accuratè conſideraui, nec quidquam in eo reperi, quod Fidei, aut bonis moribus aduerſetur; Quare illud cenſeo dignum, vt publica luce fruatur. In fid. &c. Dat. in Conuentu noſtro S. Crucis die 6. Octob. 1637.

Fr. Io. Paulus Bimbaccius Ord. Min. S. Franciſci Con. Guardianus S. Crucis Flor.

IMPRIMATVR. Florentiæ 20. Maij 1640.

Fr. Io. Inquiſitor Gen. Flor.

Alexander Victorius Sereniſs. M. Ducis Aud. & Senator

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Ordinis Minorum Sancti Franciſci Conuentualium Sac. Theologiæ Doctoris.

Inſtitutionis Theologicæ Moralis Tractatus Primus,

De Morbo, ſeu Infirmitate Animæ ſ. de Peccato.

Tractatum de Peccato diuidemus in ſeptem capita. In primo videbimus de ipſo peccato quantum ad quidditatem, videlicet quid ſit; In ſecundo videbimus quotuplex ſit, ſeu de diuiſione. In III. videbimus de ſubiecto peccati. In IV. de cauſis. In V. de effectibus. In VI. de peccato mortali, & veniali. In VII. de modo delendi peccatum.

DE Peccato in ſe. Cap. I.

NOTANDVM, quod variæ aſſignantur peccati diffinitiones, ſeu potius deſcriptiones. D. Amb. lib. de Paradiſo ait Quid eſt peccatum, niſi legis Diuinæ, præuaricatio, & cæleſtium inobedientia præceptorum? D. Aug. Peccatum eſt appetere, quæ Chriſtus contempſit, vel fugere, quæ Chriſtus ſubſtinuit. Idem lib. de [illegible] animabus, Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod iuſtitia vetat. Iuſtitia ſumitur in præſenti pro iuſtitia generali, quæ idem eſt, quod omnis virtus, ſecundum quod importat rectitudinem vo-

Digitized by Google

[illegible]tatis, quæ attenditur ſecundum omnem virtutem; quæ iuſtitia conſiſtit in quadam rectitudine, qua redditur vnicuiq; quod ſuum eſt; Superioribus puta. Deo, & Prælatis, obedientia, & veneratio; æqualibus, propinquis, & extraneis, beneuolentia, & ſubuentio; inferioribus, ſcilicet ſubditis, & corpori ſuo prouidentia, & coertio. Id. D. Aug. de lib. arb. Peccatum eſt Affectio mala voluntaria. idem ibid. peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum, indebita. D. Auguſt. idem. Peccatum eſt factum, dictum, vel concupitum, contra legem Dei æternam.

Not. quod cum dicitur factum, vel dictum, vel concupitum tangit inſtrumenta, quibus exercentur actus peccati, quæ ſunt cor, lingua, manus; perpetratur enim peccatum cogitatione, aut verbo, aut opere. Vnde nomine facti, dicti, vel concupiti. Intelligit D. Auguſt. actum, quo aliquid concupiſcimus; dicimus, aut facimus; ita vt peccatum ſit actus quem, aut concupiſcendo, aut dicendo, aut faciendo, aliquid, contra rectam rationem elicimus, & ita, nomine facti, dicti, vel concupiti, complexus eſt D. Aug. tria peccatorum genera, nimirum peccata cordis, oris, & operis; vnde dicere poſſumus; peccatum eſt actus contra rectam rationem admiſſus. hinc.

Not. 2. Quod Appellatione legis Dei æternæ, vel Diuinæ, vel mandati cæleſtis intelligi poteſt recta ratio; cum autem ratio Diuina ſit ſecundum ſe [illegible] recta, ſequitur vt quidquid eſt rectæ rationi contrarium ſit Diuinæ rationi abſonum, & [illegible]. Poſſumus etiam [illegible] legem Diuinam intelligere: hoc eſt rectā rationem Diuinam cum D. Aug., & per legem æternam, vel cæleſte mandatum accipiat propriè Diuinum præceptum, quod eſt à Deo conſtitutum, nam omne peccatum ſiuè ſit contra ius, & legem naturalem, ſiuè contra ius humanum eſt contra legem Dei, quia Deus iubet legi naturali, & humanæ [illegible] à [illegible] naturali, vel humano diſſidere, à Dei quoque lege, & ordine [illegible], & diſcrepat.

[illegible]

na; ſuprema eſt lux æterna; vnde fit, vt ſicut actus voluntarius hominis procedens in debitum finem ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ rectus & bonus ſit; ita è contra, actus voluntarius, & humanus ab hac rectitudine deficiens, qui ſit homini impedimento, quo minus ad vltimum finem peruenire valeat, peccatum appellatur; regula eſt principium quoddam, cui Agens ſuum effectum, vel operationem cõformare intendit. Per regulam Diuinam, intelligitur tàm præceptum ſupernaturale, vt præceptum de fide habenda, de ſuſcipiendis Sacramentis, de Adoratione &c. quam naturale, vt Diuina præcepta Decalogi, & humana, vt præcepta Prælatorum, & Superiorum, omnia namq; Diuina dici poſſunt, quatenus à Deo ſunt ſiuè mediatè, ſiuè immediatè. Actio ergo contra iſtas regulas, dicitur peccatum. Verum not, quod ad hoc, vt actio contra iſtam regulam ſit peccatum, requiritur, quod ſit humana, voluntaria, libera; vt autem aliquid ſit voluntarium, tria requiruntur neceſſariò. Primum vt procedat à voluntate, & hoc dupliciter vel quia in voluntate eſt velle, & nolle: vel quia à voluntate imperatur, quia omnis actio etiam exterior, quæ nobis volentibus ſit, voluntaria, dicitur, & ita peccatum. Secundum eſt, vt ex deliberatione procedat liberum, ideſt vt in noſtra ſit poteſtate vt ſit, vel non ſit. Tertium eſt, vt homo ſciat, vel ſcire teneatur ſe agere contra regulam.

Not. 3. Quod deffinitio illa D. Aug. peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum; explicat totam rationem peccati, & ex ea patet, quod tàm actus exterior, quàm interior eſt peccatum. Si quidem in actu humano, qui peccatum eſt, duo ſunt; vnum quod eſt quaſi materiale, & hoc expreſſit per ly factum, dictum, concupitum. Alterum quod eſt, quaſi formale, vt hoc per ly, contra legem æternam, &c. Vnde hæc deffinitio eſt perfecta, conſtat namq; ex genere, & differentia, & explicat rationem formalem, & materialem peccati, & comprehendit omne genus peccati, & commiſſionis, & ommiſſionis, & negligentiæ, quia affirmatio, & negatio ad idem genus reducuntur; & ideò pro eodem accipiendum eſt dictum, & non dictum, factum, & non factum &c. quoniam qui non facit, quod facere debet; videtur facere contra ea, quæ facere tenetur. Vnde, poſſumus dicere cum Scoto d. 34. & ſeqq. & elicitur ex dictis, quod peccatũ formaliter eſt priuatio boni; probatur, quia Agẽs inferior tenetur in agendo conformare ſe Agenti ſuperiori, quia ſi in poteſtate eius ſit ſe conformare illi, & non conformare; non conformare eſt pec. ideò loquendo de pec. ſiuè contra legem Diuinam, ſiuè contra legem humanam; aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordare legi Superioris, Agentis, & diſcordauit; iſte igitur actus, qui eſt in

Digitized by Google

luntatis, quæ attenditur ſecundum omnem virtutem; quæ iuſtitia conſiſtit in quadam rectitudine, qua redditur vnicuiq; quod ſuum eſt; Superioribus puta. Deo, & Prælatis, obedientia, & veneratio; æqualibus, propinquis, & extraneis, beneuolentia, & ſubuentio; inferioribus, ſcilicet ſubditis, & corpori ſuo prouidentia, & coertio. Id. D. Aug. de lib. arb. Peccatum eſt Affectio mala voluntaria. idem ibid. peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum, indebita. D. Auguſt. idem. Peccatum eſt factum, dictum, vel concupitum, contra legem Dei æternam.

Not. quod cum dicitur factum, vel dictum, vel concupitum tangit inſtrumenta, quibus exercetur actus peccati, quæ ſunt cor, lingua, manus; perpetratur enim peccatum, cogitatione, aut verbo, aut opere. Vnde nomine facti, dicti, vel concupiti. Intelligit D. Auguſt. actum, quo aliquid concupiſcimus; dicimus, aut facimus; ita vt peccatum ſit actus quem, aut concupiſcendo, aut dicendo, aut faciendo, aliquid, contra rectam rationem elicimus. & ita, nomine facti, dicti, vel concupiti, complexus eſt D. Aug. tria peccatorum genera, nimirum peccata cordis, oris, & operis; vnde dicere poſſumus; peccatum eſt actus contra rectam rationem admiſſus. hinc.

Not. 2. Quod Appellatione legis Dei æternæ, vel Diuinæ, vel mandati cæleſtis intelligi poteſt recta ratio; cum autem ratio Diuina ſit ſecundum ſuam naturam recta, ſequitur vt quidquid eſt rectæ rationi contrarium ſit Diuinæ rationi abſonum, & inimicum. Poſſumus etiam appellatione cæleſtis mandati legem Diuinam intelligere: hoc eſt rectā rationem Diuinam cum D. Ambr., & per legem æternam, vel cæleſte mandatum accipiat propriè Diuinum præceptum, quod eſt à Deo conſtitutum, nam omne peccatum ſiuè ſit contra ius, & legem naturalem, ſiuè contra ius humanum eſt contra legem Dei, quia Deus iubet legi naturali, & humanæ parere, & proinde, quidquid à iure naturali, vel humano diſſidet, a Dei quoque lege, & ordine diſſentit, & diſcrepat.

Hinc cum dicit, contra legem Dei, tangit defectum à regula dirigēte, lex enim Dei primò, & principaliter ordinat hominem ad finem, & conſequenter facit hominem bene ſe habere in iјs, quæ ſunt ad finem, & ideò, cum dicit. contra legem Dei, tangit auerſionem à fine, & omnes alias inordinationes. Ex his, vt tactum eſt, elicitur, quod peccatum propriè conſiſtit in actu, qui agitur propter aliquem finem, cum non habet debitum ordinem ad illum finem. Debitus ordo ad finem menſuratur, ſecundum aliquā regulam, quæ regula duplex eſt, proxima vna, & ſuprema altera; proxima in iјs, quæ per voluntatem aguntur eſt ratio humana; Su-

na; ſuprema eſt lux æterna; vnde fit, vt ſicut actus voluntarius hominis procedens in debitum finem ſecundum ordinem rationis, & legis æternæ rectus & bonus ſit; ita è contra, actus voluntarius, & humanus ab hac rectitudine deficiens, qui ſit homini impedimento, quo minus ad vltimum finem peruenire valeat, peccatum appellatur; regula eſt principium quoddam, cui Agens ſuum effectum, vel operationem cõformare intendit. Per regulam Diuinam, intelligitur tàm præceptum ſupernaturale, vt præceptum de fide habenda, de ſuſcipiendis Sacramentis, de Adoratione &c. quam naturale, vt Diuina præcepta Decalogi, & humana; vt præcepta Prælatorum, & Superiorum, omnia namq; Diuina dici poſſunt, quatenus à Deo ſunt ſiuè mediatè, ſiuè immediatè. Actio ergo contra iſtas regulas, dicitur peccatum. Verum not. quod ad hoc, vt actio contra iſtam regulam ſit peccatum, requiritur, quod ſit humana, voluntaria, libera; vt autem aliquid ſit voluntarium, tria requiruntur neceſſariò. Primum vt procedat à voluntate, & hoc dupliciter vel quia in voluntate eſt velle, & nolle: vel quia à voluntate imperatur, quia omnis actio etiam exterior, quæ nobis volentibus fit, voluntaria, dicitur, & ita peccatum. Secundum eſt, vt ex deliberatione procedat liberum, ideſt vt in noſtra ſit poteſtate vt ſit, vel non ſit. Tertium eſt, vt homo ſciat, vel ſcire teneatur ſe agere contra regulam.

Not. 3. Quod deffinitio illa D. Aug. peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum; explicat totam rationem peccati, & ex ea patet, quod tàm actus exterior, quàm interior eſt peccatum. Si quidem in actu humano, qui peccatum eſt, duo ſunt; vnum quod eſt quaſi materiale, & hoc expreſſit per ly factum, dictum, concupitum. Alterum quod eſt, quaſi formale, vt hoc per ly, contra legem æternam, &c. Vnde hæc deffinitio eſt perfecta, conſtat namq; ex genere, & differentia, & explicat rationem formalem, & materialem peccati, & comprehendit omne genus peccati, & commiſſionis, & ommiſſionis, & negligentiæ, quia affirmatio, & negatio ad idem genus reducuntur; & ideò pro eodem accipiendum eſt dictum, & non dictum; factum, & non factum &c. quoniam qui non facit, quod facere debet; videtur facere contra ea, quæ facere tenetur. Vnde, poſſumus dicere cum Scoto d. 34. & ſeqq. & elicitur ex dictis, quod peccatũ formaliter eſt priuatio boni; probatur, quia Agẽs inferior tenetur in agendo conformare ſe Agenti ſuperiori, quia ſi in poteſtate eius ſit ſe conformare illi, & non conformare; non conformare eſt pec. ideò loquendo de pec. ſiuè contra legem Diuinam, ſiuè contra legem humanam; aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordare legi Superioris, Agentis, & diſcordauit; iſte igitur actus, qui eſt in

A 2 pote-

Digitized by Google

ſtate diſcordantis, & per hoc voluntarius eſt formaliter peccatum; quia ſi illo eſſet concors regulæ ſuperiori non eſſet peccatum, ergo in illo actu præciſa ratio peccati eſt priuatio illius concordiæ, eſt ergo peccatum priuatio rectitudinis in actu ſecundo, non naturalis, nec cuiuſcumque habitualis, non rectitudinis, quæ ineſt, quia tunc duo oppoſita ſimul eſſent: nec quæ prius infuit illi actui, quia actus non remanet. vt poſſit allici ab oppoſito in oppoſitum, ſed rectitudinis, quæ deberet in eſſe; voluntas enim libera debitrix eſt, vt omnem actum ſuum eliciat conformiter regulæ ſuperiori; ſcilicet ſecundum Diuinum præceptum, & ideò quādo agit diſcorditer ab illa regula caret iuſtitia actuali debita, hoc eſt iuſtitia, quæ deberet ineſſe illi actui, & non ineſt, & hæc carentia in quantum eſt actus voluntatis deficientis eſt formaliter peccatum actuale. patet ex dictis circa deffinitiones peccati SS. Auguſt. & Amb.

Not. Quod aliqid poteſt eſse voluntarium, ſeù volitum dupliciter, vno modo in ſe; alio modo in ſua cauſa. Ad hoc, vt aliquid dicatur volitun in cauſa: duo requiruntur. Vnum quod ſit præuiſum in illa cauſa. Alterum, vt quis poſſit, & teneatur illud vitare. item: Aliquid poteſt eligi dupliciter; vno modo formaliter ſeu explicite. Alio modo virtualiter, ſeu implicitè, ex. g. formaliter, & ſecundum ſe vult quis omittere ieiunium tempore Quadrageſimæ, qui explicitè deliberat non ieiunare; ille verò vult formaliter in ſua cauſa, qui vidit, ex aliquo imminere ſibi probabiliter periculum non tamen euitat illud; ille vult verbi gratia, virtualiter in ſua cauſa, qui potuit, & debuit præuidere periculum, cui ſe expoſuit; non tamen præuidit ex negligentia, vel, quia noluit præuidere. vt puta, qui tota nocte præcedente feſtum luſit, & tempore audiendi Miſſam dormiuit.

Not. 2. Pro intelligentia terminorum, quod illa Actio dicitur humana, quæ habet originem ex libera hominis voluntate; hæc autem actio gignitur ex rationis deliberatione, ſeù mentis conſultatione. ita quòd Actio humana idem prorſus eſt, quod Actio hominis deliberata, ſeù Actio, quæ promanat ex ratione deliberante, & ita dicitur, quod Actio hominis, vt homo eſt, hoc eſt, quæ conuenit homini, ex toto, non ex parte, eſt humana, & libera; dicitur ergo Actio humana illa, cuius homo dominus eſt. Voluntarium dicitur id, quod nec vi, nec ignorantia geritur. Voluntarium dicitur de re obiecta, & de actu, & de effectu ex actu proficiſcenti. Liberum, ſeù libertas capitur quatuor modis. Primo eſt libertas, qua quis eſt liber a peccato. Secundo, qua quis liber eſt à miſeria, & pæna. Tertio, qua quis liber eſt á violētia. Quarto, qua quis liber eſt à neceſſitate. De libertate primo modo intelligitur Ap. 2. Cor. 3. Vbi

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus Domini,ibi libertas.De libertate ſecũdo modo intelligitur illud ad Rom. 8. Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Liberum à violentia eſt quidquid in agendo vim extrinſecus illatam non patitur.Libertas quarto modo eſt cum non ex neceſſitate naturæ operatur quis, ſed ex rationis, & voluntatis facultate ſic agit, quod poteſt non agere.

Not. Quod ſecundum Scotum Quolib. xvj. art. 2. & 3. in naturis intellectualibus idem eſt liberum, quod voluntarium, ita vt libere fieri dicatur, quod voluntariè, cum cognitione intellectus efficitur. Alij ponunt diſcrimen, quod non placet Scoto.

Cum ergo quæritur, Quid eſt peccatum? ℞. quod ſecundum quatruplex genus cauſarum,quatruplex aſſignatur peccati diffinitio, ſeù deſcriptio; ſecundum genus cauſæ efficientis deffinitur ſic à D. Aug. peccatum, eſt voluntas conſequendi, vel retinendi, quod iuſtitia vetat. Secundo, Secundum genus cauſæ materialis, deffinitur ſic ab eodem lib. 22. contra Fauſtum. Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei. Tertio Secundum cauſam formalem deffinitur ſic à D. Ambr. Peccatum eſt præuaricatio legis Diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum; vel ſic ſecundum D. Auguſt. Peccatum eſt priuatio ſpeciei, modi, & ordinis. Quarto. Secundum cauſam finalem deffinitur ſic à D.Auguſt.de lib.arb.Peccatum eſt Auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum, indebita. Vel ſic Peccatum eſt, ſpreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere.

De diuiſione. Cap. II.

NOT. Quod Magiſter ſeptem innuit peccati diuiſiones, ſecundum quod ad ſeptem poteſt comparari.Primo peccatum comparatur ad cauſam, à qua habet ortum. Secundo ad pœnam ad quã terminatur 3.ad motiuum,& hoc dupliciter,vel ad bonum aſſequendum,vel ad malum fugiendum. 4. ad actum ſubſtratum. 5. ad perſonam,quam offendit. Sexto ad mandatum, cui opponitur. Septimo ad vitia, quæ ex ipſo oriuntur. Primo modo, ideſt ſecundum primam comparationem, diuiditur in Originale, & Actuale. Secundo modo in Mortale, & Veniale. Tertio modo in peccatum ex amore, & timore. Quarto modo in peccatum cordis, ſeù cogitationis, oris, ſeù ſermonis, & operis.ſecundum triplicem potentiam, ſcilicet affectiuam, inter-

interpretatiuam; & operatiuam; cogitatio enim pro affectione accipitur. Quinto modo diuiditur in peccatum in Deum, in ſe, & in proximũ. Sexto modo in delictũ ommiſsũ, & commiſſum, ſeù in peccatũ cõmiſſionis, & omiſſionis, quia dicitur delictum, quatenus eſt contra præceptũ affirmatiuum, & ſic eſt pec. omiſſionis. Dicitur commiſſum, quatenus eſt contra præceptum negatiuum, & ſic eſt peccatum commiſſionis. exemplifica, vt ſcis. Septimo modo diuiditur in 7. differentias peccatorum capitalium, & ſi aliquæ aliæ diuiſiones reperiantur, ad aliquam harũ reducuntur. Vnde diuiſio illa Ioannis, in ſuperbiam vitæ, in concupiſcentiam oculorum, & concupiſcentiam carnis. Reducitur ad illam, quæ eſt ex parte motiui, & diuiſio illa Iſidori in peccatum ex malitia, ex infirmitate, & ex ignorantia. Et illa Gregorij in peccata carnalia, & ſpiritualia reducitur ad illam, qua diuiditur pec. per comparationem ad actus ſubſtratos.

Not. Quod ſuperbia dicitur dupliciter. Vno modo prout omnis contemptus, & erectio mentis, nomine ſuperbiæ continetur. Alio modo dicitur ſuperbia Appetitus dignitatis, & honoris. Primo modo. Superbia eſt initium omnis peccati, quia in omni peccato homo ſuperbit, & ſe erigit contra Deum. Secundo modo eſt ſpeciale peccatum diſtinctum ab alijs.

Not. 2. Quod capitale vitium dupliciter poteſt dici, aut quia præcipuum, & magnum eſt in genere vitioſo; aut quia caput, & principium aliorum. Primo modo accipitur in Gloſ. prou. vj. vbi vocantur illa vitia capitalia, quia magna ſunt, & homo dignus eſt magna pæna. Secundo modo hoc dicitur Vitium capitale, quod eſt ratio principiandi multa peccata. Vndè Gregorius cuicumque capitali peccato aſſignat filias. Peccatum enim hoc ipſo ponitur caput, & principium aliorum, quo eius motiuum adeò cadit in animæ appetitum, quod poteſt pręſtare fomentum, & motum, adeò vt ex ipſo conſurgat quoddam peccati corpus quodammodo metaphoricum continens varietatem ramorum & membrorum, filiorum, & filiarum. Vnde eſt, quod infidelitas, quæ opponitur Fidei, non ponitur eſſe capitale peccatum, quia error primo non cadit in animæ appetitum, ſimiliter nec prodigalitas, quæ eſt oppoſita auaritiæ. Inanis gloria vno modo eſt capitale vitium; alio modo eſt filia, prout, namq; dicit appetitum dignitatis, & excellentiæ, eſt idem cum Superbia, & eſt capitale vitium, quia animus directè mouetur ad excellentiam, & dignitatem appetendam: prout verò dicit appetitum laudis, ſic eſt filia, quia non deſideratur laus humana, niſi propter excellentiam. Vnde idem ſunt iſta tria cænodoxia, inanis gloria, ſuperbia.

Not.

Not. 3. Quod differt initiũ, & radix. Initium .n. propriè dicit id, à quo incipit motus, radix verò dicit illud, vnde trahitur fomentum, & nutrimentum, & ideò cum peccatum trahat fomentum ex parte appetibilis, & dicat receſſum à Deo, hinc eſt, quòd initiũ attenditur ex parte auerſionis, & radix ex parte conuerſionis, propriè loquendo, & quoniam auerſio eſt radix, ratione contemptus, & conuerſio, ratione cupiditatis, ſiuè libidinis, hinc eſt, quod ſuperbia, propriè loquendo dicitur initium, & cupiditas dicitur radix, & quia in omni peccato eſt auerſio, & conuerſio, hinc eſt quod ſuperbia dicitur initium omnium peccatorum, & cupiditas radix omnium malorum. Aliquando accipitur nomen initij, pro nomine radicis, & è cõtra; Capitale vitium differt à radice in hoc, quod ſicut caput dicit principale membrum, & membrum completum, & quod eſt principium aliorum quantum ad motum, & ſenſum; Sic capitale vitium nominat peccatum completum, à quo omnia alia vitia, & peccata oriuntur. Radix verò dicit aliquid ſub maiori incompletione, & ideò propriè loquendo radix non nominat genus peccati determinatum, ſed pronitatem libidinis, quæ concurrit ad omne peccatum.

Not. Quod radix accipitur tripliciter, ſcilicet generaliſſimè, generaliter, & minus generaliter. Generaliſſimè cum dicitur libido, ſiuè cupiditas eſt radix omniũ malorum. Generaliter cum dicitur, quod duplex eſt radix; amor male accendens, & timor male humilians; amor enim accipitur reſpectu boni, timor reſpectu mali; Minus generaliter, cum dicitur, quod triplex eſt radix, ſ. cõcupiſcentia carnis, cõcupiſcentia oculórũ, & ſuperbia vitæ. Similiter initium peccati dicitur tripliciter; vno modo, vt dicitur receſſus liberi arbitrij à lege maieſtatis. Secundo modo à lege veritatis. Tertio modo à lege bonitatis. Primo modo dicitur ſuperbia, ſiuè contemptus. Secundo modo error. Tertio modo inſipientia.

De diuiſione, alio modo procedendo.

Vel dicamus, quod ſex modis poſſunt diſtingui peccata ad inuicem. Primo ex parte reatus. Secundo ex parte gradus. Tertio ex parte reſpectus. Quarto ex parte nominis. Quinto ex parte originis. Sexto ex parte radicis. Primo modo, ſcilicet ex parte reatus, peccatum eſt duplex, aut eſt Originale, aut Actuale. Actuale duplex mortale, & veniale. Hæc diuiſio eſt Analogi in ſua analogata. Analogum enim per prius, ideſt perfectius dicitur de vno, quam de alio, ſic peccatum prius dicitur de pec. mor. quam de veniali; vnde ad rationẽ peccati requiritur,

quod

Digitized by Google

quod ſit voluntarium perfectè.

Not. Quod ly reatus ſumitur dupliciter, ſcilicet propriè, & impropriè. Propriè nihil aliud eſt quam obligatio ad pænam. Pæna eſt duplex ſcilicet damni, & ſenſus, æterna, & temporalis. Pæna damni eſt priuatio viſionis Diuinæ eſſentiæ; pæna ſenſus eſt pæna ignis. Pec. mor. obligat ad pænã damni,& ſenſus æternã; Pec. veniale ad pænã temporalem.

Pec. originale, ſiuè Actuale obligat ad pænam damni tantum non autem ſenſus. Impropriè reatus nihil aliud eſt quàm culpa.

Pec. Actuale, ſiuè mort. ſiuè veniale aliquando tranſit actu, ſed remanet reatu; & hoc dupliciter, vel cum ceſſat peccator ab actu peccati, puta perpetrato homicidio, vel &c. ceſſat peccatum, quantum ad ſuam eſſentiam, ideſt quantum ad actum illum inordinatum, ſed remanet reatu, in ſuo effectu, ideſt in obligatione ad pænam, vel cum per pænitentiam habet quis remiſſionem peccatorum, quo ad debitum pænę ęternæ, ſed tamen propter imperfectionem ſatisfactionis, adhuc remanet obligatus ad pænam temporalem; tranſit actu, & reatu, quando quis habet plenam remiſſionem culpæ, & totius pænæ. Originale tranſit reatu per Baptiſmum, ſed remanet actu, ſeù habitu, inquantum ſcilicet in viatore remanet habitualis concupiſcentia, quæ inclinat ad malum; quæ videtur eſſe materialiter ipſum pec. originale.

Secundo modo, ſcilicet ex parte gradus, ſiuè proceſſus, diuiditur in pec. cordis, oris, & operis.

Not. Quod aliquando iſta tria ſunt peccata diuerſa, cum ſcilicet diuerſorum peccatorum materiæ ſumuntur, vt ſuperbia in corde cõcepta, maledicentia in ore, homicidium in opere. Cum verò eadem eſt materia, tunc omnia vnum peccatum ſunt, ſed plures augmenti gradus, & ita in vno, & eodem peccato, omnia hæc tria inueniri poſſunt, ita vt vnũ ſit quaſi gradus, diſpoſitio, & præparatio ad alterum: vt ex. g. iracundus ex hoc, quod appetit vindictam, primo conturbatur in corde, Secundo prorumpit in verba contumelioſa, Tertio procedit ad factum, quæ omnia vnũ peccatum perfectum reputantur. Item luxurioſus quando ſolum turpi cogitatione delectatur, nec vltra procedit, ſolum peccatum cordis admitti, & ſic de cæteris.

Tertio modo, ſcilicet ex parte reſpectus, ſiuè obiecti triplex eſt pecatũ, in Deum, in proximum, in ſe ipſum. Iſta diuiſio ſumitur ſecundum id in quod directè peccatur, & principaliter, non conſequenter, v. g. cum quis committit homicidium, furtum, & huiuſmodi, iſte directè, & principaliter peccat in proximum, eum lædendo, ex cõſequenti verò peccat in Deum, quia Dei mandata transgreditur, & in ſe ipſum, quia per peccatum

catum damnat animam ſuam, & eam occidit, priuando illam gratia diuina. Similiter qui peccat peccato Gulæ, Luxuriæ, & huiuſmodi directè, & principaliter, peccat in ſe ipſum, ex conſequenti peccat in Deũ, contra eius mandata viuendo; ita qui peccat in Deum directè, ex conſequenti peccat in ſe ipſum, priuando ſe lumine gratiæ, & virtutibus, & aliquando etiam in proximum, propter malum exemplum ipſum ſcandalizando. D.Th. 2.2. q.72. in Deum peccat quis tripliciter, vel cum de Deo male ſentit, vt Hæreticus; vel quæ Dei ſunt vſurpare præſumit, indignè participando Sacramentis, vt peccator in peccato mortali exiſtens. vel quando nomen Dei periurando, vel blaſphemando contemnit. Peccat quis in proximum, cum illum iniuſte lædit, & hoc tripliciter, vel offendendo perſonam; vel denigrando famam, vel diripiendo ſubſtantiam. Peccat quis in ſeipſum, cum ſibi ſoli nocet, & hoc multipliciter, vel quia lædit ſeipſum peccato Superbiæ, vel Gulæ, vel Moliciei, &c.

Not. quod peccat quis in Deũ, non quod Deum in aliquo lædat, ſed quia ſubtrahit Deo, quod ei debetur, & quantum in ipſo eſt, Dei gloriam minuit. quamuis hoc facere non poſſit. Proximo debet homo ædificationem, & beneficentiam, quando hæc non facit cum poſſit, & debeat, vel cum facit contrarium iſtis. Dicitur peccare in proximum; vnde ſicut propoſitum in propoſito, ita oppoſitũ in oppoſito; ſed per virtutes, quibus opponuntur peccata, homo ordinatur in Deum, in proximum, & in ſe ipſum, nam per virtutes Theologicas ordinatur in Deũ: per cardinales, ſiuè morales, in proximum, & in ſe ipſum: nam per virtutes temperantiæ, & fortitudinis, ordinatur in ſe ipſum: per Iuſtitiæ, & Prudentiæ, in proximum, ità per oppoſitum, per vitia oppoſita deordinatur.

Quarto modo, ſcilicet ex parte nominis, diuiditur in delictum, & cõmiſſum; ſiuè in peccatum omiſſionis, & commiſſionis; quia ſecundum D. Auguſtinum peccatum, quod dicitur delictum, eſt omiſſio boni, dicitur delictum, quaſi derelictum. Peccatum, quod dicitur commiſſum eſt perpetratio mali: hæc diuiſio attenditur ſecundum præcepta legis, quibus regularentur actus noſtri; præcepta ſunt duplicis generis; quædam ſunt affirmatiua, quædam negatiua; quando peccatur contra affirmatiua, dicitur peccatum omiſſionis; quando contra negatiua; dicitur commiſſionis. Peccatum commiſſionis peius eſt peccato omiſſionis; peius eſt enim committere mala, quam omittere bona.

Quinto modo, ſcilicet ex parte radicis, quinque ſunt radices peccatorum; videlicet Amor inordinatus ſui; timor indiſcretus, concupiſcentia, ſuperbia, dicũtur radices peccatorum per quandam ſimilitudinem, quia ſe habent ad peccata, ſicut radices ad Arbores materiales, quia ſicut ar-

Digitized by Google

bor per radices ſumit nutrimentum, coaleſcit, & creſcit, proficit, & fructificat, ità à ſimili ex qualibet harum radicum peccatum incipit, & creſcit.

Sexto modo, ſcilicet ex parte originis, ſeptem aſſignantur capitalia, ſeu principalia peccata, ex quibus omnia alia oriuntur; videlicet inanis gloria, Auaritia, Luxuria, Gula, Inuidia, Ira, Accidia, & ſuper hæc omnia, quaſi Regina, eſt mater Superbia. Dicitur vitium capitale, quod eſt principium aliorum, ex quo plura oriuntur, & ità capitalia vitia dicũtur principalia. Vel dicitur vitium capitale, ad quod alia ordinantur, quia iſta ſunt quaſi duces, & quæ ex iſtis oriuntur, ſunt exercitus. Iſta ſeptem vitia capitalia figurata ſunt per ſeptem nationes, quę habitabant in Terra promiſſionis; videlicet, Gerezeus, Eueus, Phærezeus, Etheus, Iebuſeus, Chananeus, Amorreus. Gerezeus interpretatur, colonum eijciens, vel aduena appropinquans, & eſt Superbia, ſeu inanis gloria, quia Superbia eiecit Angelum de Cælo, & hominem de Paradiſo terreſtri, qui erant coloni locorum illorum. Dicitur aduena appropinquans, quia quanto magis ſua mente cogitat Deo appropinquare, ideſt exaltari, tanto magis à Deo elongatur; iuxta illud Iob c. 20. n. 6. &c. Si aſcenderit, vſq; ad Cælum Superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium, in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent vbi eſt? Per Eueum, qui interpretatur ferus, vel proximus, ſignificatur Auaritia, quæ facit hominem feram peſſimam, & deuoratricem proximi ſui; iuxta illud Eccleſiaſt. 10. n. 10. nihil iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet. Per Phærezeum, qui interpretatur, diſſeminatio, ſignificatur luxurioſus, qui non curat, vbi ſemen ſpargat, ſed paſſim, & indifferenter. Per Etheum, qui interpretatur ſtupens, vel formidans ſignificatur Inuidia, quæ formidat fælicitatem alterius, & dolet; Vel ſtupens dicitur, quia ob frigiditatem dentium, propter commeſtionem acerbi, non poteſt bene commedere, quia inuidia facit inſipida bona aliena. Iuxta illud: Ego dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis cordibus veſtris: dedi ideſt permiſi haberi, in pænam, ſcilicet inuidiæ. Per Iebuſeum. qui interpretatur præſepe ſignificatur Gula, quæ ſemper vellet eſſe ad menſam, ſicut bruta ad præſepe; iuxta illud Iſaiæ 1. 5. n. 21. Væ vobis, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum, vſque ad veſperam, & vino æſtuatis. Per Cananeum, qui interpretatur lapides colligens; vel commotus ſignificatur Ira, quæ commouet totum hominem ad appetitum vindictæ, & colligit lapides contumeliarum, detractionum, & contentionum, in mente ſua concipiendo ad offendendum alios verbis ſuis. Per Amorreum, qui interpretatur amari-

cari,

Digitized by Google

cari, ſignificatur Accidia, quæ facit hominem amaricari, propter dolorem boni operis, ſicut enim gaudium ſpirituale ſolatur animam, ità tædium de bono Diuino agendo faſtidit, & horrorem ducit. Terra promiſſionis affluens lacte, & melle, in genere ſignificat humanam naturã; vel animam quamlibet in particulari, in ſtatu innocentiæ, & iuſtitiæ, quæ à ffluebat lacte puritatis, & melle conſolationis Cęleſtis, ſed propter primorum Parentum tranſgreſſionem, habitata, & poſſeſſa eſt à ſeptem nationibus, ideſt à ſeptem vitijs capitalibus. D. Antoninus 1. par. tit. 7. cap. 2. ad verbum.

De ſubiecto peccati. Cap. III.

NOT. ex Scoto in 2. ſent. diſt. 42. §. ad quæſtiones iſtas; quod malitia, primo, & formaliter, non eſt, niſi in aliquo actu voluntatis, prob. tripliciter; primo, quia iuſtitia habitualis, vt diſtinguitur contra peccatum originale, & actualis, vt diſtinguitur contra peccatum actuale, eſt in voluntate, ergo peccatum originale, & actuale eſt in voluntate. Anſelmus de pec. origin. c. 4. Secundo cauſa primo peccandi eſt voluntas, nihil enim eſt peccatum, niſi quod eſt in poteſtate facientis; & nihil eſt in poteſtate facientis, niſi quod eſt in poteſtate voluntatis eius, quia nihil præter hoc, eſt imputabile: ex D. Auguſt. 3. de lib. Arb. & ideò dicit 12. de Ciuit. c. 8, quod defectus voluntarius iuſta pæna conſequitur. ex quo ſequitur, quod in ſolo velle eſt peccatum, primo, & in alijs, non niſi, mediante velle.

Tertio; Omnis cauſa actiua in vniuerſo, præter voluntatem, eſt naturaliter actiua, ergo nulla præter voluntatem, eſt vituperabilis, propter ſuam actionẽ; Prob. ex D. Aug. 3. de lib. arb. cauſa enim naturalis ſecũdum eum, non agit, niſi ſecundum quod accipit, vt agat, ab alio; & ideò in nulla ſua propria actione eſt vituperabilis, & ideò in nulla actione ſua eſt peccatum. Secundo dico, inquit Scotus, ibidem, quod licet peccatum non poſſit eſſe formaliter, niſi in voluntate, vel in actu eius, materialiter tamen poteſt eſſe in iſtis actibus, ſcilicet cogitatione, ſermone, & opere quia ſecundum Anſelmum, vbi ſupra, voluntas eſt motor in toto Regno animæ, & omnia obediunt ſibi, ſicut ergo voluntas tenetur habere in actu ſuo rectitudinem, ſic tenetur habere illam in alijs actibus exterioribus ad quod cooperatur, vt motor. Sicut igitur, mouendo rectè potentias inferiores, actus earum ſunt recti rectitudine participatà, ità etiam per oppoſitum mouendo nõ rectè ſunt actus

earum non recti, quam rectitudinem debet voluntas illis dare, & ita, mouendo eas, non rectè, priuat eas illa rectitudine. Anſelmus ſupra c. 4. vbi loquens in forma aliarum potentiarum, dicit: Dediſti nobis dominum, cui obedire non poſſumus, &c. & dicit, quod mouet alias potentias in nobis, ſicut inſtrumenta; ex quo, etiam ſequitur, quod nullus actus poſſit eſſe malus, etiam materialiter, niſi qui poteſt imperari ab actu volnntatis, formaliter malo. Scotus ad verbum.

Not. Quod in præſenti ſupponimus, cogitationem, ſermonem, & operationem eſſe in poteſtate voluntatis, & iu iſtis poſſe conſiſtere malitiã, & peccatum; quod in cogitatione prob. Scotus vbi ſupra, q. 1. §. ſequitur ſecundum. Ad quod dico, inquit, quod ipſius voluntatis ſunt duo actus, ſcilicet complacentiæ, & concupiſcentiæ, & actus complacentiæ, prior eſt, quia prius complacet voluntati ex dilectione in illo, cui concupiſcit, quam concupiſcat aliquid ſibi, voluntas igitur poteſt aliquid ſibi inordinatè concupiſcere, & complacere in illo, & etiam potentijs inferioribus poteſt aliquid in ordinatum concupiſcibile concupiſcere, & in hoc complacere in illo, & eodem modo poteſt, quo ad actum intellectus: quando igitur voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti, qua vult, quod obiectum ſit ſibi præſens ad continuandum delectationem, & complacentiam in illo, ſi illud cogitatum ſit illicitum, in complacentia plena, illo modo prædicto, eſt pec. mort. & hoc non ſolum de carnalibus, vt cogitare luxuriam; ſed etiam in actibus intellectus, reſpectu aliorum obiectorum, vt imaginari, & morari cum delectatione in cogitatione mortis inimicorum, & ſic patet, quod cogitatio de obiecto illicito, procedens ex complacentia voluntatis in illo, poſt deliberationem, eſt peccatum mortale, ſicut enim eſt peccatum mortale voluntati concupiſcere ſibi delectationem de obiecto illicito, & illam, etiam, vel aliam concupiſcere potentiæ inferiori, ſic etiam peccatum eſt ad hoc velle cogitationem de iſto obiecto: ex D. Aug. 12. de Trinit. cap. 1. & Magiſter d. 24. c. illo, itaq; vt breuiter ſummam perſtringam: Scotus ad verbum.

Verum not. ex reſponſione ad primum, quod peccatum formaliter non eſt, niſi in voluntate, ſed materialiter poteſt eſſe in alijs actibus, nõ tamen, niſi, vt imperantur à voluntate; vnde prima cogitatio non inducit peccatum, ſed toties habet homo primas cogitationes quoties ſibi occurrunt diuerſa obiecta, & quoties ſurgit à ſomno.

Ad ſecundum. Prima cogitatio non eſt in poteſtate voluntatis, ſed ſic complacere cogitationi, & ſic acceptare, & tenere intellectum ibi, benè eſt in poteſtate voluntatis.

Ad Ter-

Digitized by Google

Ad Tertium. Non ſequitur, cogitatio non eſt prius cognita, ergo nec volita, nam ſufficit, quod actus cogitationis, ſit præſens in ratione actus, non tamen in ratione obiecti conſiderati, nec recte, nec reflexe, ad hoc, quod voluntas velit illā, & complaceat ſibi in illa, vnde, ad hoc, quod aliquid ſit volitum, ſufficit eius cogitationē actualiter intellectui inhærere.

Quod ſermo ſit in poteſtate voluntatis, & quod in eo ſit malitia, patet ſic, potentia motiua in homine, eſt in obedientia ſeruili, reſpectu voluntatis, quæ 1. polit. c. 3. vocatur diſpotica, vnde in tantum ſibi obedit, quod nullum membrum habile ad motum, niſi ſit aridum, reſiſtit imperio voluntatis, ſed formare voces articulatas, eſt actus potentiæ motiuæ, licet non poſſit elici niſi præcedente actu imaginationis, vel intellectus, ergo ſermo eſt in poteſtate voluntatis, ſi lingua non ſit impedita, ſed diſpoſita ad motum; Scotus ſupra §. ad quæſt. 2. ſoluendam. Not. ex eod. ibidem, quantum ad ſecundum, dico, quod malitia, ſiuè peccatum eſt in ſermone materialiter, formaliter verò in voluntate, nam recta ratio iudicat omnes actus humanos debere eſſe rectè circunſtantionatos rectitudine ſibi debita, ſcilicet participata, loquendo de actibus potentiarum inferiorum, ſed actus potentiæ motiuæ ſubeſt voluntati, ergo debet eſſe circunſtantionatus, & rectus rectitudine ſibi debita, vt quod tranſeat, ſuper materiam debitam, & ordinetur ad debitum finem, vt ſcilicet ædificet proximum, & quod notificet illud, quod eſt in conceptu mentis, aliter enim eſſet mendacium, ex defectu igitur alicuius circunſtantiæ, quam debet imperare voluntas, eſt peccatum, & malitia formaliter in voluntate, materialiter verò in ſermone. hæc Scotus ad verbum.

Vnde vſus inſtrumenti ad finem ſuum, licet in ſe non ſit formaliter malus, poteſt tamen eſſe malus materialiter, in quantum imperatur à voluntate, in qua eſt malitia formaliter, vt cum intendit malum finem; ſi autem talis vſus ſit ſecundum dictamen rectæ rationis, non eſt in malitia aliquo modo Scotus ad primum argumentum.

Quod operatio ſit in poteſtate voluntatis, & in ea poſſit eſſe malitia.

NOt. Quod opus, in præſenti accipitur pro operatione potentiarum inferiorum, aliarum à potentia motiua linguæ, licet enim ſermo ſit quoddam opus, diſtinguitur tamen contra alia opera, quia ſecundum illud opus ſermonis, maximè ſe habet homo ciuiliter, & politicè. Dico ego inquit Scotus §. ad quæſt. 3. ſoluendam, quod potentia motiua eſt in poteſtate voluntatis, & ſimiliter potentiæ ſenſitiuæ, & etiam vegetatiuæ,

tiuæ, quatenus dependent à motiua, ſicut potentia vegetatiua; quantum ad nutritiuam, requirit appoſitionem nutribilis, & ſimiliter approximationem actiui ad paſſiuum, & ſecundum hoc potentia generatiua eſt in poteſtate noſtra, & in ea poteſt eſſe peccatum, materialiter, in quantum ad actum inordinatum præcedit potentia motiua, quæ eſt in poteſtate voluntatis. Similiter etiam, quantum ad potentias ſenſitiuas, quatenus operationes earum dependent à potentia motiua, vnde D. Auguſt. xj. de Trinit. c. 8. dicit, quod quia operatio palpebrarum neceſſariò requiritur, ad viſionem, & motus localis palpebrarum obedit animæ, eatenus, viſio eſt in poteſtate voluntatis. hæc Scotus ad verbum.

Item §. ibi de ſecundo dico, inquit, quod malitia eſt in eis materialiter, eodem modo. ſicut in alijs, ſcilicet ſermone, & cogitatione, ſcilicet quando non ſunt cum debitis circunſtantijs elicitæ, & carent rectitudine participata, quam debent habere.

Not. ex eod. Scoto, §. ad quæſt. 4. d. 42. quod hic non diuiditur peccatum actuale formaliter, nec ſubiectum peccati formalis, quia hic eſt actus voluntatis, & non cogitatio, nec ſermo, nec opus exterius, nec etiam originale peccatum, quia illud eſt, ſolùm in anima; ſed diſtinguitur hic, tãtum ſubiectum materiale peccati, & poſſet cõtineri illa diuiſio peccati ſub duplici mẽbro, ſcilicet quod quoddam eſt peccatum in actu interiori, quoddam conſiſtit in actu exteriori: primo modo eſt peccatũ cogitationis: ſecundo modo ſubdiuiditur, quia ſic continet locutionem, & operationem, quia locutio maximè conuenit homini, vt eſt rationalis: & vt eſt homo, quia vt ſic, eſt communicatiuus, & ſic circumloquimur actum exteriorem, per duo membra, & debet intelligi diuiſio poſitiuæ, quo ad peccatum commiſſionis: negatiuæ, quo ad peccatum omiſſionis, in cogitatione, locutione, & opere. Scotus ad verbum.

Not. ex D. Bon. in ſecundo ſent. diſt. 42. in dub. literalibus ex Magiſtro ſent. dub. 1. quod peccatum eſt in aliquo reatu, poſtquam tranſit actu ibi reſpondet diſtinguendo, quod ſecundũ quod tria ſunt in peccato; ſcilicet actus peccandi, & habitus pronitatis, ſiuè macula peccati, & tertio defectus, ſiuè boni priuatio, quæ deformitas dicitur. Et quod reatus, ſeù obligatio ad pænam, eſt duplex, quidam, reſpectu pænæ æternæ, & quidam reſpectu pænæ temporalis: obligatio pænæ temporalis non ſemper requirit culpam præſentem, ſed ſufficit ad illam obligationem, quod culpa fuerit præterita, & quod ſubſecuta fuerit plena emendatio, obligatio ad pænam, fundatur ſuper illam culpam, culpa autem eſt ipſa deordinatio, ſiuè, quæ eſt in actu, ſiuè, quæ eſt in anima. Deordinatio in actu conſiſtit in conuerſione, & auerſione, & ſecundum hanc duplicem com-

Digitized by Google

comparationem anima deordinatur, cum peccat, & deordinatio in anima, ratione auerſionis, dicitur deformitas, ratione verò conuerſionis, dicitur macula. Reatus pænæ æternæ fundatur ſuper peccatum, & in quantum eſt deformitas,& in quantum eſt macula; ſed differenter,quia ratione auerſionis,dignus eſt ſupplicio.Hæc S.Bonauentura ad verbum. vide plura ibidem.

Not. Secundo ex eodem ibidem diſt. 24. & D.Tho. 1.2. q. 74. & colligitur ex dictis. Primo quod peccatum principaliùs conſiſtit in actu interiori voluntatis, actus autem exteriores qui ſunt contra Legem Dei, ſunt peccata, verum, non quatenus procedunt à membris externis; ſed quatenus procedunt à voluntate. Similiter operationes appetitus ſenſitiui, & intellectus, non ſunt peccata, niſi imperentur à voluntate, vel in illis complaceat, & delectetur voluntas. Vnde, vt dictum eſt, omne peccatum eſt in appetitu rationali ſubiectiuè, & formaliter, & in ſenſitiuo materialiter, ſicut in alijs potentijs, quia tota deordinatio eſt in voluntate, & à voluntate.

Prob. Primo, quia actus noſtri, ideò ſunt peccata, quia voluntarij. Secundo, quia nulla operatio, reſpectu appetitus ſenſitiui, eſt laudabilis, vel vituperabilis, niſi à voluntate habeat bonitatem, vel malitiam; & ita habemus, quod motus appetitus ſenſitiui, non eſt peccatum, niſi ſit aliquo modo præuiſus, & conſideratus à ratione, & volitus in ſe, vel in cauſa,quia impoſſibile eſt eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium;ſed non poteſt eſſe voluntarium, niſi altero ex dictis modis, ſcilicet vel in ſe, vel in cauſa, ergo non eſt peccatum in voluntate, et à voluntate nec in intellectu eſt culpa, niſi ratione voluntarij.

Dubitatur Vtrum motus appetitus ſenſitiui ſit peccatum aliquo modo?

RESpondetur diſtinguēdo, quod vel ex parte intellectus eſt aduertētia motus praui excitati ab appetitu ſenſitiuo, vel non. Si nulla eſt aduertentia nullum eſt peccatum in illo motu, et talis motus dicitur primò primus, et tunc ratio, non conſiderat, an ſit peccatum, vel non. Si eſt aduertentia,ideſt ſi ille motus primus tangit rationem,et ratio aduertit illud, quod appetitur eſſe malum: Vel ratio aduertens,ſtatim conatur reprimere,et diſſentire, vel volūtas, poſt plenam deliberationem, et perfectā aduertentiā,conſentit in tale opus. Si primo modo ſe habent voluntas, non ſolum non peccat, imò meretur potius ſecundum omnes. Si ſecundo modo ſe habent, peccat,et aliquando peccat mortaliter. Si ratio aduertit,ſed non plenè, et perfectè;Similiter ſi voluntas deliberet,ſed nō perfectè,quantum requiritur ad actum humanum, etiamſi, con-

ſi, continuet motum, & deliberationem, quam hic non delibérat, non peccat mortalitet,quia non adeſt perfectè voluntarium. Quando ratio, ideſt intellectus, non ſolum aduertit eſſe peccatum, ſed incipit etiam deliberare, ſecundum cauſas, tantum humanas, & quaſi trahitur ad conſenſum, ſi ſtatim per rationem ſuperiorem,reprimatur appetitus inferior, & motus voluntatis, vt diſſentiat, tunc illa prima deliberatio, non eſt pec. mort. quia ille conſenſus non eſt perfectè voluntarius, quia ratio inferior, ſtatim repreſſa eſt à ſuperiori, eſt tamen pec. veniale. Si verò ratio perfectè deliberet de obiecto illo, ideſt de re mala cogitata, etiam ſi non ſequatur conſenſus in voluntate,ſi tamen ſequatur continuatio in ipſo motu prauo appetitus,& voluntas nō diſſentiat, eſt pec. mort. quia eo ipſo, quod voluntas non diſſentit, dicitur conſentire, interpretatiuè. Si poſt per perfectam aduertentiam, & plenam deliberationem, voluntas reſiſtit, ſed ita negligenter, & imperfectè, vt videatur non reſiſtere: tunc ſtandum eſt iudicio Dei,& viri timorati; & hæc ſunt in confeſſione, ita ſincerè aperienda. Addo,quòd in illis, qui ſolent reſiſtere huiuſmodi tentationibus, in dubio præſumendum eſt non conſenſiſſe.

Dub quale peccatum ſit hic actus quando eſt ex cauſa libera?

REſp. diſtinguendo, quod motus appetitus ſenſitiui de re illicita, in cauſa dupliciter ſe habere poteſt,vel non eſt præuiſus,& intentus, vel eſt tantum præuiſus, ſed non intentus. Primo modo eſt pec. mort. quia hic effectus eſt voluntarius directè. Secundo modo habet malitiā, & bonitatem, quam habet cauſa, quia eſt voluntarius tantum indirectè, ſcilicet in cauſa. hinc infertur,quod actus turpis primo primus natus ex iuſta cauſa, quamuis ſit præuiſus, nullum eſt peccatum, ſed fortaſſe erit meritorius. & quando cauſa eſt venialis, motus eſt venialis, ſi eſt, mortalis, etiam motus eſt pecc. mort.

Secundo, qui ex quacumque, videt probabiliter imminere periculum conſenſus in pec.mor. erit pec.mor. etiam ſi effectus non ſequatur, quia quantum in ſe eſt,amplectitur pec. mor. vt legendo turpia,conuerſando cum perſona ſuſpecta. Idem dicendum de illo, qui ſine legitima cauſa ſe exponit periculo probabili pollutionis,nam talis interpretatiuè conſentit in pollutionem, & ſe exponit periculo conſenſus; quando verò ex neceſſitate,& cauſa bona ſe exponit periculo pollutionis, ſi ſcit ſe non ſolere conſentire, nullo modo peccat.

Dub.

Dub. quando conſenſus in delectationem ſit pec. mort.

RESpond. dicendum, Primò, quod non eſt pec. mor. niſi ſit de re illicita, quæ ſit pec. mor. Secundò poſt habitum bonum, & firmum propoſitum, ſeruandi legem Diuinam, & humanam, conſenſus in rem illicitã, etiam exiſtente conſideratione de re illicita(ideſt quod putet eſſe peccatum) aſcribi poteſt, vel ſenſualitati, vel voluntati naturali appetenti, ſecundum impreſſionem obiecti. Tertiò, quando, poſt actum, qui putatur conſenſus in rem illicitam, immediatè ſequitur actus contrarius, vt quando poſt volo, ſequitur nolo, perſeuerante eadem obiecti notitia, præſumitur non eſſe pec. mor. Ratio, quia prior conſenſus videtur eſſe ſenſualitatis, vel naturalis, voluntatis, conſequens impreſſionem obiecti, & notitiam obiecti vtilis, & delectabilis.

Not. quod in peccato poſſunt concurrere multi actus. Primus eſt motus natus in carne, ex cauſa naturali, ver. gr. ex calefactione. Secundus eſt actus appetitus ſenſitiui. Tertius eſt actus rationis ſuperioris, per ſolam apprehenſionem, qui dicitur primò primus, & his non eſt peccatum, niſi in cauſa. Quartus cum ratio ſuperior imperfectè aduertit, & deliberat, & tunc eſt pec. veniale. Quintus eſt, quando poſt deliberationem perfectam, aut conſentit, aut non reſiſtit, & tunc eſt pec. mort. Sextus eſt, quando facit conſuetudinem in peccando, Septimus, eſt deſperatio Diuinæ miſericordiæ. Poſtremus, quando punitur in Inferno.

Dub. Supp. quod quis committat duo peccata eiuſdem ſpeciei; Vtrum illorum ſit grauius. Primum an ſecundum, ſiuè & redit in idem, quando ille grauius peccat, prima vice, an ſecunda vice?

REſpondetur quod primo grauius cæteris paribus, quod eſt certum in peccato carnis, nam prima vice amittitur Virginitas.

Secundò, quia poſt primum actum peccati, alia peccata difficilius vitantur. Dixi cæteris paribus, quia ratione conſuetudinis. & praui habitus, alia poſſunt eſſe grauiora primo, præſertim, quia facilius peccatur ex contemptu, cap. vlt. ſit de conſuetudine, 4. in ord. lib. 1. Decretal.

Dub. Supp. quod quis continuet idem peccatum per aliquod tempus, Vtrum huiuſmodi continuatio aggrauet peccatum illud, & ita illa continuatio ſit aperienda in confeſſione?

Reſpond. affirmatiuè ſatis pro nunc alibi habetur.

Dub. Vtrum alio modo, & quo grauetur peccatum.

RESp. Affirmat. & primo grauitas peccati, attenditur penes nocumentum quod procedit ex ipſo peccato, ſi ſit præuiſum, & intentum; vt quando quis peccat, animo nocendi; quando verò nocumentum eſt præuiſum, ſed non intentum aggrauat, ſed indirectè, quatenus, ex voluntate inclinata ad peccandum, non prætermittit illud; Ex. gr. ſi quis vt hominem occidat trāſeat per agros, & vaſtet ſegetes. Si nocumentum non ſit præuiſum, neque intentum, tunc vel nocumentum ſequitur per ſe, ex actu peccati, vel per accidens. Si per ſe, licet non ſit intentum, nec præuiſum, aggrauat peccatum; Ex. gr. ſi publicè peccat, ex quo ſequitur ſcandalum multorum; ſi ſequitur per accidens, non aggrauat peccatum, directè, ſed aggrauat tantum propter negligentiam conſiderandi nocumentum, quod poteſt ſequi; præſertim, ſi dabat operam rei illicitæ; ſi autem adhibuit diligentiam debitam, non imputatur damnum ſequens.

Secundò. Attenditur grauitas peccati, ex conditione perſonæ offenſæ, ratione maioris dignitatis, aut propinquitatis: vt ver. gr. grauius peccat qui offendit Deum, quàm qui offendit creaturam, & offendens creaturam, grauius peccat ſi offendat creaturam, magis Deo coniunctam, vt grauius, qui offendit Clericum, quam qui Sæcularem, & grauius, qui offendit Sacerdotem, quam qui offendit Laicum. Inter Sacerdotes grauius, qui offendit Prælatum, quam qui &c. Ratione propinquitatis, grauius peccat, qui offendit perſonam ſibi magis coniunctam, ſiuè coniunctione naturali, puta parentes; ſeu beneficij, pnta & magiſtros, &c. grauius peccat, qui offendit perſonam publicam, qnàm qui offendit priuatam, deſcurre.

Tertiò aggrauat dignitas perſonæ peccantis, tûm propter maiorem ingratitudinem, & maiorem indecentiam; tùm ratione mali exempli, & ſcandali.

Not. quod ſi repugnet perſonæ, illud peccatum, non ſolum, quia malum, ſed etiam quia prohibitum, ſpeciali prohibitione, puta ratione ſtatus, & voti, vt ſi Sacerdos, quod abſit, fornicetur, &c. peccatum mutat ſpeciem, & eſt neceſſariò aperiendum in confeſſione, quia duplex peccatum. D. Th. 1.2.q.73. art.10. cit. & c.

De cauſis peccati: Cap. IV.

SVpponitur quod medicus ſpiritualis debet ſe habere ad inſtar medici corporalis, quia ſicuti qui rectè deſiderat mederi corporibus debet cognoſcere originem, & cauſas infirmitatis, ſic etiam medicus ſpiritualis, ſuæ animæ, opus eſt, vt attendat originem, & cauſas peccatorum, vt illis remedia opportuna adhibere queat.

Supponitur ſecundo ex dictis ſupra cap. 1. & 2. quod peccatum eſt actus humanus inordinatus, ideſt deficiens, & imperfectus; & quod in peccato duo conſiderantur, ſcilicet poſitiuum, & priuatiuum, materiale, & formale, materiale eſt actus ipſe, formale eſt, inordinatio ipſius actus.

Supponitur tertio ex Theologis antiquioribus, rationem formalem peccati eſſe priuationem boni. Scotus in 2. diſt. 35. §. iſtæ quæſt. prob. per rationem talem, quia agens tenetur in agendo conformare ſe agenti ſuperiori, quia ſi in poteſtate eius ſit ſe conformare illi, & non conformare, non conformari illi eſt peccatum, & ideò loquendo de peccato, ſiuè contra legem Diuinam, ſiuè contra legem humanam, aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordari legi ſuperioris agentis, & diſcordauit, iſte igitur actus, qui eſt in poteſtate diſcordantis, & per hoc voluntarius, eſt formaliter peccatum, quia ſi ille eſſet concors regulæ ſuperiori, non eſſet peccatum, ergo in illo actu præciſa ratio peccati, eſt priuatio illius concordiæ.

Dub. cuius nam boni peccatum ſit formaliter priuatio?

REſp. dicendum, Aliquo dicunt, quod illius boni in quo eſt, quia illi nocet. Alij quod boni ſupernaturalis, ſcilicet gratiæ. Tertio modo ponitur, quod eſt priuatio habituum acquiſitorum, quibus repugnant actus, virtualiter mali, hæc Scotus ad verbum. Scotus tandem ait, quod eſt priuatio rectitudinis debitæ in eſſe actui, & patet per auctoritates adductas ſupra cap. 1. cum illis auctoritatibus conſonat ratio, quia omne peccatum eſt iniuſtitia formaliter, & tale peccatum, talis iniuſtitia, & per conſequens priuatio talis iuſtitiæ, ergo peccatum actuale eſt formaliter iniuſtitia actualis, ergo & priuatio iuſtitiæ actualis, ſcilicet iuſtitiæ, quæ deberet eſſe in actu. Scotus ad verbum.

Rectitudo, & iuſtitia debita in eſſe actui eſt integritas omnium, quæ

Digitized by Google

ſecundum rectam rationem; conuenire debent actui, ſ.vt ſit circa debitum obiectum, & cum debitis circunſtantijs, è conuerſo, carentia rectitudinis, & iuſtitiæ debitæ, eſt carentia huius integritatis, & conformitatis ad rectam rationem; his ſuppoſitis ſciendum, quod cauſa eſt duplex quædam dicitur agens, quædam dicitur mouens, ſiuè inducens ad peccandum. Agens eſt duplex quædam per ſe, quædam per accidens, ſiuè & redit in idem, quædam efficiens, quędam deficiens. Mouens, ſiuè inducens eſt duplex quædam interna, quædam externa. his poſitis, dico quatuor.

Dico primo. Peccati, in quantum eſt actus, ſiuè quantum ad poſitiuum, & materiale cauſa per ſe; agens, & efficiens, eſt voluntas.

Dico ſecundo. Peccati, quantum ad formale, priuatiuum, ſcilicet ex parte in ordinationis, cauſa eſt etiam voluntas, non efficiens, ſed deficiens, non per ſe, ſed per accidens.

Dico Tertio. Cauſa mouens, ſiuè inducens, interna, eſt ignorantia, paſſio, & malitia.

Dico quarto. Cauſa mouens, ſiuè inducens externa, eſt homo, dęmon, obiectum ſenſibile. Vel ſic, cauſæ, peccati ſunt duplicis generis, internæ, & externæ: internæ ſunt intellectus, & voluntas, & appetitus ſenſitiui; intellectus, & voluntas ſunt cauſæ immediatæ: appetitus ſe interior imaginatio, & ſenſus apprehenſio, ſunt cauſæ mediatæ: cauſæ externæ ſunt homo, dæmon, exteriora bona. Prob. quòd homo ſit cauſa peccati, per illud Num. 3. n. 16. Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſrael, ad ſugeſtionem Balaam, & Præuaricari eos fecerunt in Domino. Super peccato phegor, vnde, & percuſſus eſt populus.

Quod dæmon patet per illud Gen. 3. num. 13. ſerpens decepit me, & per illud Sap. 2. nu. vlt. inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.

Quod obiectum ſenſibile, & bona exteriora, patet experientia, quia obiectum ſenſibile exterius excitat ſenſum, & ſenſus inclinat appetitum, ideſt voluntatem; iuxtà illud Gen. 3. num. 6. Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad viſcendum & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, tulit de fructus illius, & commedit.

Sed not. quod cauſæ iſtæ ſuaſionibus voluntatem allicere poſſunt ad malum, compellere verò nullo modo poſſunt; ſola ergo voluntas eſt cauſa ſufficienter complens peccatum, eſt ergo peccatum liberi arbitrij malum, & germen voluntatis.

Quod voluntas ſit cauſa peccati, & quomodo, dictum eſt ſupra cap. 3.

Not.

Not. pro intelligentia, ſuppoſito peccatum quendam actum eſſe, Quod diabolum eſſe homini cauſam peccati; & vnum hominem alteri homini poteſt dupliciter intelligi, directè, & indirectè: Diabolus non poteſt eſſe homini directè homini, & ſufficienter cauſa peccati. Prob. nulla alia re fit mens hominis ſerua libidinis, niſi propria voluntate, ſed homo non fit ſeruus libidinis, niſi per peccatum, ego cauſa peccati non poteſt eſſe diabolus.

Not. quod hoc modo poteſt eſſe aliquid directè cauſa peccati, quo modo aliquis directè eſt cauſa alicuius actus, quod quidem non contingit niſi per hoc, quod proprium principium illius actus monet ad agendum, proprium autem principium actus peccati, eſt voluntas, quia omne peccatum eſt voluntarium, & ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum; vnde nihil poteſt eſſe directè cauſa peccati, niſi quod poteſt mouere directè voluntatem ad agendum. D. Th. 1. 2. q. 80. art. 1. in corp. Indirectè, & per modum perſuadentis, vel proponentis exterius appetibile poteſt diabolus eſſe cauſa peccati. Not. quod diabolus non poteſt interius mouere voluntatem ad agendum. Secundo quod poteſt vtique inducere homines ad peccandum, interius ingerendo, & inſtigando. Tertiò, licet, Deo permittente poſſit diabolus inducere aliquo modo, ad faciendum aliquem actum, qui ex genere ſuo, ſit peccatum, non poteſt tamen homini inferre neceſſitatem ad peccandum. Quartò licet diabolus ſit occaſio omnium peccatorum, non tamen ſingula peccata fiunt ex illius ſugeſtione, quia, ſi diabolum non eſſet, homines nihilominus haberent appetitum ciborum, & venereorum, &c. qui appetitus poſſet eſſe inordinatus, niſi ratione ordinaretur, quod ſubiacet libero arbitrio D. Th. vbi ſupra Art. 4.

Probatur quia vt habetur lib. de de eccleſiaſticis dogmatibus nō omnes cogitationes noſtræ malæ à diabolo excitantur, ſed aliquibus ex noſtro arbitrij motu emergunt; vnde dicitur, quod occaſionaliter, & indirectè diabolus eſt cauſa omnium peccatorum noſtrorum in quantum induxit primum hominem ad peccandum, ex cuius peccato, in tantum vitiata eſt natura humana, vt omnes ad peccatum procliues ſimus; ſicut dicuntur eſſe cauſa combuſtionis lignorum, qui, ligna ſiccarent, ex quo ſequeretur, quod facilè incenderentur D.Th. art. 10. non autem directè vt dictum eſt.

Not. quod voluntas duobus modis moueri poteſt; vno modo ab obiecto, ſicut dicitur, quod appetibile apprehenſum mouet appetitum; Alio modo ab eo, quod interius inclinat voluntatem ad volendum; hoc autem non eſt niſi, vel ipſa voluntas, vel Deus: Deus autem non poteſt

eſſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſſe cauſa peccati, relinquitur ergo, quod ex hac parte, ſola voluntas hominis ſit directè cauſa peccati: D. Th.

Not. ſecundo quod de cauſa peccati, ex parte hominis, quod homo poteſt eſſe cauſa peccati alteri homini, ſicut diabolus, ſuggerendo, & incitando ad peccatum; ideò nihil aliud de homine pro nunc; quoniam autem homo habet quendam ſpecialem modum cauſandi peccatum in alterum, puta per originem, ſed hoc pertinet ad tractatum de pec: originali; ideò hactenus pro ſumm:

De obiecto ſenſibili, quomodo ſit cauſa peccati.

NOt. quod ex parte obiecti poteſt intelligi, quod aliquid mouet voluntatem tripliciter, vno modo ipſum obiectum propoſitum, ſicut dicimus, quod cibus excitat deſiderium hominis, ad commedendum. Secundo modo ille, qui proponit, vel offert huiuſmodi obiectum. Tertio modo, ille, qui perſuadet obiectum propoſitum, habere rationem boni, quia & is aliqualiter proponit proprium obiectum voluntati, quod eſt rationis, verum, vel apparens.

Primo modo res ſenſibiles exterius apparentes mouent voluntatem hominis ad peccandum. Secundo autem, & tertio modo, vel diabolus, vel homo poteſt incitare ad peccandum, & hoc dupliciter, vel offerendo aliquid appetibile ſenſui, vel perſuadendo rationi, ſed nullo modo iſtorum trium, poteſt aliquid eſſe directè cauſa peccati; quia voluntas non ex neceſſitate mouetur ab aliquo obiecto; vnde non eſt ſufficiens cauſa peccati, neque res exterius oblata, neque ille, qui eam proponit, neque ille, qui perſuadet; vnde ſequitur, quod diabolus non eſt cauſa peccati, directè, vel ſufficienter: ſed ſolum per modum perſuadentis, vel proponentis appetibile. D. Th. ſupra art. 1.

Not. tertio, quod cum quæritur de cauſa peccati, dicendum; Quod peccatum eo modo, quo poteſt habere cauſam, eſt à bono: Prob. quia nullum eſt primum malum, alioquin illud carere ſumma perfectione, nata ſibi conuenire, ſed nulli nata eſt conuenire ſumma perfectio, niſi ſummo bono in natura, igitur ſummum malum eſſet ſummum bonum in natura, & ita Deus, quia nihil aliud à Deo eſt bonum in natura, & ad hanc hæreſim ſequuntur multa alia inconuenientia, non ſolùm contra Fidem, ſed etiam contra Philoſoph. quia deſtruit ſe ipſam, & includit contradictionem, quia ſi ponatur ſummum malum primum, ex æquo ad primum bonum oportet, quod illud ſit neceſſe eſſe, & omninò independens, & impartitū, & tamen iſta non conueniunt enti, niſi perfectiſſimo,

igitur

Digitized by Google

igitur,ſi malum habet cauſam, non poteſt habere,niſi bonum,loquendo de primo, malo creato, hoc patet, per D. Aug. 12. de Ciuit: Dei cap. 6. Ipſi ſibi ipſis videntur feciſſe voluntatem malam, &c. vbi videtur velle, quod propria voluntas ſit cauſa cadendi, immoderatè fruendo aliquo bono creato, ideſt aliquo, quod eſt in poteſtate ipſius voluntatis, ita quod ipſa voluntas talis, ſicut ex ſe poteſt frui,& non frui, ita moderatè poteſt frui, & non frui aliquo bono ſibi conueniente, & ita poteſt illud primum peccatum eſſe immediatè, & primo a ſola voluntate; hæc Scotus in 2. ſent. diſt.34. ibi ad aliam quæſt. in qua quærebatur, de cauſa peccati, dico, quod &c.

Dub. Vtrum Deus ſit cauſa peccati?

RESp. Dicendo, quod duo ſunt in actu peccati, ſcilicet materiale, & formale; materiale eſt entitas, & ſubſtantia poſitiua actus peccati, vt operatio ipſa ex. gr. furtiua formale eſt malitia, & deformitas illius actus,quæ eſt carentia debitæ rectitudinis:Scotus in 2.ſent.diſt.37. Vtrum peccatũ poſſit eſſe à Deo, ibi propter igitur iſtas duas rationes: verb. Scoti,in pec.mor. concurrunt duo actus,ſcilicet poſitiuus,vt materiale,& priuatio iuſtitiæ, & rectitudinis debitæ in eſſe vt formale, reſpectu huius priuationis nulla eſt cauſa efficiens, ſed tantum deficiens, voluntas enim, quæ eſt debitrix dandi rectitudinem, ſuo actui, deficiendo peccat, hoc eſt ergo formaliter peccare, ſcilicet cauſam liberam actus, non dare illi rectitudinem debitam, quam tunc poſſet, & tenetur dare; hæc Scotus.

Not. quod voluntas creata, non ſolum eſt cauſa deficiens, ſed etiam efficiens non per ſe, ſed per accidens, nam licet non cauſet formaliter illam malitiam efficiendo, ſed deficiendo, cauſat tamen illam malitiam efficiendo actum poſitiuum, cui eſt annexus iſte defectus deficiendo cauſatus.

Not. 2. quod voluntas, vt cauſa poteſt accidentaliter producere effectum, duobus modis, vno modo propriè, ſicut albedo exiſtens in ædificatore, dicitur eſſe cauſa ædificandi per accidens: Alio modo poteſt eſſe cauſa alicuius effectus extendendo accidens ad quodlibet,quod eſt extra per ſe rationem alicuius, quo modo differentia dicitur accidere Generi,cum dicitur voluntas creata eſt cauſa per accidens efficiens malitiam peccati, intelligitur per accidens ſecundo modo, prob. Scotus voluntas in communi eſt perfectio ſimpliciter, propter quod ponitur formaliter in Deo: voluntas in communi contrahitur ad voluntatem

hanc

hanc in ſpecie, ſcilicet ad creatam per differẽtiam nobis ignotam, quam circumloquimur per hoc, quod eſt eſſe limitatam, vel defectibilem, vel ex nihilo, ſicut animal contrahitur ad hominem per rationale, hæc autem differentia, per quam voluntas in communi, contrahitur ad voluntatem creatam, eſt accidẽtalis ſibi, ſicut eſt accidentale animali, quod intelligat, quia animal non intelligit per ſe, ſed per accidens, ſcilicet per rationale quod eſt ſibi extraneum.

Not. Tertiò, quod hæc differentia contrahens ſic voluntatem in communi, eſt quid dicens imperfectionem, vt prop. eſt cauſa omnis defectus & malitię in actibus voluntatis, adeò quod licet actus malus ſit proprius voluntatis creatæ, vt ſic, tanquam cauſæ propinquæ, tamen. ſi compararetur ad voluntatem in communi, & in ſe, ab ea prouenit per accidens.

Not. Quartò, quod Deus, nec per ſe, nec per accidens eſt cauſa peccati pro formali, Scotus ſupra ibi. Ad ſolutionem iſtorum obiectorum, &c. dico, inquit, quando duæ cauſæ partiales concurrunt ad effectum communem ambarum, poteſt eſſe defectus in productione effectus ex defectu vnius cauſę concurrentis, præciſè, & non alterius. Exemplum ad velle concurrit intellectus, & voluntas libera (intellectus proponendo obiectum, & illuminando voluntatem, voluntas concurrit, eliciendo ipſum actum: poteſt igitur eſſe defectus in actu iſto ex parte voluntatis, licet non præcedat defectus in cogitatione (quia propoſito obiecto ab intellectu, poteſt voluntas illud nolle. Ad propoſitum. Ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates; ſcilicet voluntas creata, & diuina, poteſt ergo eſſe defectus in ipſo velle ex defectu alterius cauſę voluntatis, ſcilicet creatæ, & hoc, quia voluntas creata poſſet rectitudinem dare ipſi actui, quam tenetur dare, & tamen non dat, & ideò deficit, & non producit velle rectum; defectus autem huiuſmodi non poteſt prouenire à voluntate Diuina, quia licet non teneatur eam dare, tamen, quantum eſt ex ſe, daret, ſi voluntas creata daret, & illi cooperaretur; vniuerſaliter enim quidquid. Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter, quantum eſt ex ſe; niſi eſſet impedimentum, dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis, & ideò, quantum eſt ex parte ſui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati, ex conſequenti daret, ſi voluntas quemcumque actum elicitum rectè ageret, ex parte ſui.

Eſt ergo defectus in effectu duarum cauſarum, nõ propter defectum cauſæ ſuperioris, ſed inferioris, non quia cauſa ſuperior cauſet rectitudinem in actu, & inferior obliquitatem, ſed quia cauſa ſuperior, quantum eſt ſe, cauſaret, ſi cauſa inferior. Secundum ſuam cauſalitatem,

cau-

Digitized by Google

cauſaret,& ideò rectitudinem non cauſari, eſt propter hoc, quia cauſa ſecunda quautum pertinet ad ſe, non cauſat rectum. Altera autem cauſa deficiente, non ſequitur effectus, & ſic non ſequitur actus rectus.

Tertia. Deus, prius natura agit, quàm voluntas creata, ergo in illo priori, vel dat rectitndinem, vel non, ſi dat, ergo voluntas creata in ſecũdo inſtanti naturæ; non poteſt non dare rectitudinem; ſi non dat, ergo neque voluntas creata, in ſecondo inſtanti, poteſt dare illam rectitudinem, ergo defectus non poteſt prouenire à voluntate creata.

Reſpondetur dicẽdum ſecundũ Scot. ſup. ibi Rep. dico, quod prioritas naturæ. quæ eſt inter cauſas, quæ ſimul cauſant effectum communem, non eſt talis, quod vna cauſa poſſit cauſare, vel actu cauſet, ſine alia, ſed prius natura in his eſt, quod vna cauſa ſit priore ideſt perfectior in agendo,& ſic prior, nõn primo modo, ſed quarto modo prioritatis; quã alia, nam ſicut materia non prius materiat, quàm efficiens efficiat, quaſi ſine contradictione poſſit eſſe materiatum,& non effectum, vel è contra: ſed in eodem inſtãti materia materiat,& efficiens efficit, & tamen in his eſt prioritas, & ordo naturæ, prioritate prius in prioritate naturæ, materia cauſat, quia materia ſubijcitur actioni agentis. Ità in cauſis eiuſdem ordinis, vt in cauſis efficentibus licet cauſa ſuperior, prius natura efficiat, quam inferior, non tamen ita efficit, vt poſſit in aliquo inſtãti, ante cauſam ſecũdã influere in effectũ cõmunẽ, ſed in eod. inſtanti efficiunt, prioritas ergo naturæ eſt, quod ſuperior perfectius agat, quã cauſa ſecunda.

Vnde, cum actus caret debita rectitudine, hoc non procedit à cauſa prima, quæ, quantum ex ſe; daret rectitudinem, ſi ſecunda daret, ſed defectus prouenit à cauſa ſecunda, non dante rectitudinem, quam tenetur, & poſſet dare cum Deus paratus ſit, voluntate antecedenti, dare illam, ſi voluntas creata dare velit. *Hic dic de permiſſione pag. 99. nu. 90. vſq; ad nu. 10.*

Contra. Obijcitur, quod Deus ſit cauſa deformitatis peccati per accidens, aliquo modo, quia permiſit actum poſitiuum voluntatis creatæ, ad quam ſequitur inſeparabiliter deformitans, quem actum Deus potuiſſet impedire, ergo ſaltem per accidens, & remote?

Reſpondetnr dicendum, quod & ſi hoc modo, poſſit Deus dici cauſa per accidens remota peccati, tamen hic modus cauſandi deformitatem, non eſt culpabilis, nec moraliter malus, quia Deus propter iuſtiſſimas cauſas hæc ſeculo permittit, quarum vna potiſſima, quia voluit, creaturam rationalem creare liberam, iuxtà iuſtitiam ſuam diuinam, vt meritis proprijs augeret beatitudinem. quam ei, vt brauium propoſuit,& ideò debuit eſſe in poteſtate hominis facere bonum, vel malum, iuxtà illud; Fecit Deus hominem liberum, vt &c.

Ratio propter quam Deus abſolutè non poteſt peccare eſt, quia peccare eſt auerti à ſummo bono, & conuerti ad creaturam, formaliter, vel virtualiter. Deus autem neutro modo poteſt auerti à ſe. ergo. Scotus ſupra ad ſolutionem iſtorum dictorum.

Dub. Vtrum Deus ſit cauſa peccati in pœnam alterius peccati?

SED primo videndum, quomodo vnum peccatum ſit, vel eſſe poſſit pœna alterius peccati? Dicendum, quod peccatum eſt pœna alterius, non ratione malitiæ, & deformitatis, propriè, ſed ratione ſui effectus, vt ſubtractionis gratiæ, & huiuſmodi D.Th. 1.2. quæſt. 87. art. 2. verb. D.Th. in corp. quæſt. de peccato dupliciter loqui poſſumus, per ſe, ſcilicet & per accidens, per ſe quidem nullo modo peccatum poteſt eſſe pœna peccati, peccatum enim per ſe conſideratur, ſecũdnm quod egreditur à voluntate, ſic enim habet rationem culpę; de ratione autem pęnæ eſt, quod ſit contra voluntatem, 1. par. q. 48, art. 5. Vnde manifeſtum eſt, quod peccatum, per ſe loquendo nullo modo poteſt eſſe pœna peccati; per accidens autem peccatum poteſt eſſe pœna peccati tripliciter, Primo quidem ex parte cauſæ, quæ eſt remotio prohibentis, ſunt enim cauſæ inclinantes ad peccatum, paſſiones tentatio diaboli, & alia huiuſmodi, quæ impediuntur, quæ quidem cauſæ impediuntur per auxilium Diuinæ gratiæ, quæ ſubtrahitur per peccatum, vnde cum ipſa ſubtractio gratiæ, ſit quædam pœna, & à Deo, ex q. 79. art. 3. Sequitur quod per accidens, etiam peccatum, quod ex hoc ſequitur, pœna dicatur, & hoc modo loquitur Apoſtolus ad Rom. dicens, propter quod Deus tradidit eos in deſideria cordis eorum, quæ animæ paſſiones, quia ſcilicet deſerti homines ab auxilio Diuinæ gratię vincũtur à paſſionibus, & hoc modo peccatum ſemper dicitur eſſe pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte ſubſtantiæ actus, quæ afflictionem inducit, ſiuè ſit actus interior, vt patet in ipſa ira, & inuidia, ſiuè actus exterior, vt patet cum aliqui graui labore opprimuntur, & damno, vt expleant actum peccati, ſecundum illud Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis. Tertio modo ex parte effectus, vt ſcilicet aliquod peccatum dicatur pœna reſpectu effectus conſequentis, ſed in his duobus vltimis modis vnum peccatum non ſolum eſt pœna præcedentis peccati, ſed etiam ſui. Hæc D. Thom. ad verbum. Breuiter, Peccatum poteſt eſſe pœna peccati, tribus modis; primo modo, quia peccatum eſt cauſa, vt Deus ſubtrahat gratiam ſuam, qua homo tentationibus reſiſtere poteſt, & ſeruare ſe rectum propter quam carentiam, incurrit ſecundum peccatum, & hoc modo propriè vnum peccatum eſt pœna alterius peccati.

Secundo modo poteſt vnum peccatum eſſe pœna alterius peccati, vel ratio-

ratione ſubſtantiæ actus, in quo eſt quædam afflictio, ſiuè ſit actus interior, vt ira, inuidia, &c. Patet enim quod iſta cruciant animam; ſiuè ſit actus exterior, ſicut, cum aliquis laborat, & damnum patitur, vt actum peccati expleat. iuxtà illud Sap. 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis. Tertio modo ratione effectus, qui ex peccato conſequitur, vt ſi ad peccatũ ſequatur aliqua pæna, vt infamia, & huiuſmodi. His duobus vltimis modis, ait D. Th. peccatum non ſolum eſt pæna alterius peccati, ſed etiam ſui ipſius, quo fit, vt ſolũ primo modo, ſcilicet ratio ne ſubtractionis auxilij, gratiæ, peccatum ſit pæna peccati. Ex hoc patet etiam quomodo Deus ſit cauſa peccati, quod eſt pæna alterius peccati, eſt enim cauſa, quia ſubtrahit gratiam, cuius ſubtractio eſt cauſa, vt homo incidat in aliud peccatum.

Alij docent, peccatum eſſe pænam peccati, non ſolum ratione effectus, ſed ratione propriæ malitiæ, & hac ratione magis principaliter eſt pæna. D. Bonauent. in 2. diſt. 36. art. 1. q. 1. Scot. in 2. ſent. d. 37. §. ad quæſt. 3. verb. D. Bonauent. Reſp. dicendum, quod abſque dubio (ſicut auctoritates SS. expreſsè dicunt) tenendum eſt, quod peccatum eſt pęna peccati. Sed aduertendum eſt, quod circa hoc eſt duplex modus intelligendi: quidam enim dicere voluerunt, quod peccatum eſt pæna peccati, non tamen eſſentialiter, ſiuè ſecundum id, quod eſt, ſed ratione eius: quod concomitatur, vel ratione eius, quod conſequitur, ſicut patet, quod peccatum manifeſtum eſt, ex quo conſurgit infamia, dicitur eſſe vindicta peccati occulti, non ratione ipſius tranſgreſſionis, ſed ratione infamiæ conſequentis, vel peccatum, in quo eſt manifeſta ignominia: eſt pæna peccati Superbiæ, ſicut peccatum hæreſis, & alia huiuſmodi, quæ vocat Apoſtolus, paſſiones ignominiæ, pæna eſt ratione ignominiæ, non ratione culpæ: & breuiter, quodlibet peccatum poteſt dici pæna peccati præcedentis ratione læſionis, quam infert, & ſic, idem dicitur peccatum, & pæna peccati, ita tamen, quod peccatum dicitur eſſentialiter, & pæna peccati cauſaliter; hunc modum dicendi non videtur probare D. B. V. ratione eadem, qua D. Th. quia etiam hoc modo eſt pæna.

Ideò eſt alia opinio, quod peccatum ſequens non tantum cauſaliter, ſed etiam eſſentialiter, eſt pæna peccati præcedentis: nam pæna dicit duo, & dicit malum, ſiuè damnum, & dicit ordinem ad præcedens meritum, & hic duo contingit reperiri circa ſequens peccat; damnificatio enim, & nocumentum eſt in ipſo, ſecundum quod peccatum, eo enim eſt peccatum, quo nocet, & magnum malum incurrit quis cum incidit in peccatum, etiam ſi nihil aliud deberet habere poſterius, ordinationem verò habet in eò, quod ſequens. hoc ipſo enim quod homo eſt in pecca-

Digitized by Google

to, dignus eſt dimitti cadere in aliud, iuxta illud Apoc. vlt. ſicut dicitur in Gloſ. iuſtum eſt. vt qui inſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, hæc D. B. V. ad verbum.

Concluſio. Peccatum ſequens, non modo cauſaliter, ſed etiam eſſentialiter, præcedentis peccati poteſt eſſe pæna. Auctoritates, quæ adducuntur à D. B. V. qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Glo. Iuſtum eſt, ſed eſſe in ſordibus, non eſt aliud, quam eſſe in peccatis, & ſordeſcere, non eſt aliud, quam peccare, ergo peccatum eſt meritum alterius peccati, ergo à relatiuis, peccatum ſequens eſt retributio præcedentis, ſed retributio peccati, non eſt, niſi pæna.

Secũdo item D. Gregorius, & ponitur in litera inter primum peccatũ apoſtaſiæ, & vltimam pęnam ignis æterni, media, quæ ſunt, & peccata ſunt, & pæna peccati.

Tertio item Iſidorus, Deus occultam ſuperbiam clericorum vindicat per manifeſtam luxuriam, ſed vindicta peccati, eſt pæna. ergo manifeſta luxuria eſt pæna pecati luxuriæ.

Quarto, item omne illud eſt peccati pęna, in quo homo damnificatur, & læditur, & in quod, per illud peccatum inducitur, ſed ſuperbus; hoc ipſo, quòd vult alium excellere, neceſſariò cadit in inuidiam quando videt, quod ab alio ſuperatur. Sicut enim dicit D. Aug. lib. de vera Religione neceſſe habet alij inuidere, qui non vult ab alio ſuperari, ergo videtur, quod inuidia ſit pæna ſuperbiæ, & inuidia abſq; dubio eſt peccatum. ergo peccatum eſt pæna peccati. Hec S. B. V.

Verb. Scoti ibi ad tertiam quæſt. in ord. Dico inquit Scotus, quod omne peccatum eſt pęna, & vnum peccatum poteſt eſſe pæna alterius. Primum probo, inquit, quia pęna formaliter eſt carentia boni conuenientis voluntati, & volenti. At rectitudo debita actui, eſt bonum, maximè conueniens, imò magis conueniens voluntati, & volenti, quam quodcumque aliud bonum, ergo carentia rectitudinis debitæ actui eſt pæna, & maxima pęna voluntatis, & volentis, ſed carentia rectitudinis debitæ actui eſt peccatum pro formali, ergo peccatum pro formali eſt pæna. Maior prob. ſuppoſito, quod diſtinguantur in voluntate affectio boni iuſti, & boni commodi, patet quod ablatio boni commodi, pęna eſt, patet, quia bonum commodi eſt conueniens voluntati, & volenti, ergo ablatio eius eſt pæna, patet mai. nam bonum iuſtitiæ, eſt bonum magis conueniens voluntati, quã bonũ commodi, per ſe ſolum cõſideratum; ergo carentia boni iuſtitiæ, eſt maior pæna, quam carentia boni commodi, ſed peccatũ eſt carentia boni iuſtitiæ, ergo peccatum non ſolum eſt pæna, ſed maior pęna, quam carentia boni commodi. Prob. min. Quod ſcilicet bonum

iuſti-

Digitized by Google

iuſtitiæ ſit bonum, & magis conueniens voluntati, & volenti, quam bonum commodi, ſic, quanto perfectibile eſt perfectius, & quanto perfectio ei correſpondens eſt perfectior, & melior, tanto maior eſt eorum conuenientia, & peior priuatio. Sed voluntas in quantum habet affectionem iuſtitiæ, ideſt in quantum libera eſt, loquendo de iuſtitia innata, eſt ſimpliciter nobilior ſe ipſa, in quantum habet affectionē cōmodi, & hoc conuenit ſibi ſimpliciter, ergo maior, & melior eſt conuenientia boni iuſtitiæ ad voluntatem abſolute, quam boni commodi, ad voluntatem igitur ablatio iſtius, ſcilicet boni iuſtitiæ, eſt ſimpliciter pœna, & maior pœna quam ablatio cuiuſcumq; boni commodi alterius à iuſtitia, & in hoc verificatur illud D. Aug. lib. confeſſionum. Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus pœna ſit ſibi, & lib. 3. de lib. Arb. Neq; enim ad momentum eſt dedecus culpæ, ſine dedecore iuſtitiæ. Hæc ex Scoto ſupra.

Not. quod voluntas duobus modis poteſt conſiderari, vno modo, vt eſt actiua, alio modo, vt eſt paſſiua. Primo modo eſt cauſa culpæ, & deficiens: Secundo modo eſt ſubiectum receptiuum culpæ, peccatum, ergo pro formali, ſiuè malitia peccati, quatenus eſt à voluntate, vt à cauſa actiua, ſed deficiente, eſt culpa, quia voluntas pertinet ad rectitudinem ſibi debitam, & voluit, & ideò hoc modo eſt voluntaria, & eſt culpa. Quatenus vero recipitur in voluntate, eſt ſimpliciter pœna, quia eſt priuatio, & corruptio iuſtitiæ, & rectitudinis, quæ eſt bonum, maximè conueniens voluntati. Si D. Th. intelligatur hoc modo, non eſt diſſentio inter ipſum, & Scotum:

Pro illo, quomodo vnum peccatum ſit pœna alterius peccati non relicto modo dicendi aliorum, qui Scoto videtur valde difficilis. Ponit propoſit. ipſe, & eſt talis.

Scotus ibi ſecundum probo ponit aliorum reſpond. Sicuti Deus propter peccatum commiſſum à voluntate creata, dum poſſit dare rectitudinem debitam, & non dat, eam priuat habitu gratiæ, & ſic priuatio gratiæ eſt pœna peccati: ità Deus propter eūdem defectūm poteſt ſubtrahere à voluntate creata ſuum auxilium ne agat ad rectitudinē actus ſecundi, quod tum non ſubtraheret, ſi nullum præceſſiſſet demeritum, qua ſubtractione poſita, voluntas incidit in peccatum, quia non poteſt tētationibus reſiſtere, & ita illa ſubtractio auxilij, eſt pœna peccati prioris, & quia ſecundum peccatum oritur ex ſubtractione huius auxilij, dupliciter peccatum dicitur pœna prioris peccati.

Sed iſte modus, vt videtur, eſt valde difficilis, quod ſcilicet in aliquo actu elicito carentia rectitudinis, poſſit eſſe ex parte Dei, non cauſantis, propter

Digitized by Google

propter demeritum alicuius peccati, tunc enim licet voluntas prius potuerit,non demereri,& tunc Deus ſibi effeciſſet,& quantum eſt ex parte Dei in actu ſecundo egiſſet ad rectitudinem,niſi in primo actu deuiaſſet, tamen,ex quo ſimul peccauit,ſi Deus in ſecundo actu nõ aſſiſtat ad cauſandam rectitudinem in eo videtur, quod illud peccatum, ex tunc non ſit in poteſtate volũtatis, ita quod ipſa tunc nõ poſſit nõ deficere, quod videtur inconueniens; hæc Scotus. Clarius, ſi Deus denegat ſuum auxilium neceſſarium, ad vitandum actum peccati, & faciendum actum bonũ,ergo actus peccati ſecundi non eſt in poteſtate voluntatis creatæ, quod eſt abſurdum, quia tunc non eſſet peccatum, quia tunc voluntas creata non poſſet non deficere, quia ſi non habet auxilium Dei gratuitum, & concomitans neceſſarium ſimpliciter ad faciendum bonum, neque ſine illo ſimpliciter poteſt operari bonum illo deficiente nullo modo poteſt efficere bonũ,ſed neceſſariò deficit. Nec valet ratio inſinuata, quod ſcilicet ſicut propter defectum voluntatis creatæ Deus ſubtrahit gratiam habitualem, quæ eſt pæna magna, ita poteſt ſubtrahere auxilium, & concurſum ſuum ad rectitudinem debitam,quia non eſt par ratio de vtroq; nam Deus non eſt pollicitus, quantum eſt de ſe, dare gratiam habitualem, ſemper ad quemcumq; actum, ſicut pollicitus eſt dare auxilium, ad rectitudinem cuiuſcumq; actus, vnde ſemper quantum eſt de ſe, in quolibet actu peccati, dat auxilium neceſſarium ad illud vitandum. Ex hoc habemus, quod diſcrimen eſt inter gratiam habitualem, & auxilium gratiæ, ideò poteſt dici aliter. hic ponebat Scotus modum dicendi perfectum, quod eſt,quod defectus ſecundus, ſiuè peccatum ſecundum,pro formali,eſt pæna primi peccati,quia priuat ſe bono maximè ſibi conueniente,priuat enim ſe rectitudine debita in eſſe actui, quæ eſt maximum bonum, vt dictum eſt.

Quomodo autem defectus ſecundi actus ſit pæna inflicta à Deo in pænã primi actus not.ex Scoto in reſp. ad primum princip. ibi.Ideò poteſt aliter dici, quod pæna accipitur, dupliciter, vno modo vt eſt ſolum carentia boni conuenientis naturę intellectuali, ſicut eſt carentia viſionis,& fruitionis Dei,& hæc eſt pura priuatio. Alio modo poteſt dici pæna aliquod poſitiuum,& tamen diſcõueniens tali naturæ. Sicut calor excellens eſt aliquod poſitiuum diſconueniens carni. Omnes pænæ ſecũdo modo dictę poſſunt poni à Deo,quia ſunt aliqua poſitiua, & de iſtis debet intelligi illud primi retract. c.25. in bonis operibus Dei, bona opera ſunt iſta punitiua, licet ſint mala iſtis punitis, quia diſconueniunt eis. Sed pęnę, primo modo non ſunt à Deo efficiente, quia non ſunt effectibilia,nec deficiente primo, ſed tantum propter demeritum volunta-

tis

tis in actu peccati, nou coagendo voluntati nunc ad illud bonum habendum, ad quod operatus fuiſſet, quantum eſt ex ſe, talis ergo pæna eſt à Deo non infligente, vel efficiente, nec deficiente primo, ſed deſerente, ideſt naturam, quæ deficit, relinquente in ſuo defectu, & in omnibus defectibus conſequentibus ad illud defectum, vbi includuntur multæ carentiæ perfectionum conuenientium tali naturæ.

Sic ergo pæna, quæ eſt peccatum, uon eſt à Deo efficiente, vel deficiente primo, ſed tantum eſt à Deo deſerente voluntatem, ratione primi demerti, quæ deſerta a Deo, cadit in ſecundum demeritum. Hęc Scotus ad verbum, vnde ad propoſitum eſt illud D. Greg. peccatum, quod per pænitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit. *Concluſio.*

Not. quod omnia mala ideſt pęnę; quas Deus facit, vel permittit fieri eidem culpę ordinantut in aliquod bonum, nō tamen ſemper in bonum illius, in quo eſt malum, ſed quandoq; in bonum alterius. Vel etiam in bonum communitatis totius vniuerſi, ſicut culpam tyramnorum, ordinat in bonum martyrum, & pænam damnatorum, ad gloriam iuſtitiæ ſuæ, & tamen ratione iuſtitiæ ſuæ, vel propter bonum, quod inde prouenit, Deus delectatur in perditione malorum, non autem, quantum ad perditionem: ſed ratione iuſtitię ſuę, vel propter bonum, quod inde prouenit D.Th. 1.2. q.79. art.4. ad 1. & 2.

Ad illud non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona. Rom. 3. Dicendum, quod intelligitur de malis culpæ, quæ non ſunt facienda, vt inde veniant bona. Sed mala pænæ ſunt inferenda prooter bonum. D. Tho. ſupra ad vltimum.

Hæc de cauſis extrinſecis mouentibus, ſiuè inducentibus ad peccandum.

De cauſis inducentibus interius.

NOt. quod cauſę inducentes internę ſunt triplicis generis, quędam ſe tenent ex parte rationis .i. intellectus; quędam ex parte appetitus ſenſitiui; quędā verò ex parte voluntatis, deducitur ex dictis, ex parte intellectus, cuius eſt cognoſcere, & ſcire, eſt ignorantia. Ignorantia conſideratur dupliciter, prop. & communiter; ſtrictè, & largè; ignorantia propriè dicit priuationem ſcientię, communiter adhuc dupliciter quandoq; enim dicit ne ſcientiam, quæ importat negationem ſcientię, & ſic ſecundum Theologos, in Angelis poteſt eſſe ignorantia, ſed eorum, quę quis, non tenetur ſcire, quandoq; dicit errorem, & hęc conſtituit conſciētiam erroneam, quando ſcilicet aliquis indicat, rem aliter eſſe, quàm

ſit,

ſit, & dicit habitum ſcientiæ falſæ; vnde communiter dicitur, quod ignorantia eſt triplex, pure negationis, priuationis, & prauæ diſpoſitionis; ignorantia pure negationis, negat ſcientiã, non tamen ponit aptitudinẽ, ad ſciendũ, vt in brutis, & in lapide &c. ignorantia priuationis, ſiuè priuatiua, negat ſcientiam, ſed ponit aptitudinem ad ſciendum: prauæ diſpoſitionis ponit errorem ſcientiæ contrarium, in præſenti eſt ſermo de ignorantia propriè, prout ſcilicet eſt priuatio ſciẽtiæ, poſſibilis tamen acquiri, & hęc in genere eſt triplex, bona, mala, nec bona, nec mala. Ignorantia bona eſt, qua, quis ignorat ea, quæ ſi ſciret, poſſent eſſe illi occaſio peccati. Ignorantia mala eſt; qua, quis ignorat ea, quæ ſcire tenetur. Nec bona, nec mala eſt, qua quis ignorat, quæ ſcire alicui, nec expedit, nec tenetur ſcire, cuiuſmodi ſunt locutiones, & particularia facta hominum, quæ ad ſe, nullo modo pertinent. Sermo eſt de ignorantia mala.

Triplex bona, mala, nec bona nec mala.

Not. quod ignorantia mala diſtinguitur tripliciter. Primo ex parte obiecti, ideſt rei ignoratæ; ſecundo ex parte actus, quem ignorans elicit, vel imperat. Tertio ex parte ſubiecti, ideſt ignorantis. Ex parte obiecti eſt duplex, ſcilicet iuris, & facti. Ignorantia iuris dicitur, quando lex, vel prohibitio ignoratur, vt cũ quis ignorat accedere ad vxorẽ non ſuã, eſſe illicitum. Ignorantia facti, quãdo, non ipſum ius, ſed factum ignoratur, vt ſi quis ignoret illam, ad quam acceſſit, non eſſe ſuam, vt contigit Iacob. Ignorantia iuris eſt multiplex, ſicut multiplex eſt ius, quod ignoratur, ſeù ignorari poteſt, eſt enim ius aliud Diuinum, aliud humanum. Diuinum duplex, naturale, & poſitiuum: humanum duplex canonicum, ſiuè Eccleſiaſticum, & ciuile, ſiuè poſitiuum.

De mala.

Ignorantia facti, etiam diuiditur, ſicut factum, eſt autem multiplex factum. Aliud enim eſt neceſſarium ad ſalutem, vt ſunt articuli Fidei. Aliud eſt neceſſarium ad officium, item factum eſt duplex proprium, & alienum; ex parte actus eſt triplex antecedens, concomitans, & conſequens; ignorantia antecedens eſt, quæ præcedit omnem actum voluntatis, itaq; nullo modo eſt volita, nec explicitè, nec implicitè, ſeù virtualiter; & hæc inculpabiliter priuat cognitione, & ſcientia malitiæ, actus, quã cognita non fieret: eſt enim cauſa volẽdi, quod aliquis homo non vellet, ſicut cum quis ignorat aliquam circunſtantiam actus, quam ſcire non tenetur, & ex hoc aliquid facit, quod non faceret ſi ſciret, puta cum adhibita diligentia proijciens Sagittam, interficit tranſeuntem, neſciens aliquem tranſire; qui ſi id nollet non proijcéret.

Not. Quod dicitur antecedens, non reſpectu eius quod ex ignorantia tanquam ex cauſa, fit, ſic enim omnis ignorantia, quæ eſt cauſa actus, diceretur antecedens cum cauſa, effectum antecedat; ſed antecedens dicitur

Digitized by Google

citur reſpectu liberæ voluntatis, vtpotè, quæ, nec directè, nec indirectè, eſt voluntaria, & ita, omnem voluntatis actum antecedit; vnde hæc ignorantia eſt cauſa peccati, ſolum materialiter, ideſt actus, qui ex ſe erat peccatum, ſed ratione illius ignorantię excuſatur à formali malitia actus.

Ignorantia concomitans eſt, quę ſimul eſt cum actu, nec illius eſt cauſa, nam dato, quod ipſa non eſſet, adhuc actus fieret; & iſta non eſt cauſa actus, nec volita, tamen ſi fuiſſet cognita res ignorata adhuc illud fieret, vt cum quis occidit inimicum ignorans eſſe inimicum, quem tamen, ſi ſciuiſſet eſſe inimicum, nihilominus occidiſſet; & ſic intelligitur illud Phil. 3. Ethic. c. 1. dicentis diuerſum eſſe, ex ignorantia, & ignoranter agere; ex ignorantia enim dicitur aliquid fieri, quando ignorantia eſt cauſa actus; ignorãter autem, quando ignorantia non eſt cauſa actus, ſed actum concomitatur.

Ignorantia conſequens peccatum eſt duplex, alia ſubſequitur, tanquã pena peccati, vt contigit in Adamo, qui peccando ignorantiam incurrit; & hęc non eſt peccatum, quia, vt dicit D. B. V. in 2. d. 22. ar. 3. q. 2. eſt in nobis, ſed non à nobis, ideò ipſa non meremur, nec demeremur, ſed eſt pæna peccati primi parentis.

Alia ſubſequitur actum voluntatis, quæ eſt voluntaria, ideſt cauſata ab actu voluntatis, & de hoc inf. cum ex parte obiecti. Conſequens eſt cauſa peccati formaliter, quia ab actu malitiæ non excuſat.

Antecedens cauſat inuoluntarium ſimpliciter, concomitans non inducit ad volendum, ſed accidit, ſimul eſſe factum, & ignoratum, & non facit inuoluntarium, quia nihil cauſat repugnans voluntati, ſed nec facit voluntarium, quia ignoratum non poteſt eſſe volitum. Conſequens non cauſat inuoluntariũ ſimpliciter, quia eſt voluntaria, ſed ſecundum quid.

Ex parte ſubiecti, ideſt ignorantis eſt multiplex ſecundum diuerſos gradus negligentiæ, & culpæ, in ſciendo ea, quæ ſunt iuris, & facti, quædam enim dicitur affectata, quædam non affectata. Affectata dicitur cum quis, data opera ignorare vult, ne retrahatur ab actu, quem exequi optat, eſt ergo illa, quam voluntas vult, & affectat, vt per eam habeat excuſationem peccati, vel, vt non retrahatur à peccando, iuxta illud Iob c. 21. n. 14. Dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus; & eſt affectata, nota, & volita, ideſt qua, quis non vult ſcire quod tenetur ſcire, ſed placet ipſum neſcire, vt liberius peccet, conſcientia non repugnante.

Non affectata, eſt, quando quis non eligit ignorare, ſed culpabiliter ignorat, hæc eſt duplex, vincibilis, & inuincibilis: inuincibilis eſt, quæ

E huma-

humano ſtudio, eſt inſuperabilis, & hoc dupliciter. Siuè, quia nullo modo ſuperari poteſt, ſiuè, quia ſuperari poteſt, ſed cum maxima difficultate; vnde, dubitans, & conſulens viros doctos, falſe conſulentes, laborat, hoc modo, hac ignorantia.

Vincibilis eſt duplex, quædam dicitur craſſa, & ſupina, quædam non ſic: craſſa, & ſupina dicitur illa, qua, quis poteſt ſcire aliquid, & debet illud ſcire & tamen negligit ſcire; dicitur craſſa, quando ex deſidia oritur, ſumpta metaphora ex hominibus craſſis, & pinguibus. qui deſides eſſe ſolent; dicitur ſupina, quando oritur, ex nimia circa alia ſollicitudine, ac modica ignorantiæ vincendæ, cura inſtar ſupine in lecto iacentium, quaſi nihil de rebus curantium; eſt ergo craſſa, & ſupina illa, qua quis ſcienda non ſcit, ex negligentia lata, ſiuè latæ culpæ, vt quando non ſcit publica, & manifeſta, quæ omnes ſciunt; qua ſcilicet poteſt quis ſcire aliquid, & debet illud ſcire, & tamen negligit ſcire, & hæc voluntaria indirectè, quia, cum quis poſſino, & debet ſcire aliquid & tamen non ſcit, imputatur ſibi, quod nolit ſcire.

Non ſupina eſt duplex, quædam improbabilis, quædam probabilis; improbabilis eſt, qua, quis ignorat probabile, ideſt illud, quod omnes, vel maor pars ciuium ſcit. Probabilis eſt illa, qua quis ignorat improbabile, ideſt illud, quod omnes, vel maior pars ignorat; & iſta quandoque procedit ex leui, quando ex leuiſſima, quandoque ex nulla negligentia addiſcendi.

Not. Quod præter prædictas eſt ignorantia prauæ electionis, ſecundum quam omnis malus dicitur ignorans, illa ſcilicet, qua, id, quod in vniuerſali ſcitur eſſe malũ, in particulari putatur bonum, & hęc propriè non eſt ignorantia, ſed inconſideratio veniens ex cauſa peccati, ideſt ex habitu, vel paſſione, vel aliquo ſimili prohibente rationem à conſideratione actuali.

Not. ſecundo, Quod ignorantia inuincibilis, quæ, & antecedens, & inculpabilis, iuſta, & inuoluntaria dici ſolet, eſt duplex, quædam, quæ, nullo modo vinci poteſt, & dicitur inuincibilis ſimpliciter, vt dictum eſt ſup. quædam dicitur probabilis, quæ licet vinci poſſit, ſi adhibeatur maxima diligẽtia, adhibita tamen rationabili, non vincitur, & dicitur inuincibilis, ſecundum quid; hęc dupliciter poteſt eſſe inuincibilis, vel in ſe, & ſecundum ſuas cauſas, vel in ſe, ſed non ſecundum ſuas cauſas; exemplum ſecundi; cum ebrius, qui ſe inebriat, vt occidat hominem, quando occidit, eſt inuincibilis in ſe, quia ignorat tunc ſe peccare, non tamen in ſua cauſa, quia voluit ebrietatem. Exemplum primi, cum amens occidit, quia amens in ſe, & in ſua cauſa ignorat inuincibiliter homicidium eſſe peccatum.

Vinci-

Vincibilis, quæ etiam conſequens dicitur, & vinci poteſt, & debet, eſt etiam, & ipſa duplex; quædam dicitur directe volita, cum quis ex propoſito vult ignorare, vt ille, qui, vt legem ignoret, expreſſe vult, aut non legere, aut non audire, aut non inquirere, vt ſunt illi, qui dicunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Iob xxj. de quibus in Pſ.xxxj. noluit intelligere; vt bene ageret. & hæc dicitur affectata, vt dictum eſt.

Dicitur ergo ignorantia vincibilis illa, quæ adhibendo diligentiam debitam, & quam homines, ſui ſtatus, & conditionis, adhibere ſolent. vincere poteſt: quędam eſt indirecte volita, & hęc prouenit tantum ex negligentia addiſcendi, vt cum quis facile cognoſcere poſſet, nullam tamen diligentiam adhibet: vt diſcant, & hæc, vt dictum eſt, dicitur craſſa, & ſupina.

Hinc habemus quod duobus modis huiuſmodi ignorantia poteſt eſſe voluntaria, vno modo directe; alio modo indirecte: directe eſt tunc, quando actus volu ntatis fertur in ipſum ignorare, vt cum quis ignorati quia vult ignorare, vt excuſationem peccati habeat, vel, vt non retrahatur a peccato, iuxtà illud Pſ. ſup. Noluit intelligere vt benè ageret. Et hæc ſiuè iuris, ſiuè facti affetata.

Secundo modo. Scilicet indirectè voluntaria dicitur, quando quis poteſt, & debet, aliquid ſcire, vel conſiderare, & non ſcit, neque conſiderat; quæ interdum oritur ex paſſione, non omnino ligante rationem; interdum, ex negligentia, cum quis non curat habere ſcientiam, quam debet & poteſt habere. & dicitur craſſa leuis, leuiſſima.

His præmiſſis

DIco primo. Ignorantia inuincibilis antecedens, ſiuè iuris, ſiue facti excuſat omnino à culpa, actus, cuius eſt cauſa. ratio, quia quid quid eſt omninò inuoluntarium àculpa vacat, at huiuſmodi eſt volitum per ignorantiam talem, quia ſi ſit facti, reddit actum omnino inuoluntarium; ſi verò ſit iuris reddit actum inoluntarium; vt malum, & prohibitum, quia ignorantia talis eſt, qua, homo, abſque vlla culpa, ignorat opus, aut eius malitiam, nullo modo facturus ſi noſſet; ſecundo cum conſcientia ſit proxima bonitatis, aut malitiæ humanarū actionum regula, quando hæc iuuincibiliter, & per conſequens prudenter. aliquid non eſſe illicitum dictat, inpoſſibile eſt, culpam admitti.

Not. Quod id; quod dicitur de ignorantia, habent locum etiam de in aduertentia, ſeu inconſideratione, & obliuione actuali, quia ignorantia

non differt ab inaduertentia, ſeu obliuione actuali, quoad excuſandum à culpa, diſtinguntur enim, quia ignorantia habitum, inaduertentia actum importat, quia inaduertentia, & obliuio etiam reddunt actum inuoluntarium.

Not. ſecundo, quod hoc eſt verum, quando tota actus malitia inuincibiliter ignoratur, quia ſi pars malitiæ cognita ſit, aut vincibiliter ignorata, culpæ imputabitur, ex. gr. cognoſcens fœminam, quam non eſſe ſuam culpabiliter ignorat, ſed inuincibiliter ignorat eſſe conſanguineam, peccabit peccato fornicationis, nō tamen peccato inceſtus D. Th. 1. 2. q. 76. art. 3. Sciendum tamen, quod plurimi ruſtici, fornicantes, & furantes non excuſantur a p. m. eò quod, id eſſe mortale ignorent; nam ad pec. m. ſufficit intelligere rationem culpæ, quæ ſimpliciter culpa ſit, qua cognita, etſi inuincibiliter eius ius ad deſtruendam gratiam, & ius ad gloriam, ac diſcrimen inter mortale, & veniale ignoretur, Satis eſt ad p. m.

Dico ſecundo. Ignorantia concomitans inuincibilis excuſat prorſus à malitia obiecti, ſic inuincibiliter ignorata, ideſt illa ignorantia, qua non obſtante adhuc peccatum committeretur, ſi ſcientia adeſſet, quantum eſt de ſe, nec peccatum eſt, nec accuſat, nec excuſat, ideſt nec diminuit, nec auget peccatum, vnde habet omnino ſe per accidens, & impertinenter, reſpectu illius actus qui fit, quia hæc ignorantia non facit inuoluntarium contrarie. D. Th. 1. 2. q. 6. art8. Ariſt. 3. ethic. c. 3. vtpote, quæ non eſt cauſa alicuius ipſi voluntati repugnantis, ſeu ab ipſa amati, ſed ſolum facit inuoluntarium negatiue; ideſt non voluntarium, quia volitum actu eſſe non poteſt quod ignoratum eſt. Item, quia circunſtantia augens, vel minuens culpam, aut ab ea axcuſans, debet per ſe ad actionem pertinere, ſed ignorantia concomitans ad eam actionem ſe habet per accidens, vt dictum eſt Sup:

Dub. vtrum affectus, qui adeſt cum ignorantia, ignorantia inuincibili concomitanti, ſit peccatusm

Reſpo ndetur dicendum quod triplex eſſe poteſt diſpoſitio operantis cum hac ignorantia, prima eſt habitualis tantum, vt ſi in ea voluntate habituali eſſet, vt hoſtes primum vellet, occidere, ſed tunc, cum ſaggittam proijcit non habet actu eam voluntatem.

Secuuda eſt quando in eo actu habet voluntatem actualem occidendi hoſtem, ſi ibi adeſſet, ſed credens iuuincibiliter eſſe feram, ſaggittam proijcit, ita cogitatio illa, aut prauus animi affectus, ſolum comitetur actum externum, quo hoſtis occiditur, ac per accidens cum eo coniungatur, nequaquam mouens ad proicijendum ſaggittam.

Ter-

Digitized by Google

Tertia diſpoſitio eſt, quando is ignorans mittens ſagittam, voluntatem actualem haberet interficiendi quemcumq; in ſuo conſpectu, ſiuè ſit hoſtis, ſiue fera.

Prima diſpoſitio prorſus excuſat ab omni, etiam homicidij interni cul pa, quia per diſpoſionem habitualem non peccatur formaliter, donec ea in actum prodeat. Franc. Suarez diſp. 4. ſect. 8. n. 6. tom. 5.

Secunda diſpoſitio, &c. Tunc etiam externus homicidij actus, culpa prorſus vacat; & ſola homicidij interni culpa admittitur, quia praua illa voluntas in actum externum non influit, nec hic ex prauo voluntatis imperio originem habet, ſed ex ſola feram occidendi voluntatè, quæ mala non eſt. Ftanc. Suarez.

Tertia diſpoſitio culpa non vacat, ſed occidens eſt reus illius homicidij externi, quia cum voluntatem habeat actualem occidēdi quidquid videt, quamuis putet, id inuincibiliter eſſe feram, cognoſcit expreſsè hoſtis occiſionem, & illam vult, etſi hoſtis homicidium inde ſecuturum, ignorat. Fr. Suar. n. x.

Dico Tertio. Ignorantia conſequens ſi ſit voluntaria directè, & affectata, auget peccatum Si ſit craſſa, & ſupina, neq; excuſat à peccato, neq; eouſq: minuit peccatum, vt quod, alioquin fuiſſet mortale, ſit propter ip ſam veniale. Si ſit voluntaria indirectè, non tamen grauis interueniat ne gligentia in cognoſcendo, & quæ difficile vinci poteſt, tunc aliquando cauſa eſſe poteſt, vt peccatum, quod alias eſſet mottale, propter ipſam reddatur veniale.

Dico quarto. Quaudo circa factū particulare, & illius circūſtantias cōtingat ignorātia, & inaduertentia inuincibilis humano ſtudio, illa ex cuſ. pōt. à pec. Exempl. ſi quis alioquin timoratæ conſcientiæ firmū propoſitū habeat nullo modo peccandi, & debitam ahibeat diligētiam ad ſciēdū quę tenetur ſcire, aut facere quod facere debet, ſi fortè ex obliuio ne (quā ſimpliciter loquendo poterat vincere) aliquid conſulit, aut cōmittit, quod videatur eſſe pec. mor. ab omni peccato excuſatur.

Dico quinto. Ignorantia, inuincibilis pænæ non excuſat formaliter, & directè à culpa, quia ignorantia, non aliter excuſat, niſi vt aufert, aut minuit voluntarium, ſed ignorantia pænæ non facit eſſe minus voluntariam culpā ignoratam directè, & formaliter, nec erit ergo minus imputabilis; indirectè autem, & quaſi per accidens minuitur non nihil culpa, quia ignorata pæna, non ita grauitas culpæ cognoſcitur.

Not. & habetur ex dictis, quod illa ſola circūſtantia in facto excuſatur, vel minuitur propter ignorantiā, quæ ignoratur, non autem aliæ circunſtantiæ facti, quæ cognitæ ſunt. ex. gr. occidit quis hominem nocte, quem igno-

ignorabat eſſe clericum, nouerat tamen eſſe hominem, huiuſmodi ignorantia licet excuſet à ſacrilegio, non tamen ab homicidio, imò nec homicidij peccatum inde minuitur, cum reſpectu homicidij, nulla interueniat ignorantia.

Dub. quomodo ignorantia, quacumq; illa ſit, ſiuè affectata, ſiuè craſſa, & ſupina, poſſit eſſe peccatum, cum ignorantia prop ſit in intellectu quia opponitur ſcientiæ, quæ eſt in intellectu, in eodem n. ſub ecto ſunt habitus & priuationes illis oppoſita, & peccatum non ſit, niſi in voluntate, quia peccatum, ideò peccatum, quia voluntarium.

Reſpond. dicendum, quod duobus modis poſſumus conſiderare peccatū, vnomodo formaliter, alio modo materialiter, termini patent ex dictis. Hoc ſtante dico quod formaliter eſt in voluntate; in alijs potentijs materialiter, & per participationem, ſola enim voluntas eſt principium liberum, ideò omnes actus aliarum potentiarum, ſubſunt voluntatis imperio, & propterea omnis carentia rectitudinis, & obliquitatis in illis imputatur voluntati: ideò ignorātia ſecundū ſe eſt peccatum materialiter, vt eſt in intellectu; vt autem ſit peccatum formaliter, hoc habet à voluntate, quod ignorantia ſit peccatum, prob. ex eo, quia eſt contra præceptum, quo vnuſquiſque obligatur ad ſciendum ea, quæ pertinent ad ſalutem conſequendam, vnum autem mediū inter ea, quæ ducunt ad ſalutem, eſt cognitio eorum, quæ ſunt vnicuiq. ad ſalutem neceſſaria. Sic R. ad dub. Dicunt enim nonnulli, ignorantiam eſſe pœnam, & effectum peccati ſecundum ſe, non autem culpam, dicunt enim culpam conſiſtere in negligentia ſciendi, & addiſcendi, huiuſmodi negligentia, eſt in voluntate.

Scot. in 2. d. 24. §. ad q. illas.

Dub. Vtrum ignorantia ſit ſpeciale peccatum diſtinctum à peccato quod ex ignorantia committitur?

Reſp, Dicendum, quod aliqui dicunt, quod ſunt duo; Alij quod vnum tantum, ſcilicet homicidij; ex. gr. Dicendum ergo quod eſt ſpeciale peccatum, quia opponitur charitatis præcepto, quo vnuſquiſq; tenetur diligere ſe ipſum, & conſequenter ordinare per illa media, quæ ducunt ad ſalutem, quorum vnum eſt cognitio eorum, quæ ſunt media ad ſalutem neceſſaria vnicuiq; vt dictum eſt; tamen non facit duo peccata cum actu particulari, quod ex illa fit, vt, cum quis ex ignorantia affectata occidit aliquem, homicidium illud non eſt duplex peccatum, ſcilicet

cet

cet ſemel propter homicidium,& ſemel propter ignorantiam,quia igno rantia non eſt circunſtantia,quæ det propriam malitiam illi actui,ſed nihil aliud facit in illo actu,niſi, quod non excuſat a peccato, & tamen, ſi non eſſet culpabilis, excuſaret.

Dub. quid nam facere debeat quis, vt ignorautia dicatur inuincibilis.

Reſp. Dicendum, quod aliqui dicunt, ſatis eſſe, ſi conſulat Doctorem. Alij dicunt, ſi ignorantia verſetur circa ius humanum, ſatis eſſe conſulere peritos in illa re; ſi autem verſetur circa ius Diuinum, illud non ſufficere, ſed adiungendam eſſe conuerſionem,& pænitentiam, & ſe diſponere ad gratiam. Quid ergo? Dico plura.

Dico primo, quod non requiritur, vt quis faciat totum id,quod poteſt ad illam vincendam, quia ſi ſic,nulla daretur ignorantia inuincibilis.

Dico ſecundo, quod non tenetur ad hoc, vt vitet ignorantiam,facere totum illud, quod tenetur facere ſimpliciter, ideſt ſeruare totam legem Dei.

Dico tertio, quod tenetur, eam diligentiam humanam, & moralem adhibere,quam vir prudens adhibendam iudicaret, conſiderata rei grauitate,& periculis & alijs circunſtantijs, tàm rerum; quàm perſonarum.

Tãdẽ ſi ſit ignorantia facti, ſatis eſt adhibere aliquam diligentiam, ſi de iure naturali, vel poſitiuo,ſatis eſt, vt quis adhibeat diligentiam moralem,pro qualitate materiæ.In his, quæ ſunt iuris Diuini,non eſt neceſſe adhibere pænitentiam,vt illa ignorantia ſit ſine culpa, tùm quia multi etiam poſt pænitentiam, retinent ignorantiam; tùm quia adhuc. Deus dedit Eccleſię Doctores & conſilia,vt in dubijs ad eos recurramus.Tertio,quia ſi ſic,ſemper eſsent expectanda miracula,quod non eſt verum. -- aliquo tamen caſu,dicendum,neceſsariam eſse pænitentiam,& recur- .. Deum vt tempore ſchiſmatis,vel quando idiotæ audiunt errores circa Fidem, vel quando quis ex prauo affectu hæret alicui opinioni.

Dub. Vtrum ignorantia inuincibilis iuris, & facti ſemper excuſet?

Vpponitur ex dictis ignorãtiam iuris eſse ignorantiam legis,vel præcepti,quo aliquid prohibetur,ne fiat,vel præcipitur,vt fiat;ignoranam facti,eſse illam,qua ignoratur id; quod eſt prohibitum, vel pręceum. Ità ſupponitur etiam ex dictis ignorantiam inuincibilem dici ilm,quæ ſuperari non poteſt adhibito quocumque ſtudio, & diligentia. rtio ſupponitur ius,ſiuè legem eſse triplicis generis.Iuris poſitiui,Iunatutalis, & iuris humani de vnaq; lege intelligitur Dub.

Quan

De Fidelibus.

QVantum ad Fideles datur ignorantia inuincibilis aliquorum myſteriorum Fidei, ait Scotus in tertio diſt. 25.q.j. & alij ibidem. D. Th. 2.2.q.2.a.7. aſſerit Fidem infuſam de omnibus credibilibus ſemper fuiſſe, & eſſe omnibus neceſſariam, ſimiliter fuiſſe, & eſſe neceſſariũ habere actum implicitum de omnibus credibilibus. Sed loquendo de actu explicito dicunt, non fuiſſe, nec eſſe neceſſarium omnes habere actum explicitum de omnibus credibilibus. Sed diſtinguunt, quod ſimplices in Eccleſia tenentur ad habendum actum explicitum circa illos articulos, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur, & proponuntur cõmuniter ab Eccleſia Fidelibus, & maximè circa eos, qui ſunt faciles captu; circa alios articulos, & maximè difficiles ſufficit, quod habeant actum explicitè in generali, ſcilicet quod credant, quod credit Eccleſia, ratio Scoti, quia nemò ad impoſſibile tenetur, ſed eſt impoſſibile, quod ſimplices habeant cognitionem diſtinctam omnium Articulorum Fidei, cum multorum illorum neq; terminos cognoſcant ſimplices. In his ergo ſimplicibus datur ignorantia inuincibilis, quæ illos excuſat a peccato.

Addunt alij, quod ſimplices excuſantur ab ignorantia, quorumdam Articulorum, etiam facilium, quia nec à Parochis, nec à Parentibus, circa illos iuſtruuntur; neq; alios adire, vel poſſint, vel ſciunt qui illos in ipſis inſtruant, vt ſunt quidam ruſtici, vel agreſtes in ſyluis, & montibus nutriti.

Maiores verò in Eccleſia tenentur ſcire omnes Articulos diſtinctè. ratio eſt, quia niſi maiores ſcirent omnes Articulos, & Fidem rectam, facilè Fides ſimplicium deficeret; Vnde S. Aug. lib. xjv. de Ciuit. Dei cap. j. citatus à Scoto, ait, aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt. Aliud eſt ſcire, quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur.

Ad Scotum in 4.d. 6.q. 8. vbi eſt ſermo de pęna rebaptizantis, & videtur aſſerere, ignorantiam iuris Diuini nullum excuſare ab eius obſeruatione, & proinde, nullam eſſe iuris Diuini ignorantiam inuincibilem.

Dicendum, quod ibi Scotus loquitur de lege pertinente ad ſtatum proprium Parochi, & habentis curam animarum, ideò ignorantia illa non poteſt eſſe inuincibilis, ideò dicit, quod non excuſat.

F *De igno-*

Digitized by Google

De ignorantia iuris Diuini, vt habet D. Thomas, Bonauentura, & Scotus.

VErba D. Th. 2. 2. q. 2. art. 7. in corpore, illud prop. & per ſe, pertinet ad obiectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur, via autem hominis veniendi ad beatitudinem, eſt miſterium Incarnationis, & Paſſionis Chriſti. dicitur enim Act. 4. non eſt aliud nomen, ſub Cælo, datum honoribus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & ideò miſterium Incarnationis Chriſti, aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes, diuerſimodè tamen, ſecundum diuerſitatem temporum, & perſonarum, nam ante ſtatum peccati, homo habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundum quid ordinabatur ad conſumationem gloriæ, non autem ſecundum quid ordinabatur ad liberationem à peccato, per Paſſionem, & Reſurrectionem, quia homo non fuit præſcius peccati futuri, videtur autem Incarnationis Chriſti, præſcius fuiſſe per hoc, quod dixit propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit vxori ſuæ; vt habetur Gen. 2. & hoc Apoſtolus ad Epheſ. v. dicit ſacramentum magnum eſſe, in Chriſto, & Eccleſia, quod quidem Sacramentum non eſt credibile, primum hominem ignoraſſe, poſt peccatum autem fuit explicitè creditum myſterium Incarnationis Chriſti, non ſolum, quantum ad Incarnationem, ſed etiam, quantum ad Paſſionem, & Reſurrectionem, quibus humanum genus a peccato, & à morte liberatur. Aliter enim non præfiguraſſent Chriſti Paſſionem, quibuſdam ſacrificijs, & ante legem, & ſub lege quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum, explicitè maiores cognoſcebant, minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credentes, ea diuinitus eſſe diſpoſita, de Chriſto venturo quodammodo habebant velatam cognitionem, & ea, quæ ad Chriſti myſteria pertinent, tantò difficilius cognouerunt, quanto à Chriſto remotiores fuerunt, & tantò facilius cognouerunt, quantò Chriſto propinquiores fuerunt; poſt tempus autem gratiæ reuelatæ, tàm maiores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de myſterijs Chriſti præcipuè, quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publicè proponuntur, ſicut ſunt articuli Incarnationis; Alias autem ſubtiles conſiderationes circa Incarnationis articulos, tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere, ſecundum quod conuenit ſtatui, & officio vniuſcuiuſque.

Not. ex eod. D. Th. ad 3. princip. quod multis Gentilium facta fuit reuelatio de Chriſto, vt patet per ea, quæ prædixerunt, nam Iob. xjx. dicitur: Scio, quod Redemptor meus viuit. Sibylla etiam prænunciauit quædam de Chriſto, vt Aug. dicit. Inuenitur etiam in hiſtorijs Romanorum,

rum,

rum, quod tempore Conſtantini Auguſti, & Helenæ matris eius, inuentum fuit quoddam ſepulchrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat, Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O ſol, ſub Helenæ,& Conſtantini temporibus, iterum me videbis. Si qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſq; fide mediatius, quia & ſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in Diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos, & ſecundum quod, aliquibus veritatem cognoſcentibus, ſpiritus reuelaſſet, ſecundum illud Iob, 35. Qui docet nos ſuper iumenta terrę; hęc D. Th. ad verbum.

Idem D. Th. q. x. art. 1. de infidelitate. Infidelitas dupliciter accipi poteſt; vno modo ſecundum puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc ſolum, quod non habet fidem. Alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem, quia ſcilicet aliquis repugnat, fidei auditui, vel etiam contemnit ipſam ſecundum illud Iſaiæ 53. Quis credidit auditui noſtro? & in hoc prop. perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum; ſi autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pænæ, quia talis ignorantia Diuinorum, ex peccato primi Parentis conſecuta eſt; qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem damnantur, propter infidelitatis peccatum, vnde Dominus dixit Ioannis 15. Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. quod exponens Aug. dicit quod loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum. hæc. D. Th.

Verba D. B. V. in 3. ſent. diſt. 25. p. 1. art. 1. q. 2. poſt lapſum Adæ, nullus ſaluari potuit abſq; fide mediatoris, nullus enim ab illo peccato Originali poterat liberari, niſi in illum mediatorem crederet, vel ipſe pro ſe, ſi eſſet adultus, vel alius pro ipſo, ſi eſſet paruulus; ratio huius eſt, quia cum gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta ſit, & liberatio ab illo peccato Originali ſit per merita, & merita Chriſti non ſe extendant, niſi ad illos, qui efficiuntur eius membra, & ei copulantur per fidem, vel Fidei ſacramentum, ſic & impoſſibile fuit tunc, aliquem, poſt lapſum peruenire ad ſalutem, qui aliquo modo in Chriſtum mediatorem non crederet.

Ideò autē dico, aliquo modo, quia fides mediatoris poteſt haberi dupliciter, videlicet implicitè, & explicitè: explicitè, vt ſi quis crederet filium Dei aſſumpturum noſtram humanitatem, naſciturum de Virgine, paſſu-

rum in Cruce, reſurrecturum tertia die, & hoc modo explicitè credere non erat omnibus opportunum, ſed ijs ſolum, quibus erat à Deo reuelatum, ſicut Sanctiſſimis Patribus. Implicitè verò credere eſt credere Redemptorem venturum taliter, & eo modo, qualiter, & quomodo illi credebant, quibus à Domino eſt reuelatum, & hoc quidem erat omnibus opportunum. *Concluſio.* Concluditur ergo, nullus poſt lapſum, abſq; mediatoris fide ſaluari potuit, ſaltem implicitè, licet explicitè non tenerentur credere, niſi ij, quibus erat reuelatus. Prob. ratione, Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ, ergo nullus poteſt ſaluari, niſi fiat membrum Chriſti, ſed membrum Chriſti non poteſt quis fieri, niſi credat in Chriſtum, ergo ſine fide mediatoris, nullus vnquam ſaluari potuit.

Item, nullus potuit ingredi Cælum, niſi aperta ianua, ſed ianua non potuit aperiri niſi per Paſſionem Chriſti, ergo nullus potuit ſaluari, niſi meritò Paſſionis Chriſti, ſed meritum Paſſionis Chriſti non valet niſi ijs, in quibus habitat Chriſtus, ſi ergo Chriſtus inhabitat per fidem, & charitatem, quæ habetur ad ipſum, impoſſibile fuit aliquem ſaluari ſine fide mediatoris.

Item, nullus poteſt peruenire ad ſalutem, niſi qui ſperat, ſed nullus rectè ſperat, niſi qui credit, ad ſalutem ſe peruenturum per merita, quia ſpes procedit ex gratia, & meritis; ſi ergo illi, qui præceſſerunt Chriſti aduentum, ſaluabantur, credebant, ſe per merita ſaluari, aut ergo credebant merita propria ſibi ſufficere, aut meritis alicuius indigere, ſi credebant, merita propria ſibi ſufficere, ergo efferebantur, & decipiebantur, ergo non ſaluabantur; ſi credebant meritis alicuius ſe indigere, ergo habebant fidem de mediatore, ergo nullus ſaluari potuit poſt lapſum abſq; fide mediatoris.

Vnde nullus ſaluatus eſt ſine fide implicita Paſſionis; quia omnes ſaluandi expectauerunt Redemptorum futurum. vnde ſufficiebat credere, quod aliquis veniret, qui genus humanum redimere poſſet, ſciret, & vellet. Hæc D. B. V. ad verbum.

Verba Scoti in 3. diſt. 25. q. 1. Ibi ad quæſt. Primo videndum, quæ fides fuit neceſſaria viatori pro omni ſtatu; Secundo de actu fidei, ſcilicet, an aliquis actus fuerit neceſſarius, pro omni ſtatu, & quis?

De primo dico, inquit Scotus, quod fides infuſa fuit neceſſaria homini ſaluando pro omni ſtatu, quia ſicut anima non eſt accepta Deo, niſi ornetur, & perficiatur per charitatem, quo ad voluntatem, ſic non acceptatur à Deo, niſi perficiatur habitu ſupernaturali, quo ad intellectum, & ſicut potentiæ illæ ſunt naturaliter ordinatæ in actibus ſuis, quia intelligere præcedit velle; ſic in perfectioribus, quia prius natura perficitur intelle-

Digitized by Google

tellectus ſupernaturaliter, quàm voluntas, licet ſimul duratione. Iſta autem ſupernaturalis perfectio, qua anima determinate aſſentit vno, & credit verum, eſt fides infuſa, ſicut autem neceſſarium fuit hominibus ante Chriſti aduentum, habere charitatem, ſic & habere fidem, non quod ſit contradictio illa ſeparari, quia ſeparantur modò in via, manet enim modo fides informis ſine charitate, & in patria manebit charitas ſine fide, ſed quia Deus, de lege ordinata, qua ſtatuit, non perficit animam, niſi perficiat eam ſecundum totum, ideò non perficit voluntatem charitate, niſi perficiat intellectum fide: ex vno igitur credito, ſcilicet quod credimus fidem infuſam eſſe in nobis, quia aſſentimus ſimpliciter verò, concludimus fuiſſe in Patribus ante Chriſti aduentum.

b. De ſecundo dico ibi. Sed peto, quod ſic habuerunt fidem infuſam, videndum eſt, an actus fidei fuerit neceſſarius pro omni ſtatu; dico primo in generali, quod ſicut actus virtutum moralium fuerunt neceſſarij cuilibet ſaluādo, ſic actus præcepti affirmatiui ſunt neceſſarij qui obligant ſemper, ſed non pro ſemper. ſed pro aliquando, quando ſ. concurrunt debitæ circunſtantiæ, ſcilicet quando, propter quid ſicut oportet, & quomodo &c. & ſic actus virtutum theologicarum ſunt pro aliquando neceſſarij, quia actus virtutum moralium non ordinantur in finem, niſi per actus theologicarum, vnde ſicut quilibet tenetur diligere Deum pro omni ſtatu, ſi habuerit vſum rationis, & hoc pro aliquando, quando ſcilicet circunſtantiæ debitæ diligendi Deum concurrunt, ita eodem modo dicendum eſt de actu fidei, quod habens vſum rationis pro omni ſtatu tenetur credere in vnum Deum factorem Cæli. & terræ, & hoc pro aliquando, ſed habito in generali, quod actus fidei, neceſſar. fuit pro omni ſtatu in habente vſum rationis, videndum eſt primo circa quæ credibilia ſit modo neceſſar. actus fidei. Circa quod ſciendum, quod ſi articuli diſtinguantur, quantum ad ipſa credita, ſic ſunt 14 art. ſi autem diſtinguantur ſecundum numerum illorum, qui primo articulos diſtinxerunt, ſic ſunt 12. ſecundum numerum 12. Apoſtolorum. Si primo modo tenetur aut articuli fidei ſunt de Deo tantum, aut ſunt de Deo, ratione naturæ aſſumptæ. Si primo modo, hoc conuenit tripliciter, quia aut de Deo ratione naturæ, vel eſſentiæ, & ſic habetur hic articulus, Credo in vnum Deum; aut ratione perſonarum, & ſic ſunt tres articuli, ſecundum quod ſunt tres perſonæ. Primus Patrem omnipotentem; ſecundus & in Ieſum Chriſtum filium eius, vnicum Dominum noſtrum; tertius Credo in Spiritum ſanctum, aut ratione effectus Dei, & ſic ſunt tres articuli, primus quantum ad creationem, creatorem Cæli, & terræ; ſecundus quantum ad gratificationem, remiſſionem peccatorum: tertius quantum ad glo-

rifi-

ſtificationem, carnis Reſurrectionem, & vitam æternam; & ſic habentur ſept. art. rationem ſic tantum. Aliqui tamen includunt opus creationis in primo articulo, quod pertinet ad vnitatem eſſentiæ & vltimum opus diuidunt in duos articulos, ſcilicet carnis reſurrectionem, dicentes vnum articulum, vitam æternam alium, ſed prima diſtinctio eſt melior, quia Apoſtolus ponit vnum articulum de oratione per ſe. Ad Hebr. ij. fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.

Articuli pertinentes ad Deum, ratione naturæ, aſſumptæ, ſunt etiam ſeptem. Primus pertinet ad conceptum, quod conceptus eſt de Spiritu Sancto. Secundus ad Natiuitatem, natus ex Maria Virgine. Tertius ad Paſſionem, Paſſus ſub Pontio Pilato. Quartus ad deſcenſionem ad Inferos, deſcendit ad Inferos. Quintus ad Reſurrectionem. Tertia die reſurrexit à mortuis. Sextus ad Aſcenſionem ad Cælos. Septimus ad iudicium, Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

Dub. Vtrum ſit neceſſarium habere actum circa omnia hæc, vel aliqua eorum?

Dico, dicit Scotus, quod neceſſarium fuit pro omni ſtatu habere actum implicitum de omnibus, tunc enim habetur actus implicitus, quando habetur habitus, ſed habere ſolum talem actum non ſufficit, ſed in habente vſum rationis, requiritur actus diſtinctior, & explicitus, ſed non requiritur neceſſariò in quolibet pro iſto ſtatu, ſcilicet quod omnes illos articulos explicitè, & diſtinctè credat, quia Deus nullum obligat ad impoſſibile; & ideò ſi ſit aliquis rudis, qui non poſſit concipere, quid eſt natura, & quid perſona, non eſt neceſſe, quod habeat actum explicitum de articulo pertinente ad eſſentiæ vnitatem, & perſonarum Trinitatem diſtinctè, ſicut habent clerici literati, ſed ſufficit, quod ſi non poteſt talia intelligere, quia nec terminos, quod credat, ſicut Eccleſia credit, quilibet tamen habens vſum rationis, tenetur pro aliquando ad aliquem actum explicitum, & maximè ad illa, quæ ſunt groſſa ad capiendum, ſicut quod Chriſtus natus eſt, & paſſus, & alia, quæ pertinent ad redemptionem: ſic igitur omnes tenentur ad aliquem actum explicitum pro aliquando, & alios in generali, ſcilicet credat, quod credit Eccleſia, ſed ad omnia explicitè credenda tenentur maiores in Eccleſia, qui præficiuntur alijs, & tenentur, alios in fide inſtruere verbo veritatis, & exemplo honeſtatis, & de huiuſmodi loquitur. D. Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 1. Aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt

na eſt. Aliud eſt ſcire quomodo hoc ipſum, & pijs op tuletur, & contra im pios defendatur, quod eſt maiorum in Eccleſia; aliter citò deficeret fides ſimplicium: maiores igitur, qui habent alios inſtruere, tenentur fidem explicitam habere, de omnibus, & pro tempore, illa, quę credenda ſunt, alijs explicare, ſecundum capacitatem eorum. Hæc Scotus.

Not. quod maiores tenentur magis explicitè credere, & ad veritatem ſcripturæ magis intelligendam, quam ſimplices, ſed non quia adhuc ſe obligauerant in Baptiſmo, ſed quia curam animarum ſuſceperunt.

Omnes igitur tenentur pro quolibet ſtatu, ad fidem mediatoris, poſt lapſum; quia nullus ſaluatur, niſi ſit membrum Eccleſię: poſt lapſum quod non eſt, niſi in fide mediatoris, per Apoſtolum ad Hebr. ij.

Not. 2. quod ſicut Creator eſt principium eſſendi in natura condita, ità & Redemptor eſt principium reparationis in natura lapſa, ergo nullus poteſt recreari ſine Redemptore, vel recreatore, ſicut nec eſſe ſine Creatore; ſicut igitur fides de Creatore ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem, ita fides Redemptoris, ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem, poſt lapſum humani generis, ſed illa fides de mediatore poteſt eſſe explicita, ſicut quod Dei filius. Deus, & homo redimeret genus humanum, propter hoc, quod naſceretur de Virgine, & moriretur in Cruce; ſed ſic explicitè credere in Redemptorem, non fuit neceſſe pro omni ſtatu, ſed hoc idem potuit credi magis confusè, ſcilicet quod Deus ordinaret aliquam viam Redemptionis, ſed quod hoc fieret per filium ſuum incarnatum, vel per Angelum, vel per hominem purum, non fuit neceſſe credere, ſed ſic generaliter credere fuit neceſſarium omni homini ad ſalutem, ſed habentes legem Moſaycam tenebantur credere magis explicitè, quam non habentes, quia ipſi habuerunt fidem Redemptoris magis explicitè, traditam in Prophętis, & Pſalmis.

Not. Tertio, quod ad actum fidei duo concurrunt neceſſariò, ſcilicet habitus inclinans determinatè in verum, & ipſa credibilia, aliquo modo præſentia, credibilia enim non ſunt præſentia in habitu, ideò requiritur Doctor, qui aliquo modo ipſa explicet, ſcilicet Deus, vel aliquis alius, hæc Scotus ad verbum. Et hæc de legis Diuinæ ignorantia.

De ignorantia iuris naturalis, vtrum detur inuincibilis?

NOt. quod aliquid poteſt dici de lege naturæ dupliciter, Vnomodo ſtrictiſſimè tanquam prima principia practica nota ex terminis; vel concluſiones, neceſſariò ſequentes ex eis. Alio modo dicuntur aliqua eſſe de lege naturæ, quia ſunt multum conſona illi legi, licet non ſequantur neceſſariò ex principijs practicis, quæ nota ſunt ex terminis, & omni

omni intellectui apprehẽdenti ſunt neceſſariò nota. Primo modo dicitur de lege naturæ ſtrictiſſime. Scotus in 3. diſt: 37. q. vnic. ibi Ad quæſt. igitur dico. ad concluſ. & in 4. d. 17. art. 1. in princip.

Vnde præcepta legis naturæ ſunt duplicis generis, quædam ſunt prima, & vniuerſaliſſima, quorum vnitas ex ſola terminorum apprehenſione, abſq. vllo alio ſtudio, ſunt nota, cuiuſmodi ſunt iſta, bonum eſt faciendum, malum eſt fugiendum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia, quæcumq; vultis faciant vobis homines, & vos facite illis. Quædam ſecundo ſunt, quæ ex ijs principijs, immediatè, & facile deducuntur tanquam concluſiones, quæ ex illis euidenter, & neceſſariò deducuntur, & huiuſmodi ſunt præcepta Decalogi primæ tabulæ; nam præcepta primæ tabulæ facilè ex illo principio, ſummum bonum eſt amandum, deducuntur. imò & neceſſariò, vt ex. gr. Deus eſt ſummè bonus, ergo ſummè diligendus, & hoc eſt primum præceptum; ergo non eſt vllo periurio blaſphemandus, quod eſt dupliciter præceptũ, ergo aliquo certo tempore colendus, quod eſt tertium præceptum. Præcepta 2. tabulæ facilè, imò euidenter, & neceſſariò deducuntur ex illo principio, quod tibi non vis, alteri ne feceris. Quædam alia ſunt principia legis naturæ, largè loquendo, non ſtrictè, quia ſ. ſunt multum conſona legi naturæ, licet non ſequantur neceſſariò & euidenter ex principijs primis practicis, quæ, ſunt nota ex terminis, & omni intellectui apprehendenti terminos ſunt neceſſarió nota. huiuſmodi ſunt præcepta omnia ſecũdæ tabulæ, quia eorum notitia eſt valdè conſona primis principijs practicis, neceſſariò notis, licet non neceſſariò & euidenter deducantur ex illis.

Quod præcepta 2. tabulæ non ſint prima principia practica vnà conceditur ab omnibus, quod etiam non ſint concluſiones neceſſariò, & euidenter deductæ ex primis illis principijs. Prob. Scotus ſup. in 3. §. ad quæſ. igitur dico ſic, quia in præceptis ſecũdę tabulæ affirmatiuis bonitas, quæ præcipitur, non eſt ſimpliciter neceſſaria ad vltimum finem conſequendum; & malitia, quæ prohibetur in negatiuis, non eſt ſimpliciter abductiua ab vltimo fine; colligitur ratio, quicumq; obſeruat præceptũ charitatis, diliges Dominũ Deum tuum, &c. & proximum tuum &c. adimplet legem, & ſaluatur, quia iuxta illud Saluatoris Matth. 22. in his duobus mandatis vniuerſa lex pondet, & Prophætę, ſed præcepta ſecũdę tabulæ non includuntur neceſſariò, nec neceſſariò ſequuntur ex his, ergo non ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem (loquendo de eis, quatenus pendent ex hoc principio charitatis, non quatenus explicata, & præcepta ſunt deinde a Chriſto Domino, quia ſic ſunt neceſſaria ad ſalutem) min. prob. quia diligere proximum, eſt velle proximo, ipſum diligere Deum,

poſſum

poſſum autem velle proximo, vt diligat Deum, abſq; eo, quòd cogar velle vt non occidatur, vel res eius furentur, quia iſta non neceſſariò ſequuntur ex illo præcepto dilectionis proximi, in quantum eſt præceptum naturæ, ſi quidem dilectio proximi eſt velle illi, vt diligat Deum, reliqua ſequuntur ex eo ſecundum explicationem Chriſti. Ad propoſitum dico duo. A

Primo. Circa præcepta Legis Naturæ ſtrictè ſumptæ, vt circa præcepta primæ Tabulæ non eſt ignorantia inuincibilis, nec excuſabilis, ſed omnis ignorantia circa illa (ſi in aliquibus eſt) ex vitio eſt, & culpa eorum qui illa ignorant, quia ſi ſe nec paſſionibus, nec vitijs ſe tradidiſſent, illa non ignoraſſent, nec ignorarent.

Secundo. Circa præcepta ſecundæ Tabulæ potuit aliqua eſſe ignorantia inuincibilis. Ignorantia primorum principiorum, quæ omnibus patent à Philoſopho 3. Ethic. 1. appellatur ignorantia vniuerſalis, quia eſt ignorantia de aliqua re vniuerſaliter omnibus nota, & hæc (ait) non excuſat, quia omnes poſſunt illam ſuperare. Ignorantia autem præceptorum, & concluſionum, quæ ex primis principijs deducuntur, appellatur à Philoſopho ibidem ignorantia ſecundum circumſtantias, & hæc, vt ait, excuſat, quia non omnes illa ſcire poſſunt, ideſt, non poteſt ſciri ab omnibus, an ex primis principijs deducantur. B 3. Eth. 1.

De Lege Humana.

Supponitur ignorantiam legis humanæ eſſe ignorantiam legis, vel præcepti ſuperioris, ad quod obſeruandum tenetur quis ſub pœna pecc. mortalis. C

Vtrum detur inuincibilis.

Reſpondetur affirmatiuè.

Dub. quando nam dicatur inuincibilis huiuſmodi ignorantia?

Aliqui dixerunt, illam ignorantiam eſſe inuincibilem, & excuſare, quam, quis faciendo quicquid facere debet, & communiter faciunt homines probi, ad illam vincendam, ſuperari non poteſt. D

Alij dicunt, primò ſupponendum eſſe, hominem ſcire omnia ſtatuta, & leges humanas, eſſe impoſſibile. Secundò neceſſarium eſſe ſcire illas leges, & ſtatuta, quæ ad proprium ſtatum pertinent. Tertiò eſſe neceſ-

G ſarium

A ſarium ſcire omnes leges, & ſtatuta, quæ contractibus, & operationibus humanis deſeruiunt, quoties quis vult facere aliquem talem contractū, aut aliquod huiuſmodi opus, quod ſi ignoret, debet interrogare virum doctum, à quo inſtruatur.

Alij dicunt, quod illa eſt ignorantia inuincibilis, quam quis habet de aliqua Lege, eo quod nullam vnquam habuit notitiam de illa Lege, nec habuit vllam rationem dubitandi, nec in vniuerſali, nec in particulari, an talis lex, vel ſtatutum detur.

Secundò dicunt, quod illa eſt debita diligentia, & excuſat à peccato quando quis interrogat peritos in illa re, vel aliam adhibet diligentiam ſufficientem ad iudicium viri periti, & prudentis.

Idem dicendum de ignorantia facti. Hactenus de ignorantia.

B *De paſſione appetitus ſenſitiui ſecunda cauſa peccati.*

NOt. quod paſſio appetitus ſenſitiui ſecundum quandam ſimilitudinem ad infirmitatem corporis dicitur infirmitas, quia ſicut corpus infirmum eſſe dicitur, quando debilitatur, & impeditur ab exercitatione propriæ operationis propter aliquam inordinationem partium, ita quod humores, & membra non ſubdantur virtuti regitiuæ, & motiuæ corporis; ita infirmitas animæ dicitur quando anima impeditur in propria operatione propter inordinationem partium ipſius, tunc namque inordinatæ dicuntur, quando non ſubduntur ordini rationis, quia ratio eſt vis directiua partium animę; ſic ergo quando extra ordinem rationis vis concupiſcibilis, aut iraſcibilis aliqua paſſione afficitur, & per hoc impedimentum præſtatur debitæ actioni hominis, dicitur peccatum eſſe ex infirmitate. Vnde Philoſophus 1. Ethic. comparat incontinentem paralitico, cuius partes mouentur in contrarium eius, quod ipſe diſponit. D. Th. 1.2. q.77. art.3. ira eſt quaſi febris quædam, & ſanguinis auerſio, qua iudicium perturbatur, iuxta illud Pſal.6. Turbatus eſt à furore oculus meus. Carnis concupiſcentia, mentem, & rationem ſubuertit, iuxta illud Dan. 13. Concupiſcentia ſubuertit cor tuum.

Sayr. lib. 2. c. 10. Clauis Regia nu. 1.

C

1. Eth.

D. Th. 1. 2. q 77. a. 3.

Pſ. 6.

Dan. 13.

D *Dub. quomodo voluntas, quæ potentia materialis eſt, & libera, poſſit moueri ab appetitu ſenſitiuo, qui eſt vis, & potentia materialis?*

REſpondetur. Quod potentiam immaterialem moueri à potētia materiali, videlicet ab appetitu ſēſitiuo, poteſt intelligi dupliciter, directè, & indirectè; non poteſt directè, ſed indirectè poteſt; & ſic adhuc dupliciplici-

Digitized by Google

plicitèr, vno modo ſecundum quandam abſtractionem, cum enim omnes potentiæ animæ in vna eſſentia animæ radicentur, neceſſe eſt, quod quando vna potentia intenditur in ſuo actu, altera in ſuo actu remittatur, vel etiam totaliter in ſuo actu impediatur, tùm quia omnis virtus ad plura diſperſa fit minor, vndè contrariò quando intenditur circa vnum, minus poteſt ad alia diſpergi, tamen, quia in operibus animæ reperitur quædam intenſio, quæ, dum vehementer applicatur ad vnum, non poteſt alteri vehementer attendere: & ſecundum hunc modum, per quandam diſtractionem, quando motus appetitus ſenſitiui fortificatur ſecundum quamcumq; paſſionem, neceſſe eſt, quod remictatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, quod eſt voluntas. A

Alio modo ex parte obiecti voluntatis, quod eſt bonum ratione apprehenſum, impeditur enim iudicium, & apprehenſio rationis, propter vehementem, & inordinatam apprehenſionem imaginationis, & iudicium virtutis æſtimatiuæ, vt patet in amentibus. Manifeſtum eſt autem, quod paſſionem appetitus ſenſitiui, ſequitur imaginationis apprehenſio, & iudicium æſtimatiuæ, ſicut etiam diſpoſitionem linguæ ſequitur iudicium guſtus; Vnde videmus, quod homines in aliqua paſſione exiſtentes non facilè imaginationem auertunt ab his, circa quæ afficiuntur; vnde per conſequens iudicium rationis, plerumq; ſequitur paſſionem appetitus ſenſitiui, & per conſequens motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi iudicium rationis. D. Thom. vbi ſupra ad verbum. Poteſt ergo voluntas moueri ex parte obiecti, quatenus diſpoſitio appetitus ſenſitiui efficit, vt obiectum appareat conueniens ipſi appetenti, & ſic voluntati etiã proponatur expetendum, quia ſcilicet obiectum illud delectabile, & bonum apparere facit, quod illi affectui conforme eſt. B. *S. Thom.* C

Not. quod eſt alia peccati cauſa communis, & vniuerſalis, tanquam radix, & origo, ſcilicet amor inordinatus ſui, qui, ſi vſque ad contemptum Dei pertingit, facit Ciuitatem Babilonis D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei. Vnde paſſio omnis appetitus noſtri aliud non eſt, quam, quo bonum aliquod ſenſibile nobis amamus. D.Th. art. 4. quia quęcumq; inordinatè volumus, propter nos volumus, & ſi nos ipſos inordinatè non amaremus nihil aliud inordinatè cuperemus, iuxta illud 2. ad Thimot. 3. Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, &c. Amor hic inordinatus affectus ille intelligitur, quo nos corpus, tantùm conſiderantes, omniſſa, & neglecta anima, bona corporis inordinatè amamus. *Aug. 14. de Ciuit. Dei.* *D Th. art 4* *2. ad Thim. 3.* D

Not. ſecundo, quod multa, & innumerabilia, quæ nobis inordinatè cupere poſſumus, ad tria reuocantur, iuxta illud 1. Ioan. 2. Omne, *1. Io. 2.*

G 2 quod

quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ; nomine concupiſcentiæ carnis, intelliguntur naturales concupiſcentiæ ciborum, & venereorum; nomine concupiſcentiæ oculorum, intelligitur concupiſcentia naturalis diuitiarum, honorum, dignitatum, & huiuſmodi; nomine ſuperbiæ vitæ, omnes paſſiones iraſcibilis, cuius eſt ferre ad ardua, & difficilia, qualis eſt materia ſuperbiæ.

A

Not. 3. quod in amore inordinato ſui, includitur inordinatus appetitus boni, vnuſquſque enim appetit bonum ei, quem amat; vnde patet, quod inordinatus appetitus eſt cauſa omnis peccati. Bonum autem dupliciter eſt obiectum appetitus ſenſibilis, in quo ſunt animæ paſſiones, quæ ſunt cauſa peccati. Vno modo abſolutè, ſecundùm quòd eſt obiectũ concupiſcibilis; alio modo ratione ardui, prout eſt obiectum iraſcibilis. Concupiſcentia verò eſt duplex, vna quidem animalis, quæ eſt eorum, quibus natura corporis ſubſtentatur, & hoc dupliciter, vel quantum ad conſeruationem indiuidui, vt cibus, potus, & huiuſmodi, vel quantum ad conſeruationem ſpeciei, vt venerea, & horum inordinatus appetitus dicitur concupiſcentia carnis. Alia eſt concupiſcentia animalis, eorum ſcilicet, quæ per ſenſum carnis ſuſtentationem, aut delectationem non afferunt, ſed ſunt delectabilia ſecundùm apprehenſionem imaginationis, aut alicuius huiuſmodi acceptationis, vt pecunia, ornatus veſtiũ, & huiuſmodi, & hæc vocatur concupiſcentia oculorum, ſiuè intelligatur concupiſcentia oculi, ideſt, viſionis, quæ fit per oculos, vt referatur ad curioſitatem, ſiuè referatur ad concupiſcentiam rerum, quæ exterius oculis proponuntur, vt referatur ad cupiditatem. Inordinatus appetitus ardui pertinet ad ſuperbiam vitæ, nàm ſuperbia eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. D. Th. ſup. art. v. q. 77. p. 2.

B

C

D Th p 2. q 77. a. v.

Dub. Vtrum paſſio excuſet peccatum?

Reſpondetur. Quod paſſio eſt duplex quædam præcedens actum, ſeù antecedens iudicium rationis, & electionem; quædam conſequens iudicium rationis, & electionem. Prima minuit peccatum, quia minuit voluntarium. Secunda magis auget peccatum, vel potius eſt ſignum grauitatis peccati, quatenus demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati. D. Th. art. 6.

D

D Th. art. 6

Not. quòd paſſiones, quæ ſimpliciter cauſant inuoluntarium, excuſãt omninò à peccato, puta, quæ auferunt, ſiuè impediunt vſum omninò rationis, non autem aliæ, quod verum eſt, quando cauſa non fuit voluntaria,

ria,ſed naturalis;quia ſi fuit voluntaria,tunc peccata,inde ſequuta imputantur, tanquam indirectè, ſaltem volita, ſcilicet in cauſa.

Not.2. Quòd qui culpa ſua incidit in morbum,niſi ea intentione dedit cauſam morbo, vt non ieiunaret, aut, vt non recitaret officium, &c. non imputantur ſibi talia peccata. A

Dubitatur. Vtrum peccatum ex paſſione poſſit eſſe mortale?

Dicitur. Quòd peccatum, quod eſt ex paſſione non poteſt eſſe peccatum mortale,tunc ſcilicet quando quis ex paſſione procedit ad actum peccati, vel ad conſenſum deliberatum, ſed in motibus ſubitis, quibus ratio non poteſt occurrere propter vehementiam paſſionis,non eſt peccatum mortale. D.Th. art.8. Hactenus de paſſione. *D.Th. art.8*

De Malitia tertia cauſa peccati.

B

NOt. quòd malitia eſt defectus,& inordinatio voluntatis ſponte malum eligentis,quæ ſicut præcipua cauſa eſt actuū humanorum, ita & eius inordinatio eſt cauſa principalis omnium peccatorum; vnde ad hoc, vt quis dicatur peccare ex certa malitia, oportet, ipſum peccare ex ipſa electione mali, ideſt, non ex ignorantia, nec ex infirmitate, ſed ex ipſa voluntaria mali electione ſcienter,præponendo bonum ſibi coniunctum, bono coniuncto, illius boni præ amati abſentiæ; pręponit enim malitioſè, exempli gratia, iniuſtus bonū lucri coniunctum malo iniuſtitiæ, bono iuſtitiæ coniuncto abſentiæ lucri, ita quòd electio mali non eſt ex ignorantia, neq; ex paſſione. Peccare ergo ex malitia, eſt nulla impellente paſſione, eligere malum, quod ſcitur eſſe malum, quod eſt idē, ac velle malum, vt malum. C

Hinc eſt,quod hoc peccati genus eſt grauius, cæteris paribus, quocūque alio,cum ſit magis liberum, & magis voluntarium, quinimò curatur difficiliùs, vtpotè ex ipſiuſmet voluntatis inordinatione naſcens; cùm ex peccandi conſuetudine, per quam habitus quaſi connaturalis inducitur, tùm ex remotione prohibentium peccatum ipſum, nempè donorum gratuitorum; Vnde hæc malitia peccandi præcipuè fit ex duobus; primò quidem, & communiter, ex peccandi conſuetudine; ſecundò ex remotione prohibentium malum, ſeu peccatum; vnde ſicut intellectus ab ignorantia, appetitus ſenſitiuus à concupiſcentia, ita voluntas à malitia deprauatur. Hactenus de cauſis, D

De aſſo-

Digitized by Google

A

De effectibus peccati, Cap. V.

DE effectibus peccati poſſumus loqui dupliciter,vno modo de effectibus peccati in genere; Alio modo in ſpecie, ideſt de huius, vel illius. In præſenti erit ſermo primo modo. Et hoc modo tres præcipuè aſſignantur peccati effectus. Primus eſt corruptio naturæ,ſeù vt melius dicatur,diminutio boni naturæ, ideſt inclinationis ad virtutem, quam homo habet à natura. Secundus eſt macula in anima poſt peccatum derelicta. Tertius eſt reatus pænæ.

B Not.1. Quòd in homine conſiderantur tria bonæ naturæ. Primum eſt ipſa potentia operatiua animæ, ipſa ſcilicet principia naturę, ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates,quæ ex illis principijs emanant; vt potentiæ animæ. Secundum,eſt inclinatio quædam naturalis hominis ad virtutem. Tertium eſt donum iuſtitiæ originalis primo homini collatum pro ſe, & pro tota poſteritate, quod ſingulis concreatum fuiſſet ſi primus Parens ſtetiſſet, ideſt non peccaſſet. Primum bonum neque tollitur, neque minuitur per peccatum, quia teſte D. Dionyſio c. 4. de Diu. Nom. Etiam in Dæmonijs naturalia remanſerunt integra.Tertium bonum, videlicet, iuſtitia originalis per peccatum primi Parentis totaliter ablatum fuit; Per peccatum enim Adæ originale peccatum, quòd aliud non eſt, quàm iuſtitiæ originalis priuatio, in omnes homines pertranſijt, excepta B. Virgine Dei Genitrice, per gratiam præſeruata. Secundum bonum, ſcilicet naturalis inclinatio ad virtutem, per peccatum non tollitur,ſed vulneratur,& diminuitur, quia per hoc,quod aliquis inclinatur ad vnum contrarium, minuitur eius inclinatio ad oppoſitum, ideſt vulueratur. Ad quod.

D. Dyon. de diu. N. c. 4.

C

Not.2. Quod ex primo peccato quatuor conſequuta ſunt,veluti vulnera animæ, iuxtà quatuor animæ potentias, quæ poſſunt eſſe virtutum ſubiecta. Videlicet, Ignorantia, primum; Secundum malitia; Tertium infirmitas; Quartum, concupiſcentia mala. Primum, ſcilicet ignorantia in intellectu; Secundum in voluntate; Tertium in iraſcibili; Quartum in concupiſcibili,

D

Potentiæ iſtæ animæ ſunt, Ratio, in qua eſt prudentia; Voluntas, in qua eſt iuſtitia; Iraſcibilis, in qua eſt fortitudo; Concupiſcibilis, in qua eſt temperantia.

Not.3. Quòd per iuſtitiā originalem,Ratio continebat in officio omnes

nes

nes vires inferiores, ſubtracta verò ea iuſtitia per peccatum Adæ, vires animę remanſerunt deſtitutæ proprio ordine, quo ordinabantur ad virtutem, & huiuſmodi deſtitutio dicitur vulneratio animæ. A

Not.3. quod qualicumq; bono priuat peccatum, eo ipſo priuat modo, ſpecie, & ordine. Pro quo nota, quod in homine conſideratur quadruplex bonum; Primum eſt ſubſtantiale animę; Secundum eſt naturalis inclinationis; Tertium eſt virtutis, & gratiæ; Quartum actus ipſe ordinatus. Primum non tollitur, nec minuitur per peccatum. Secundum minuitur; Tertium per peccatum perditur omninò. Quartum eſſentialiter aufertur, imò eſt ipſummet peccatum.

Item per peccatum originale ſequuta eſt mors, & alij defectus corporales, veluti pænæ, & quamuis huiuſmodi defectus ſint contra naturam particularem, ſunt tamen ſecundum naturam vniuerſalem homini naturales, non quidem à parte animæ, ſed à parte corporis. B

Reatus pænæ non eſt aliud, quàm, quòd homo per peccatum dignus ſit pæna, ita vt per peccatum ordinetur à Deo ad pænam luendam. Vnde D. Dionyſius de Diuin. nom. cap. 4. Non eſt malum puniri, ſed fieri pæna dignum, malum eſt; ratio, quia omnis peccans deſtruit ordinem, nam peccatum eſt actus inordinatus, & conſequenter dignus eſt, vt à Principe illius ordinis puniatur, cuius ordinem violauit. *D. Dionyſ. de Diu. nom. c. 4.*

Not. quod tres ſunt ordines, quibus ſubditur humana voluntas. Primus eſt ordo propriæ rationis. Secundus eſt ordo hominis ſpiritualiter, vel temporaliter gubernantis. Tertius eſt ordo vniuerſalis Diuini regiminis. Peccando, homo tunc triplicem ordinem violat, & deſtruit quantum in ſe eſt, & proinde à tribus puniri debet, ſcilicet, à ratione per remorſum conſcientiæ, iuxta illud D. Aug. Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt omnis inordinatus animus pæna ſit ſibi, punitur à Deo per gehennæ tormentum; punitur ab homine per pænam temporalem. C *D. Aug.*

De peccato Actuali, quod eſt duplex mortale, & veniale. Cap. VI.

SVpponitur ex dictis ſupra præſertim cap. primo, & ſecundo quid ſit & quotuplex ſit peccatū, vbi multæ aſſignatæ fuerunt de peccato diffinitiones, ſeù deſcriptioni, multæque diuiſiones, ideo in hoc ſexto capite, ſuppoſita diſtinctione peccati primò in originale, & actuale, & actualis in peccatum mortale, & veniale, videbimus tria, Primò D

mò quid ſit peccatum mortale, quiduè veniale; Secundò quomodo poſſit cognoſci quando ſit mortale, & quando non; Tertiò vtrum peccatum mortale fieri poſſit veniale, & è contra veniale fieri poſſit mortale.

§. 1. *Quid ſit peccatum morta'e, quidue veniale.*

A

NOta. Quòd aliquod peccatum poteſt dici veniale, vel mortale tribus modis. Vno modo ab euentu; Secundo modo à cauſa; Tertio modo ex propria ratione, ſeù natura. Primo modo dicitur veniale quodcumq; peccatum, ſi de illo veniam obtineamus, & ſic ad hunc ſenſum dicit D. Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 14. quod omne peccatum per pænitentiam fit veniale. Secundo modo dicitur veniale, quia non habet ex ſe, vnde non mereatur veniam ex parte, vnde licet ex ſe ſit peccatum mortale, habet tamen aliquam cauſam ſuę venię annexam, & hoc modo peccata ex infirmitate, vel ex ignorantia commiſſa poſſunt dici venialia, iuxtà illud Pauli 1. ad Timotheum primo. Miſericordiam conſequutus ſum, quoniam ignorans feci, igitur Apoſtoli peccata, quæ commiſit ante conuerſionem, licet grauiſſima, poſſunt dici venialia ad ſenſum præcedentem. Tertio modo dicitur veniale, quia ex propria natura eſt leue, & rectę rationi parum diſſonans, & ſic dicitur veniale, quia nec mortem infert, nec Dei gratiam tollit, nec coniunctionem cum vltimo fine.

D. Amb. lib. de Parad. c. 14.

B

1. ad Tim. 1.

C

Primo modo autem, ſcilicet ab euētu peccatum dicitur mortale, quod nunquam habiturum eſt veniam; ſecundo modo, ſcilicet, ex cauſa dicitur mortale quodcumque peccatum ex malitia, & data opera commiſſum; tertio modo, ſcilicet, ex propria natura dicitur mortale quodcumq; peccatum rectę rationi valdè diſſonum, ac de ſe venia indignum, mortem animæ inferens, ſiuè primam, quæ eſt priuatio gratiæ, ſiuè ſecuudam, quę eſt æterna damnatio, quia tollit gratiam Dei, & ſeparat ab vltimo fine. De tertio modo dicto eſt hìc ad propoſitum.

D

Not. quod peccatum poteſt dici mortale, vel veniale dupliciter, & ex obiecto, & ex circumſtantia; Primo modo, quia peccata ſpecificantur, ideſt recipiunt rationem boni, vel mali ab obiecto. Peccatum igitur, cuius obiectum eſt, vel cōtra charitatem, & dilectionem Dei, ſicut blaſphemia, periurium, & huiuſmodi, ſiuè contra dilectionem proximi, vt homicidium, adulterium, & huiuſmodi eſt mortale ex genere. Veniale ex genere ſuo eſt, quod licet in ſe habeat quandam inordinationem, eius tamen obiectum non eſt contrarium dilectioni Dei, & proximi, vt verbum otioſum ſine detrimento alterius, mēdacium iocoſum, ſiuè officioſum,

Digitized by Google

ſum, quod nullum lædit, & alicui prodeſt, riſus ſuperfluus, & operationes inutiles cuiuſcumq; ſenſus. Secundo modo, ſcilicet ex circumſtantia poteſt fieri mortale veniale, & è conuerſo; Quia actus morales non ſolùm recipiunt rationem boni, vel mali ex obiecto, ſed etiam ex aliqua diſpoſitione agentis, ideò contingere poteſt, vt id, quod non eſt, niſi veniale ex genere ſuo ratione obiecti, fiat mortale ex circunſtantia, ſiuè ex parte agentis. E

His ſuppoſitis dicendum, & colligitur ex dictis, Quòd ſignificatum commune peccati mortalis, & venialis ſecundùm quòd eſt ſermo in præſenti, eſt hoc, Quòd peccatum mortale eſt illud, quod priuat animam gratia Dei, facit eam inimicam Dei, & eſſe dignam pæna æterna, quia in Inferno punitur. Peccatum veniale eſt illud, quod non aufert gratiam, non facit hominem inimicum Deo, neq; eſt cauſa damnationis æternæ, ſed ſtat cum gratia, & amicitia Dei, licet ſit aliqualis offenſa illius.

Hæretici volunt, omnia peccata eſſe paria. Ità Iouinianus, vt refert S. Auguſt. lib. de Hæreſibus. Hic Iouinianus damnatus fuit cum ſuis erroribus in Conc. Mediolan. ſub D. Ambroſio ex præcepto Siricij Papæ. F *S. Aug.* *Cõc. Mediol.*

Alij Heretici docuerunt, nullam eſſe differẽtiam inter peccatum mortale, & veniale. Caluinus. Damnatur hæc hæreſis in Conç. Trident. ſeſſ. 14. de Pænitentia cap. 7. Lutherus docuit, omne peccatum eſſe mortale. *Conc. Trid.*

Quærenti, Vnde oriatur differentia iſta inter peccatum mortale, & veniale, vtrum ab intrinſeco, ideſt, ex natura rei, an verò ab extrinſeco, ſcilicet, à voluntate Dei?

Reſpondetur, Quòd pro vtraq; parte ſunt Doctores. Sed Not. pro intelligentia, quòd, prout dictum eſt, Omnia peccata, ideò ſunt peccata, quia ſunt contra Legem Dei, Vnde ablata Lege Dei nullum eſt peccatum, & ſic ab extrinſeco; Poteſt eſſe ab intrinſeco, quia peccatum non fit mortale, vel veniale per voluntatem Dei conſequentem actum, poſtquàm factus eſt, & acceptantem pro mortali, vel veniali, vt intelligunt Hæretici, ſed eſt à lege iàm ante actum peccati determinante talem actum circa tale, & tale obiectum, cum hac, vel illa circumſtantia eſſe peccatum mortale, illud verò veniale. G

Quærenti, Vnde oriatur, quòd peccatum mortale inferat mortem, veniale non ità.

Reſpondetur, quod varij ſunt modi Doctorum. Quidam docent oriri ex hoc, quia peccatum mortale eſt contra finem, Veniale verò contra media ad finem; Vndè ſecundùm iſtos dicitur, quòd actus illi, qui immediatè tendunt contra finem ſunt peccata mortalia, illi verò, qui tendunt

H contra

Scotus. D Thom. contra media ad finem, vt ſunt creaturæ, ſunt venialia, vt refert Doctor in 2.d.21.q.1.§.dico ergo, & tribuitur D.Th.p.2.q.88. art. 1.

H Alij dicunt, quòd peccatum mortale, differt à veniali, quia mortale eſt contra præceptum,& legem,veniale verò eſt præter legem, non contra legem, neq; contra præceptum. Syluester, & D.Th. ibidem.

Silueſter. D.Thom. Alij, & tribuunt Scoto ſupra, dicunt enim, quòd Scotus aſſerit, peccatum mortale eſſe actum,qui eſt contra præceptum, veniale verò eſſe actum, qui eſt contra conſilium;Et deindè hanc opinionem impugnant, ſic. Si hæc opinio eſſet vera,ſequeretur, quòd nubere eſſet veniale peccatum, quia nubere eſt contra conſilium de Virginitate ſeruanda, iuxta 2.ad Cor. illud 2. ad Cor. 7. de Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Quidquid iſti dicant, pace ipſorum, non videntur obſeruaſſe, quæ dicit Scotus.

I Scotus non aſſerit, quòd pec. mort. ſit contra præceptum, & veniale contra conſilium,ſed dicit,quòd pec.mort. eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua finis non poteſt ſequi, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contra quod deordinatio fit. Peccatum veniale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, quæ non eſt neceſſaria ad finem conſequendum,ſed eſt vtilis,ideſt,quæ non eſt de præcepto, ſed potiùs de conſilio.

Aliquid tamen opponi alteri,poteſt eſſe duobus modis; Vno modo, vt minus bonum maiori bono;Alio modo,vt malum bono. Ad propoſitum,Status matrimonialis opponitur ſtatui Virginitatis,& cælibatui primo modo, non ſecundo; Peccatum veniale opponitur conſilio ſecundo modo, non primo. Scotus dicit, quòd peccatum veniale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, quæ eſt vtilis, non tamen cadit ſub præcepto, ſed potiùs ſub conſilio,quaſi dicat,Peccatum veniale eſt deordinatio oppoſita ordinationi vtili, quæ cadit ſub conſilio, & non quæcumq; ſed deordinatio mala,ſeù contrà rectam rationem, oppoſita ordinationi, quæ cadit ſub conſilio, non ſub præcepto propriè ſumpto.

K Notandum inſuper. Quòd tranſgreſſio conſilij poteſt eſſe duplex; Quædam cum peccato; Quædam ſine peccato, ſed cum minori bono. Exempli gratia.Nubere eſt tranſgreſſio conſilij de ſeruanda Virginitate, quæ non eſt tranſgreſſio mala, & cum peccato, ſed cum minori bono, iuxtà illud Apoſtoli,Si nupſerit Virgo,non peccauit,ſed melius erit,ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Et Conc.Trident. ſeſſ. 24.Can. 10. Si quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui Virginitatis, & cælibatui, & non eſſe melius,ac beatiùs viuere in Virginitate, aut cælibatu, quàm coniungi matrimonio, Anathema ſit. Tranſgreſſio Conc.Trid. conſilij mala, & cum peccato erit, exempli gratia, dicere verbum otioſum;

ſum; plùs in potu, vel cibo accipere, quàm neceſſe ſit; plùs loqui, quàm oporteat, aut plùs tacere, quàm expediat, & huiuſmodi, quæ inter venialia enumerat D. Auguſt. Benè ergo dicit Scotus. *S. Aug.* L

Eſt itaq; peccatum mortale deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua finis non poteſt ſequi vllo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum, contrà quod ſit illa deordinatio. Peccatum veniale eſt deordinatio mala, ſeù contrà rectam rationem, oppoſita ordinationi vtili ad vltimum finem conſequendum, quæ non cadit ſub præcepto, ſed potiùs ſub conſilio. Hæc de primo.

§. 2. *Quomodo poſſit cognoſci, quando ſit peccatum mortale, & quando non?*

Dicendum, quòd pluribus modis cognoſci poteſt. Primò ex Sacra Scriptura, quæ, enim, in Sacra Scriptura abominabilia, execranda, Deo exoſa, digna morte, aut occaſio mortis, vel inferre mortem, vel à regno Cælorum excludere dicuntur, & quibus pœnas æternas, vel ſaltem mortem corporalem minantur, ſiuè, quæ priuare dicũtur hominem Dei amicitia, ea pro certo peccata mortalia ſunt habenda. Quando verò in Sacra Scriptura peccata prohibentur, ſed abſq; aliquo dictorum ſignorum, venialia putanda ſunt. M

Secundò poteſt cognoſci ex traditione Eccleſiæ, & Doctorum ipſius; Quæ enim Doctores, & Viri graues communi conſenſu tradunt, & docent eſſe mortalia, vel à pijs, doctis, & timoratis viris, vt talia vitantur, vel certè talia iudicantur, proculdubio mortalia habenda ſunt; Quæ verò ab ipſis venialia cenſentur, venialia etiam ab alijs habenda ſunt, quia Deus Prælatos, & Doctores Eccleſiæ in detrimentum Fidelium errare non patitur, maximè Eccleſiam, quam Spiritus S. ſemper inhabitat, & illuminat. Plura in Tractatu de Catholicis Dogmatibus. N

Tertiò poteſt cognoſci ratione naturali, qua hęc diſtinguimus habendo præ oculis Charitatem Dei, & proximi, & qualitatem offenſæ, ſi enim charitas grauiter offenditur, peccatum mortale eſt, ſi leuiter, veniale. Quando autem in aliquibus impoſſibile eſt diſcernere peccatum mortale à veniali per regulas iſtas, tunc via tutior eſt eligenda, dubitando de peccato, tanquàm de mortali, vt in delectatione moroſa, in illis, quæ procedunt ex quantitate materiæ, vel ex affectu.

§. 3. *Vtrum peccatum mortale poſſit fieri veniale, & è contra?*

O NOtandum. Quòd peccatum, tùm mortale, tùm veniale eſt duplex; Ex genere; Et ex circumſtantia, ſiue per accidens. Peccatum mortale ex genere, & natura ſua dicitur illud, quod eſt circa obiectum malū, & prohibitum per aliquam legem, vel præceptum, quod obligat ſub pæna ammiſſionis gratiæ Dei, & pęnę æternę. Peccatum mortale ex circumſtantia, ſiuè per accidens dicitur actus ille, qui ex genere eſt peccatū veniale, ſed appoſita aliqua circumſtantia efficitur mortale. Exemplum. Dicere verbum otioſum, eſt peccatum ex genere ſuo Veniale, ſi tamen dicatur ad malum finem, qui finis ſit peccatum mortale, fit mortale. Huiuſmodi ergo circumſtantiæ, propter quas peccatum Veniale poteſt fieri mortale, ſunt præſertim, Finis, qui ſit peccatum mortale, & aliæ, quæ mutāt ſpeciem, & prohibitæ ſunt ſpeciali prohibitione, & præcepto
M obligante ſub reatu pænæ æternę; Conſcientia erronea; Ponere pro vltimo fine actum peccati venialis; Contemptus conſilij, & ſalutis animæ proximi.

P Duæ ſunt regulæ generales, ſeu leges, & pręcepta, quorum violatio eſt peccatum Veniale. Prima Regula. Homo obligatur ad faciendum ſemper quod meliùs eſt, & magis expediens ad vltimum finem conſequendum. Secunda regula. Homo tenetur ad fugiendum quodcumq; retardatiuum ad melius pro conſequendo vltimo fine. Iſta duo proponuntur homini ex lege naturę, & dictamine rectæ rationis, non tamen per modum præcepti propriè ſumpti, ità vt, ſi ommittantur, ammittatur gratia Dei, ſed per modum conſilij, tamquàm ordinationes ad finem vltimum conſequendum vtilis.

Q Peccatum veniale per accidens, & ex circumſtantia eſt, quando peccatum ex obiecto, & ex genere ſuo eſt peccatū mortale, tamen propter aliquam circumſtantiam fit veniale. Circumſtantiæ verò huiuſmodi ſunt, Paruitas rei; Imperfectus conſenſus; Ignorantia; Iuſta cauſa, &c.

His præmiſſis, & ſuppoſitis, Reſpondetur ad §. affirmatiuè, quòd peccatum mortale poteſt fieri veniale, & veniale poteſt fieri mortale. Sed

Nota, quòd, Peccatum mortale fieri poſſe veniale intelligitur hoc modo. Actus, qui ex genere ſuo eſt peccatum mortale, poteſt propter aliquā cauſam fieri veniale; Cauſa propter quam, aſſignatur triplex, Videlicet, Imperfecta deliberatio, ſeù imperfectus conſenſus; Paruitas rei; & Ignorantia.

Prò intelligentia Notandum, quòd ad perfectum conſenſum requirtur,

Digitized by Google

tur, cõſideratio ex parte intellectus, vt ſcilicet, Intellectus agnoſcat quid agit; In Voluntate requiritur conſenſus verus. R

Secundum nonnulles omnis motus Voluntatis; quacumq; exiſtente cognitione intellectus circa materiam notabiliter malam, eſt peccatum mortale. Non placet.

Secundum alios. Ad peccatum mortale ſufficit illa rationis conſideratio, quæ, etſi Ratio actu non conſiderat, nec conſiderauit illud, de quo appetitus delectatur, eſſe peccatum, potuit tamen, & debuit conſiderare. Non placet.

Secundum alios. Nullum eſt peccatum mortale, niſi præcedat cogitatio, & cognitio expreſſa, ſeu actualis, quòd opus illud, quod voluntas facit, ſit malum morale, & peccatum; Vel niſi præcedat aliqua dubitatio, ſeu ſcrupulus; Adeò quod, ſi nullus horum præcedat, dicunt iſti, quòd actus ille procedit ex inconſideratioue naturali; & quòd conſenſus ille non eſt peccatum mortale. X

Scotus 2. ſent. d. 43, §. Dico tamen breuiter, Dicit, quòd omne peccatum, quod eſt in voluntate nõ præcedente perturbatione, vel paſſione nec ex ignorantia in ratione eſt peccatum ex certa malitia, ſic forte peccauit Adam, quia in eo non fuit perturbatio ex paſſione præcedente, nec ignorantia. Idem in 3. d. 39. q. vnica §. Videtur ergo, hoc idem docet, ſic enim habet? Cum actus meritorius requirat; quod ſit plene humanus, ideſt debeat eſſe plene humanus, & hoc eſt eſſe ex plena deliberatione, ita & demeritorius debet eſſe humanus, ideſt ex plena deliberatione, quia Deus non eſt pronior ad condemnandum, quam ad parcendum, ideò poteſt dici, quòd illud periurium indeliberatum, etiam quotieſcumq; iteratum, non eſt peccatum mortale. Cum ergo actus meritorius neceſſariò prærequirat conſiderationem aliquam actualem, quòd actus, quem facit ſit bonus, alioquin non eſſet ex charitate, quia non ordinaretur ad debitum finem, ſequitur, quòd actus non poſſit eſſe malus, nec peccatum mortale, ſi non præcedat cognitio aliqua, vel dubitatio, vel ſcrupulus, quod actus ille ſit peccatum mortale.

Scotus. S *Idem.* T

Nauarrus in Manuali prælud. 9. num. 9. ibi, Quibus addo. Inquit, quòd ad hoc, quòd peccatum ſit mortale non ſufficit, quòd fiat contra conſcientiam, quæ dictat, id eſſe peccatum ſimpliciter, ideſt, in communi, ſed oportet, vt dictet, eſſe peccatum mortale. *Nauarrus.*

D. Thom. p. 2. q. 88. art. 6. in corpore quæſt. habet. Poteſt id, quòd eſt ex genere mortale eſſe veniale propter imperfectionem actus, quia non perfectè pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus; ideſt, Actus, qui ex genere ſuo eſt mortalis ſit venialis *S. Thom.*

ex

ex imperfecta deliberatione. Imperfecta deliberatio circa actum peccati oritur quoque ex inaduertentia, an actus ſit malus, vel bonus; & ibidem art. 4. ad 2. dicit, quod delectatio moroſa non dicitur eſſe peccatum mortale, niſi in his quæ ex genere ſuo ſunt peccata mortalia. *Idem.*

Notandum eſt, quod ſecundum aliquos ſufficit ad peccatum mortale, quod anima aduertat, & conſideret plenè eſſe malum in communi, vel dubitet, actum illum eſſe malum in communi, quia, qui conſiderat actum aliquem eſſe malum in communi, vel dubitat eſſe malum in communi, & illud facit, exponit ſe periculo peccati mortalis, & ſic peccat mortaliter.

Alij docent, quod ad peccatum mortale ex parte intellectus requiritur cognitio actualis clara, abſque vlla perturbatione, vel paſſione, vel ignorantia, quod actio illa ſit peccatum mortale, vel dubium, an ſit peccatum mortale; Quia perturbatio, & paſſio vehemens impedit rectum iudicium rationis, nam, licet paſſiones animæ, vt ira, & cupiditas non faciant actum inuoluntarium, quando antecedunt actum liberi arbitrij, intellectus, & voluntatis, tamen diminuunt peccatum, quia diminuunt voluntarium, immò paſſiones aliquando ità impediunt, vt faciant actum omninò inuoluntarium, & ita minus peccat, qui concupiſcit fœminam pulcram, quàm, qui deformem appetit. Quando verò paſſiones ſubſequuntur vſum liberi arbitrij, non minuunt, ſed augent peccatum.

Notandum pro intelligentia, quod res primò præſentatur ſenſibus, quæ appetitum ſenſibilium ſui deſiderio excitant, vel quadam voluptate demulcent; mox ex ſenſibus tranſeunt ad potentias imaginandi, cogitandi, memorandi, mouentes ſui imaginatione, cogitatione, & memoria deſiderium, & delectationem; tandem res in mentem veniunt, quæ intellectæ incitant appetitum rationalem, ideſt, voluntatem ad delectationem, & deſiderium ſui; rursùs, intellectus poteſt aduertere ad obiectum ſibi præſentatum, quatenus vtile, & delectabile non aduertens circa illud, quatenus eſt illicitum.

His ſtantibus. Si motus moraliter praui imaginationem conſequentes præueniant omnem deliberationem rationis, culpa prorſus vacant. Si præueniant ſolùm deliberationem perfectam, & plenam, vacant culpa mortali, non veniali. Si adſit plena deliberatio, culpa mortali afficiuntur. Quamuis ergo ad peccatum mortale requiratur plena conſideratio malitiæ obiecti, tamen non eſt neceſſe ſpecialiter aduertere id eſſe peccatum mortale, ſed ſatis eſt aduertere malitiam, ſi vero nulla facta examinatione ſufficienti, qua meritò ſibi quiſpiam perſuadeat, id non eſſe peccatum mortale, illud proſequatur, peccat, quia ſe exponit mani-

feſto

feſto periculo peccandi mortaliter, & virtute vult etiam illud obiectum malum.

Quantum ad conſenſum ex parte voluntatis, dicendum, quod requiritur vt conſenſus ſit omninò plenus ad hoc, vt actus de ſuo genere mortalis fiat peccatum mortale, & quod deficiente plenario conſenſu peccatum illud ex genere ſuo mortale ſit veniale. D.Thom.p.2.q.88.art.7. ad primum, & art.6. Scot.in 2.diſt.6.q.1.§. ad argumenta pro opinione, & diſt. 42.q.1.§. ſequitur ſecundum. Quia cum voluntas ſit regina in regno animæ, cui omnes potentiæ inferiores obediunt, proinde ipſa tenetur regulare, & mouere potentias inferiores ad bonos motus, quòd, ſi non moueat illas ad bonos motus, ipſi voluntati imputantur; Tunc voluntas peccat in cogitatione; ex. gr. de re, quæ eſt peccatum, quando ſe complacet complacentia plena in illa cogitatione turpi, vndè, ſi complacentia non ſit plena, non erit ibi peccatum mortale, quoniam (vt dictum eſt) actus imperfectè deliberatus à voluntate, non eſt humanus ex imperfectione aſſenſus voluntatis, ſi autem aſſenſus imperfectus ex defectu conſenſus voluntatis non eſt meritorius, ita nec demeritorius mortaliter. Nauarrus Præludio nono. A S Thomas Scotus. B Nauarrus.

De actu imperfecto, & indeliberato ex parte voluntatis adducit exēplum de quibuſdam diſplicentijs bonorum diuinorum, quæ accidere ſolent in materia Accidiæ, illæ enim non ſunt perfectæ deliberationes, non ex defectu cognitionis, quia intellectus optimè cognoſcit, quod illa ſunt bona Diuina, vt eſt diſplicentia, quam habet accidioſus de audienda Miſſà, & cætera huiuſmodi.

D.Thom. p.2.q.88.art.5. ad primum. dat exemplum de ira, nam, cum ira ſit motus animi ad nocendum proximo, ſi ſit ad nocumentum graue, ex genere ſuo erit peccatum mortale, tamen ſi hic motus ſubitus ſeu ſualitatis eſt actus imperfectus, & erit veniale. C S.Thom.

Scotus in 2.d.6.q.1. in ſolutione quæſt. Ad primum arg. dicit, quòd actus volendi eſt duplex: Alter efficax; Alter inefficax, ſiue, ſub conditione, & complacentiæ. Volitio efficax eſt, qua voluntas vult obiectum, & etiam media ad conſequendum effectum. Volitio inefficax, ſeu complacentiæ tantùm, eſt, qua vellet obiectum, ſi poſſet, ſed quia cognoſcit illud eſſe impoſſibile, non vult media ad illud conſequendum. Exemplum. Aliò modo infirmus ſperans ſanitatem vult ſanitatem, & alio modo infirmus deſperans de ſanitate vult ſanitatem; ille vult ſanitatem efficaciter, & ideò procurat, & impetrat media inducentia ſanitatē; Hic ſecundus deſperans de Sanitate, vult ſanitatem volitione complacentiæ, ſed non vult eam efficaciter, quia nō quærit media pro eo, quòd Scotus.

non

D non exiſtimat poſſe illam ſibi adipiſci. Volitio efficax eſt ſolum poſſibilium. Complacentiæ verò eſt etiam impoſſibilium. Vnde æxiſtimat, Angelum hoc ſecundo modo appetijſſe æqualitatem Dei, quam tamen A cognoſcebat, eſſe ſibi impoſſibilem. Ad nos, Vtraque volitio ſufficiens eſt ad meritum, & demeritum. De efficaci, nulli dubium eſt. De Complacentiæ probatur, Quia volitio complacentiæ poteſt pleno conſenſu in illo impoſſibili ſibi complacere.

Nota, quod, quando voluntas complacet ſibi in aliquo obiecto inordinato, & illud ſibi cõcupiſcit, vel alijs potentijs, vt turpem cogitationẽ intellectui, vel aliquem alium actum inordinatum alijs potentijs inferioribus, vt luxuriæ, & huiuſmodi, ſi voluntas plenè ſe complacet in illo obiecto inordinato, erit peccatum mortale, ſi non plenè, non eſt peccatum mortale.

§. 4. *Quando poſſumus cognoſcere, quando conſenſus ſit plenus & perfectus ex parte voluntatis, & quando non, & per conſequens peccatum mortale.*

E RESpondetur. Dicendum, quod tunc, quando habet volitionem efficacem, & quærit media. Et ſi habet tantum volitionem complacentiæ, & non imperat media, quia videtur impoſſibile, erit etiam peccatum mortale, vt dictum eſt. Quãdo verò offertur intellectui obiectum inordinatum, & intellectus plenè cognoſcit, illud eſſe malũ, & potentiæ inferiores, ac etiam ipſa voluntas, vt eſt naturalis potentia, habent inclinationem in illud, & poſſent tendere in illud, & conſequi, nec ipſa tamen imperat media ad illud obtinendum, non peccat. Et à fortiori, quando obiectum aliquod inordinatum præſentatur Voluntati, & ipſa Voluntas, etiam ſi poſſet illud conſequi, in illo nec ſe complacet, nec delectatur, ſignum eſt, quòd non conſentit, & ideo non peccat.

F §. V. *Quid dicendum, quando Voluntas non habet velle, nec nolle circa aliquod obiectum ordinatum ſibi oblatum ab intellectu? idem de alijs potẽtijs inferioribus, quas ipſa Voluntas cognoſcit mediante intellectu delectari in aliquo obiecto inordinato, nec eas impedit, & poteſt impedire, ſed ſuſpendit actum (& vt vulgo dicitur)* laſcia correre?

RESpondetur quod ſunt nonnulli, qui docent, Voluntatẽ non peccare in hoc caſu quia requiritur conſenſus expreſſus in actu peccati, & non ſufficit conſenſus interpretatiuus.

Alij docent, Voluntatem peccare, ſi aduertat, eſſe periculum conſentiendi; quia in eo caſu tenetur repellere, ſi verò non aduertat, eſſe periculum conſentiendi, non eſſe peccatum mortale. Nau. cap. 16. num. IX. A Nauarrus.

Sanctus Bonauent. in 2. d. 24. p. 2. a. p. q. 2. aſſerit, Peccatum non poſſe eſſe, niſi, vbi eſt conſenſus verè, ideſt, rationis, verus, vel interpretatiuus. S. Bonauentura.

D. Thom. p. 2. q. 76. Voluntas tunc peccat, cum imperat illicitos actus virium inferiorum, vel poſt deliberationem non reprimit. Scotus noſter idem videtur ſentire in 2. d. 42. §. Ad Quæſtiones iſtas: Probat, enim, quòd Voluntas peccat non repellendo motus illicitos virium inferiorum, ſiuè adſit periculum conſentiendi plenè, ſiuè non; Quia Voluntas eſt motor in toto regno animæ, & omnia obediunt ſibi. Tunc ſic. Sicut voluntas tenetur habere in actu ſuo rectitudinem, ſic tenetur habere illam in alijs actibus exterioribus, ad quos cooperatur, vt motor, ſicut igitur rectè mouendo potentias inferiores, actus earũ ſunt recti rectitudine participata, ità etiam per oppoſitum mouendo non rectè, priuat eas illa rectitudine, quam dare debet. Scotus ibi. Ex hoc habemus, quòd cum voluntas plenè cognoſcit, intellectum, vel vires inferiores verſari circa actum prauum, & illicitum, & non auertit illas ab illo, non mouet eas rectè, neq; dirigit, vt debet; ergo peccat, & actus illi mali imputantur voluntati, quæ eſt motrix illorum. D. Thomas. Scotus. B

Itẽ Scotus ad ſecundũ principale. Licèt non ſit in poteſtate voluntatis prima cogitatio, tamen cõplacere ſe in illa, & retinere intellectũ in ea, eſt in poteſtate voluntatis. Cum ergò intellectus, vel alia potentia inferior detinetur in aliquo actu inordinato, eſt in poteſtate voluntatis, eas ab illo actu auertere, tenetur autem auertere, quia tenetur dare rectitudinem illis, ergo, non auertendo, ſed habendo ſe neutraliter, ſuſpendendo actũ ſuum, peccat, quia tenetur, ſe ad alteram partem determinare, ſcilicet, ad bonam. Optimè. Scotus.

§. 4 *Vtrum actus illiciti mortaliter, in ſe inuoluntarij, ſed voluntarij in cauſa, ſint peccata mortalia?* C

Reſpondetur. Dicendum, quòd motus inordinati ex duplici cauſa accidere poſſunt, vel ex cauſa illicita, vel licita. Si eſt illicita, dupliciter; Vel enim eſt illicita, & mala mortaliter, vel venialiter; Si venialiter, actus erit malus venialiter; Si mortaliter, actus erit malus mortaliter. Requiritur autem ſemper, quòd cauſa ſit præuiſa, & quòd potuerit vitari. Hæc duo ſemper requiruntur in omni actu peccati. Si cau-

Digitized by Google

A ſa eſt licita, etiamſi prę videatur aliquis motus inordinatus, non imputabitur actus, neq; ad peccatum mortale, neque ad veniale. Puta, ſi ex Confeſſione alicuius pręuideat Confeſſarius, in ipſo futurum aliquem inordinatum motum, & tamen audiat Confeſſionem illius, & ſequatur motus inordinatus, ille motus non erit peccatum; quia oritur ex infirmitate naturę, neq; propter ſequelam illius motus orientis ex imperfectione naturæ debet quis ceſſare ab audienda Confeſſione, vel ab alia cauſa honeſta, quęcumq; illa ſit, neq; opus aliàs bonum, propter hoc periculum debet ommitti, ſed in tali caſu incumbendum eſt orationi, & fidendum diuinę pietati, quia adiuuabit laborantem in tali periculo.

Concl. 1. Concludamus ergò, quòd ad culpam mortalem vltra plenam conſiderationem intellectus, exigitur conſenſus plenus voluntatis, quia non poteſt eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium. Ad peccatum veniale ſatis eſt conſenſus imperfectus, ac tepiditas quędam in coercẽdo prauos motus, ſicut & imperfecta deliberatio. Hic motus poteſt eſſe voluntarius B dupliciter, directè, & indirectè. Directè eſt, cum voluntas illum acceptat; Indirectè autem, cum poteſt, & debet excutere, & non excutit.

Concl. 2. Ad ſolam rationem ſuperiorem ſuperioribus attendentem pertinet plenitudo, & perfectio conſenſus, & ea non conſentiente, non poteſt eſſe peccatum mortale. Ratio, quia, vbi ſunt plures iudices ſubordinati, ad iudicem ſuprẹmum ſpectat færre ſententiam finalem, at Ratio ſuperior eſt ſuprẹmus iudex in anima, & conſenſus plenus requiſitus ad peccatum mortale eſt veluti finalis ſentetia, ergo ex D. Thoma p. *S. Thom.* 2. q. 15. art. 4.

Actus, qui non procedit ex ſufficienti iudicio, quales ſunt actus ſemidormientium, ſemiebriorum, vel eorum, qui adeò ſunt turbati, vt non aduertant, quid faciant, vel dicant, vt quando quis ex ſubita paſſione C prorumpit in verba contumeliæ non aduertens verborum ſignificatum, & hoc tunc contingit, quando, illa paſſione tranſacta, interrogatus, quid feciſti? neſcit reſpondere, non eſt peccatum mortale, quia tale iudicium ſufficit tantùm ad veniale, non autem ad mortale.

§. 5. *De ſecunda cauſa, propter quam actus de ſuo genere mortalis fit venialis.*

SEcũda cauſa, qua actus de ſuo genere mortalis fit venialis, eſt (vt initio huius art. diximus) Paruitas rei. Verbi gratia, furtum ex genere

ſuo

ſuo eſt peccatum mortale, quia eſt directè contra præceptum, Non furtum facies, & contra iuſtitiam de non inferendo damnum proximo, ratione, tamen paruitatis materię fieri poteſt, vt ſit tantùm veniale, ac etiã nullum. Eſt cõmunis omnium Doctorum in materia de furto. D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad tertium. Verba D. Thomæ. Illud, quod modicum eſt, ratio apræhendit quaſi nihil, & ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri, & ille, qui accipit poteſt præſumere, hoc non eſſe contra voluntatem eius, cuius eſt res; Et pro tanto, ſi quis furtiuè huiuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari à peccato mortali, ſi tamen habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum. Hæc S. Thomas. Nauarrus in Man. præ- lud. 19. num. 14. & cap. 14. n. 4. Scotus in 2. d. 21. q. p. in reſponſione ad ſecundum pro opinione. Vbi ait, quòd leuis motus per ſubreptionem de opinione aliqua circa articulos fidei non eſt peccatum mortale. Nauarrus capit. 11. num. 4. Addo quòd ſit veniale, vel nullum propter occurrentem neceſſitatem. A *D. Thomas.* *Nauarrus. Scotus.* *Nauarr.* B

Verùm ſciendum, quòd loquendo (vt in præſenti eſt ſermo) de paruitate materiæ, hoc verum eſt in peccatis furti, & obſeruantiæ diei feſti, non tamen in alijs, puta, in peccato luxuriæ, periurij, blaſphemiæ, hæreſis, & huiuſmodi, quia in illis iuſta, & rationabilis poteſt adeſſe cauſa, quæ actus illos à peccatis excuſet; In peccato luxuriæ nulla ratio fingi poteſt, per quam reddi poſſit licita, niſi bono matrimonij honeſtetur, nec periurium ex vllo bono fine, aut alia cauſa honeſtari poteſt, quia in iuramento adducitur Deus in teſtem, Periurus autem quantùm in ſe eſt, facit deum teſtem falſi, quod eſt peccatum mortale, & ſemper.

Illud verò ſemper obſeruandum eſt in hac re, quòd peccatum mortale ex genere ſuo non poteſt fieri veniale ex genere ſuo, nec ècontrà, quia (vt diximus huius articuli initio) hoc tantùm fieri poteſt ex aliqua circumſtantia actui addita, quod etiam alibi innuimus. Iudicare autem quando materia ſit grauis, & quando leuis, relinquitur prudentis arbitrio. C

Sed circa hoc aliqua ſunt inſuper animaduertenda. Primum, quod materia, quæ multum conducit ad finem præcipientis, eſt grauis, & ſufficiens ad conſtituendam tranſgreſſionem mortalem; Tunc enim materia leuis reputabitur ſufficiens ad peccatũ mortale; Vnde non eſt inſpiciẽda præcepti materia iuxtà grauitatẽ, & leuitatẽ ſecundùm ſe ſolã, ſed etiam

A finis, ad quem ordinatur præceptum à Superiore. Secundò attendendæ ſunt circumſtantiæ, quibus Superior mouetur ad imponendum præceptū de aliqua materia ad færendum iudicium de illa, ſæpè enim contingit, materiam præcepti eſſe ſecundum ſe leuem, & incapacem obligationis ad peccatum mortale; At ex circumſtantijs boni communis, & ſimilibus poteſt fieri grauis, & cadere ſub obligatione peccati mortalis. Exempli gratia, Ratione ſcandali vitandi, Ratione iacturæ boni communis, Periculi proximi, Tranſgreſſionis Votorum. Claus Regia lib. 3. c. 7. num. 14. Vnde & impoſſibile videtur in iure humano ex ſola materia diſcernere præcepta ſub peccato mortali, cum res, quæ leuis videtur, & ſit talis in ſe conſiderata, attentis nihilominùs circumſtantijs, ſit magni momenti; Quas circumſtantias Superior prudens ſpectat, & ſubditi ignorant. Tertiò, quòd quantùmcumq; velit legislator obligare, ad peccatum mortale, ſi materia ſit leuis (ſiue materia præcepti ſit partialis, ſiue ſit totalis) non obligabit ad peccatum mortale attentis circumſtantijs, quia cum materia ſit incapax talis obligationis, eſt voluntas rationi diſſona. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 6. q. 5. Hoc verum eſt, etiam ſi Prelatus iubeat in virtute obedientiæ, quia cum materia ſit parua, non poteſt obligare ſub peccato mortali. Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 4. num 4. Quartò, Non eſt neceſſe, vt ſequatur magnum damnum ex fractione legis, ad hoc, vt fractio illa ſit peccatum mortale; ſed ſatis eſt quantitatem ex ſe eſſe magnam. Exemplum de furto facto ditiſſimo viro, cui non infertur magnum damnum ex illo, & tamen eſt peccatum mortale.

Clauis Regia — B — *Azorius.* — *Sanchez.*

Tertia cauſa, propter quam peccatum mortale poteſt fieri veniale, vel nullum, eſt ignorantia, de qua iàm ſatis plura dicta ſunt, ad quæ lectorem remitto.

C

Art. 4. Vtrum Peccatum veniale fieri poſſit mortale.

POſtquàm viſum eſt, quo pacto peccatum mortale fieri poſſit veniale, vel nullum, e conuersò videndum eſt conſequenter modò, an veniale fieri poſſit mortale.

Dubium hoc poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt. An peccatum veniale pro formali fieri poſſit mortale, ideſt, vtrum actus, qui eſt peccatum veniale, fiat mortale. Alter ſenſus eſt, vtrum actus, qui eſt venialis ex genere, fiat mortalis ex circumſtantia aliqua addita.

In primo ſenſu Reſpondetur ad hanc dubitationem negatiuè, immò

mille

A

mille venialia non poſſunt facere vnum peccatum mortale. In ſecundo ſenſu Reſpondetur affirmatiuè, & hoc pluribus de cauſis quas examinabimus. Primò Ratione finis. Secundò Ratione contemptus. Tertiò Ratione ſcandali. Quartò Ratione periculi. Tandem, Ratione conſcientiæ.

Primò, Ratione finis, quia finis (vt dictum eſt) eſt principalis inter circumſtantias morales, quia dat bonitatem, & malitiam moralem, & completam actui. Ratione itaque finis, dupliciter actus ex genere venialis, fit mortalis, Primò, quia quandoq; voluntas ordinat actum illum, qui eſt ex genere venialis ad obiectum, quod eſt mortale, vt dicere verbum otioſum, vt adulteretur. Secundò, ſi in illo actu veniali conſtituat vltimum finem, quod tunc fit, quando quis ita diligit actum ex genere ſuo veniale, vt non curet tranſgredi aliquod pręceptum obligans ſub peccato mortali, vt ſi quis, tempore, quo debet audire miſſam, velit ludere.

B

Conc. Trid. *Contemptus duplex.* *Nauarrus.* *D. Thom.*

Secundò Ratione contemptus, tunc ſcilicet, quando aliquid fit in contemptum conſilij diuini, vel Regulę, & legis etiam non obligantis ex ſe ad peccatum mortale. Nauarrus pręlud. 9. num. 17; ac etiam ratione contemptus ſalutis proximi. Contemptus autem duplex eſt, Formalis, & Interpretatiuus. Formalis tunc eſt, quando contemptus eſt cauſa cõmittendi illud peccatum, nimirùm, quia ideo quis violat pręceptum, quia præceptum eſt, reduplicatiuè, ſeu, quia ipſi, aut Superiori præcipienti ſubijci renuit, quia, cum Superior ſit lex quædam animata, idem eſt nolle ſubijci legi, quod nolle ſubijci Superiori. Nau. cap. 23. num. 42. verba Nauarri. Dicitur autem tranſgredi legem ex contemptu quiſquis principaliter mouetur ad id, eò quòd illam, vel illius auctorem paruifacit, non autem, qui mouetur, & inducitur ad id principaliter per iram, auaritiam, aut aliam cauſam, etiam iniuſtam. D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 9. Hæc Nauarrus. Eſt ergo Contemptus, reputare præceptum, vel conſilium Superioris irrationale, ſiue Contemnere (vt ſonat vocabulum) eſt paruifacere rem aliquam, & illam nullius valoris, & vtilitatis iudicare. Contemptus interpretatiuus eſt tunc, cum quis peccat ex malitia, praua conſuetudine, aut alia ex cauſa. His poſitis:

C

Contemptus formalis. *Contemptus interprętatiuus.*

Dico primò. Contemptus interpretatiuus non ſufficit ad conſtituendum veniale, mortale.

Dico ſecundò. Ad hoc, vt Veniale fiat mortale ratione contemptus, requiritur, vt contemptus ſit formalis.

Nota, quòd peccare ex contemptu importat duo, ſcilicet, actum peccati, & cauſam eius. Et peccatum contemptus, eſt peccatum inobedientiæ formalis, quæ inobedientia formalis conſiſtit in voluntate non obe-

diendi

A diendi præcepto, eò quòd præceptum eſt, & ideò includit formalem præcepti contemptum.

Nota ſecundò, quòd aliud eſt contemptus præcepti, aut legis ſimpliciter, & abſolutè, & aliud eſt contemptus executionis hìc, & nunc. Item, aliud eſt contemnere præceptum ſimpliciter, aliud contemnere ſecundùm quid. Simpliciter contemnit ille, qui non vult ſimpliciter præcepto ſubijci, & obedire; Secundùm quid contemnit ille, qui vult vtiq; obedire, & ſubijci abſolutè, ſed renuit hic, & nunc, ne in hac re leui ſubijciatur.

Caietanus. Primo modo eſt peccatum mortale, ſecundo modo, veniale Caietanus.

Nota tertiò. Quòd Contemptus, aut eſt præcipientis, aut præcepti; Si præcipientis, & præcipiens eſt Deus, erit peccatum grauiſſimum, ſi præcipiens eſt homo, quia præceptum eſt humanum, hoc poteſt eſſe dupliciter, vel enim contemnitur poteſtas, tamquàm nullius momenti, vel contemnitur homo ipſe præcipiens, quia eſt imprudens, aut alia ratione, non abſolutè, ſed in re illa fatua. His poſitis. Dico pariter duo.

B Dico primò. Si contemnitur poteſtas, eſt peccatum mortale.

Dico ſecundò. Si non contemnitur poteſtas, ſed præcipiens, quia imprudens eſt, non eſt peccatum mortale.

Nota quartò. Quòd aliud eſt nolle obedire ex indignatione, aliud eſt nolle obedire ex contemptu. Ex indignatione tunc eſt, quando quis non vult in re aliqua obedire, non quia renuit ſubijci Superiori, ſed ne ipſum in ea re ſolatio afficiat, vulgo, *per non farli coſa grata*. Ex contemptu tunc eſt, quando renuit obedire, quia non vult ſubijci. Nolle obedire primo modo, quando indignatio non eſt mortalis, non eſt peccatum mortale; Nolle obedire ſecundo modo, ideſt ex contemptu eſt peccatum mortale. Vnde ſemper eſt peccatum mortale contemnere Prælatum, vt Prælatus eſt, & à Deo auctoritatem habet, quocumq; modo contemnat, ſiue appretiando illum minùs, quàm oporteat, ſiue illi indignando, aut conuitia inferendo.

Eſt adhùc contemptus ſalutis proximi, qui facit etiam de veniali, mortale, & pro hac re.

C Notandum eſt. Quòd nemo tenetur ſub præcepto conſulere ſaluti alicuius in particulari, quia præceptum charitatis ad hoc non obligat, ſed eſt tantùm conſilium. Præceptum Charitatis de diligendo proximo poteſt intelligi dupliciter; Vno modo poſitiuè, ideſt, quòd teneamur elicere actum dilectionis proximi; Vel quaſi prohibitiuè per modum actus contrarij arcendi à dilectione proximi, quod eſt idem, quod non odiſſe proximum.

Scotus. Scot. in 3. diſt. 30. Hoc ſecundo modo obligat præceptum quòad duo, ſcilicet, quòad bona ſpiritualia,

quæ

Digitized by Google

quæ ſunt omnia illa, quibus attingit, vel natus eſt attingere Deum, A & quoad bona indifferentia, quæ ſunt ea, quæ poſſunt ordinari ad bonum ſpirituale, & ad oppoſitum. Exemplum bonorum ſpiritualium, Non odiſſe proximo, ipſum diligere Deum, ſiue velle proximo ipſum diligere Deum amore amicitiæ, vt eſt bonum honeſtum, vel concupiſcere ſibi deum, vt eſt bonum commodi, Ipſum audire miſſam, prædicationem, correptionem, inſtructionem, per quæ conuertitur ad diligendum deum. Exemplum bonorum indifferentium. Non odiſſe proximo vitam corporalem, ſanitatem, eſſe diuitem, fortem, &c. Quibus ſtantibus dico ſimiliter duo.

Dico primò. Bona ſpiritualia nulli poſſumus odiſſe, ſiue nolle. Quia odium iſtud non ſtat cum perfectè diligere deum, quod eſt, ipſum deum velle condiligi ab alio, cuius amicitia noſcitur ei non diſplicere.

Dico ſecundò. Bona indifferentia poſſumus odiſſe, & nolle proximo ordinatè. B Quia ipſa poſſumus odiſſe, & nolle nobis ipſis, & quæcumque poſſumus nolle nobis ordinatè, ea poſſumus quoque proximo odiſſe, & nolle. Probatur; Poſſum mihi ordinatè nolle diuitias, ſanitatem, & vniuerſaliter neceſſaria ad vitam corporalem, & hoc dupliciter, vel antecedenter, vt ſi fiam pauper voluntariè, ſeu volendo, deum infligere ea mihi propter peccata mea, vel voluntate conſequenti, vt ſi ſint inflicta, acceptare ea, & gaudere de illis iam inflictis; Idem dicendum de rebus fortunæ, & bonis Corporis. De vita verò corporali dupliciter etiam loqui poſſumus, vel abſolutè, vel ſub conditione. Abſolutè non poſſumus odiſſe vitam corporalem alicuius, quia poſt mortem non eſt pęnitentia; Sub conditione, ſic, quia, ſi quis credat, aliquem finaliter futurum malum, poteſt ei nolle vitam, vt det locum ſanctis, quos impedit, & ne addat peccata peccatis. C

De diligere poſitiuè, quoad bona indifferentia, non tenemur velle proximo bona indifferentia actu poſitiuo, quoad bona verò ſpiritualia non tenemur actu velle ea proximo, niſi in caſu.

Ad propoſitum. Tunc actus venialis ex genere ſuo fit peccatum mortale ex contemptu ſalutis proximi, quando quis vult actum illum facere, etiam ſi ſciat illum eſſe cauſam peccandi mortaliter proximo, quia tunc ſpernit bonum ſpirituale proximi, quod eſt eſſe amicum dei, & in gratia dei, ad quod tenemur præcepto Charitatis, quia non poſſumus odiſſe, ſeu nolle ſalutem proximi.

A Tertiò Ratione ſcandali. Scandalum ſignificat offendiculum, & dicitur à ruina, quaſi offenſio pedis, eò quòd ſit occaſio cadendi, ideò illud, quod in via ſpirituali diſponit ad ſpiritualem ruinam, ſeu præbet occaſionem peccandi, dicitur ſcandalum.

Notandum, quòd ſcandalum eſt duplex. Actiuum, & Paſſiuum. Actiuum eſt dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ, ſcilicet ſpiritualis, ideſt, peccandi. Paſſiuum eſt ipſa proximi, ſpiritualis ruina, ſeu peccatum illud, in quod proximus labitur occaſione accepta à facto, vel dicto alterius; Si lapſus ſit in veniale, erit veniale, ſi in mortale, erit mortale. D. Th. 2. 2. q. 43. Dicitur autem ſcandalum, dictum, vel factum, quia non oritur ex actu interiori, ſed ex ſolo actu exteriori, modò omnia peccata externa (quæ ſola ſcandalizare poſſunt, quia ea ſola à proximo cognoſcuntur) ſunt oris, vel operis. Dicitur minùs rectum, ideſt, peccatum, vel habens ſpeciem peccati, ſeu mali (quia actus bonus non poteſt eſſe materia ſcandali) ideſt, quod ex aliquo capite caret debita rectitudine, aut quia eſt in ſe malum, aut mali ſpeciem habet, aut, ſi hanc non habet, dicitur inordinatum, aut minùs rectum, quia gratia vitandi ruinam proximi, vitandum eſſet. Dicitur præbens occaſionem ruinæ, non autem cauſam, quia à nulla re extrinſeca, tamquàm ab efficaci cauſa poteſt voluntas trahi ad peccandum, ſed tantùm, tamquàm ab occaſione duci, ſeu cauſa imperfecta, & motiua ad peccandum.

D. Thom.

B

Item, ſcandalum Actiuum eſt duplex, Datum, & Acceptum. Datum eſt id, quod ex vero alterius actiuo ſcandalo oritur, ideſt, ex dicto, vel facto alterius, & dicitur ſcandalum per accidens. Paſſiuum eſt id, quòd ex ſola malitia accipientis oritur, & dicitur ſcandalum per ſe; Vnde, ſcandalum aliquando oritur ex malitia accipientis, & dicitur ſcandalum Phariſeorum; Aliquando ex ignorantia, vel infirmitate, & dicitur ſcandalum puſillorum.

Duobus autem modis poteſt aliquis eſſe alteri per ſe occaſio peccandi; Vno modo ex intentione, cum, ſcilicet, ex intentione, & data opera facit aliquid, vt alter peccet, vt qui ſuadet alteri peccatum, vel facit opera mala, vt inducat alios ad peccandum; Alio modo non ex intentione, ſed ex operis conditione, quod, ſcilicet, eſt peccatum, vel habet ſpeciem peccati. Vtroq; modo eſt ſcandalum actiuum. Vnde actus, qui eſt cauſa per accidens peccati alterius non facit ſcandalum actiuum, ſed paſſiuum; Huiuſmodi autem eſt actus qui neq; eſt bonus, neq; malus, neq; habet ſpec em mali.

C

Notandum præterea, quòd aliquando eſt ſcandalum actiuum ſine paſſiuo, vt quando aliquis dat alteri per ſe occaſionem peccandi, ſed ille

non peccat; aliquando eſt tantùm paſſiuum ſine actiuo, vt quando aliquis ſcandalizatur ex opere bono; aliquando ſimul actiuum, & paſſiuum, vt quãdo datur per ſe, & ſumitur occaſio peccandi. Sed hic occurrit dubiũ. A

Vtrum opera bona ſint dimittenda, vt ſcandalum vitetur?

Reſpondetur. Dicendum, quòd opera bona ſunt duplicis generis, vel enim ſunt neceſſaria ad ſalutem, vel non ſunt neceſſaria. Sermo eſt de ſpiritualibus. His poſitis dico ſex.

Dico primò. Opera neceſſaria ad ſalutem non ſunt dimittenda propter quodcunq; ſcandalum paſſiuum, quia ſalus animæ propriæ præferenda eſt ſaluti aliorum, quia charitas debet eſſe ordinata.

Dico ſecundò. Opera bona non neceſſaria ad ſalutem non ſunt dimittenda propter ſcandalum Phariſeorum.

Dico tertiò. Propter ſcandalum puſillorum opera bona non neceſſaria ad ſalutem ſunt differenda, quòuſq; huiuſmodi ſcandalum ceſſet, & ſi reddita ratione, adhuc ſcandalum duret, iàm non erit ſcandalum puſillorum, ideſt, ex ignorantia, vel infirmitate, ſed Phariſeorum, ideſt, ex malitia. B

Dico quartò. Bona temporalia aliorum, nempè depoſiti, &c. non ſunt dimittenda propter ſcandalum.

Dico quintò. Bona temporalia propria dimittenda ſunt aliquandò propter ſcandalum puſillorum, quando illud remoueri non poteſt, non autem propter ſcandalum Phariſeorum, quia daretur illis occaſio peccandi.

Dico ſeſtò. Non tenemur facere omnia opera bona, quæ proximus petit, niſi aliàs ſint debita, vel rationabiliter putantur. Silueſter q. vlt. de Scand. Plura nos de hac re, cum de Correptione fraterna. Alibi.

Articulus V. De Peccato Ommiſſionis.

SVpponitur, duo præcipuè eſſe de peccati eſſentia, alterum, vt peccatum ſit defectus voluntarius, alterum, vt ſit defectus perfectionis, ſeu rectitudinis debitæ ineſſe actui. Dico plura. C

Dico primò. Ommiſſio præcepti affirmatiui obligantis ad faciendum quod præcipitur, verè eſt culpabilis, & peccatum, quando eſt voluntaria. Pro quo notandum, quòd ad hoc, vt ommiſſio dicatur voluntaria, & ad culpam imputetur, tria ſunt neceſſaria. Primum, vt quis poſſit facere. Secundum, vt teneatur facere. Tertium, vt non faciat quod tenetur, & poteſt facere.

Dico ſecundò. Ommiſſio propriè, & formaliter eſt tunc ſolùm, quã-

Digitized by Google

A do implendum eſt præceptū, etiam ſi ſit in ſomnis, aut in ebrietate, quia tunc, & non prius, aut poſtea adeſt obiectum ommiſſionis, ideſt, tempus, quo tenetur quis implere preceptum; ergo ante, vel poſt illud tempus nō eſt ommiſſio quia ommictere, eſt non facere quod, & quando tenetur facere; Nām ille qui appoſuit cauſam ommiſſionis præcepti, verbi gratia, nimium ſtudendo, &c., & poſtea tempore precepti implendi, ab aliquo excitetur à ſomno, vt impleat præceptum, non peccat peccato ommiſſionis.

Dico tertiò. Præbens cauſam ſufficientem ommiſſionis precepti culpabiliter, peccat, etiam ſi poſtea non ommictat facere; Ratio clara, & euidens eſt, Certum eſt enim, quod, qui ſufficientem peccandi cauſam dat, aut ſemetipſum peccandi periculo exponit, peccat, ſed qui præbet cauſam ſufficientem ommiſſionis præcepti culpabiliter, etiam ſi poſtea non ommictat facere, dat ſufficientem peccandi cauſam, & ſemetipſum peccandi periculo exponit, quia exponit ſe periculo ommictendi id ad quod ex precepto, tenetur, & obli-
B gatur, vt ſupponitur, ergo peccat.

Dico quartò. Quando actu eſt ipſa ommiſſio, non commictitur nouum peccatum formaliter, ſed ſolùm nouum peccatum materialiter, quod tamen non eſt nouum peccatum, & culpa, niſi per illam culpam, quæ fuit in cauſa ità vt vnū numero peccatum ſit formaliter. Cauſa verò ommiſſionis poteſt eſſe mala, & nō mala; Quando cauſa non eſt mala nō eſt explicanda in confeſſione; Quando cauſa eſt mala, vt ebrietas, fornicatio, &c. explicanda eſt in confeſſione, quia tunc eſt duplex peccatum, ſcilicet velle inebriari, & fornicare, & voluntariè præbere cauſam violandi preceptum, puta, audiendi miſſam, &c.

Dico quintò. Actus, qui eſt cauſa ommiſſionis modò non ſit magis obligatorius, quàm actus, qui ommittitur, etiam ſi aliundè non ſit malus, eò ipſo, quòd eſt cauſa ommiſſionis, malus eſt, & peccatum.

Dico ſextò. Actus, qui eſt cauſa ommiſſionis ſi aliundé malus non
C ſit, licet non ſit formaliter peccatum ommiſſionis, reductiuè tamen peccatum ommiſſionis eſt, & vnum numero peccatum cum ipſa ommiſſione.

Dico ſeptimò. Ommiſſio, quæ ſit in ſomnis propriè peccatum non eſt. Idem dicendum de alijs peccatis in ſomno, & ebrietate factis. Ratio, quia ad rationem peccati requiritur voluntarium, In ſomno autem, & ebrietate non eſt voluntarium, ergo &c.

Dico tandem. Quando aliquis dedit cauſam peccato ommiſ- ſionis,

Digitized by Google

ſtonis, ſi antequàm eueniat, illum pæniteat dediſſe illam cauſam, ſibi ad culpam non imputabitur ommiſſio illa apud Deum. Exemplum de proijcente Breuiarium, quo non poteſt recitare horas Canonicas. A

Quartò Ratione periculi peccatum veniale poteſt fieri mortale, iuxtà illud Eccleſiaſtici capite 3. num. 27. Qui amat periculum, in illo peribit. Nauarr. cap. 14. num. 26. & cap. 3. num. 14. Sanchez in ſumma lib. 1. cap. 8. *Eccleſiaſt. Nauarr. Sanchez.*

Quintò Ratione conſcientiæ, de qua, quia plura obſeruanda, & conſideranda ſunt, quæ ad rem noſtram pertinent, pleniùs erit ſermo in ſequenti Capite, vbi omnia exactè de mente Doctorum diſcutiemus.

De Regulis Humanorum Actuum. B

Cap. VII.

SVpponitur, Actionem, ſiue Actum humanum eum eſſe, qui competit ſoli homini, quatenùs homo eſt, quem, ſcilicet, homo cum libertate, & deliberatione, & conſultatione exercet, quo actu, ſiue qua actione Homo, ſtudioſus, aut vitioſus, bonus, aut malus dicitur, laudem, aut vituperium mæretur, beatitudinem, aut damnationem propriam conſequitur; Cuius actionis, ſiue operationis, qua homo diſcernitur à cæteris animantibus, duo ſunt principia, Intellectus, ſcilicet, & Voluntas.

Intellectus eſt duplex, Practicus, & Speculatiuus. Intellectus practicus dicitur, quia rebus à nobis agendis, & operandis intentus eſt, cuius finis eſt praxis, ideſt, operatio; Speculatiuus dicitur, quia ſolùm contemplandis rebus intendit, quæ à nobis operandæ non ſunt, cuius finis eſt ſpeculari, & ſcire. Iſti duo intellectus non ſunt duæ diuerſæ potentiæ, ſed eiuſdem potentiæ diuerſi actus. In intellectu ſpeculatiuo duplex ratio diſtinguitur, Superior, & Inferior; Ratio Superior illa dicitur, quæ circà externa, & conſpicienda, & conſulenda verſatur; conſpicienda, ſecundùm quod ea in ſe ipſis ſpeculatur, conſulenda, ſecundùm quod ex his regulam agendorum accipit; Sunt enim quædam externæ rationes, quibus vita noſtra directa errare non poteſt, puta iſta, C

Digitized by Google

A Omnia, quęcumq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Matteus.* Mattei ſeptimo, num. 12. Ratio inferior dicitur, quæ circa temporalia occupatur, ſicut cum cogitat, quid quieti corporis, & paci conducat, quid honeſtati, & famæ.

Voluntas eſt potentia, qua proſequimur, & tendimus interiori animo in bona, & conuenientia, quæ per rationem, ſeu intellectum cognita ſunt. Voluntas duo in agendo reſpicit, videlicet, finem, & media, ſicut intellectus practicus, qui eam dirigit vtrumq; conſiderat, finem, tamquam principium, & media.

Notandum inſuper. Quòd ſicut in intellectu ſpeculatiuo ſunt quædã certa principia indita à natura, quæ à Philoſophis Axiomata, Maximę, ſeu Dignitates dicuntur, quas nullus ſanæ mentis negare poteſt, vt ſunt, exempli gratia, Iſtæ, Totum eſt maius ſua parte; Si ab æqualibus, ęqualia demas, ea, quæ remanent, erunt æqualia; Impoſſibile eſt de eodem B idem affirmare, & negare ſimul; De quolibet verum eſt aſſerere eſſe, vel non eſſe, de nullo ambo ſimul, & huiuſmodi. Et ſicut in intellectu practico ſunt quædam principia, quæ nihil aliud ſunt, quàm quædam infallibilia iudicia de finibus, & actibus humanis, cuiuſmodi ſunt iſta, Beatitudo eſt appetenda, Sapientiæ eſt ſtudendum, Iuſtè eſt viuendum, Virtus eſt amanda, Vitium eſt fugiendum, quod iudicium intellectus practici dicitur Syndereſis, quodq; iudicium, & Syndereſis etiam in malis, & *Iſaias.* peruerſis hominibus perſeuerat, iuxtà illud Iſaiæ. Vermis eorum non morietur, & loquitur de damnatis; Ita in Voluntate, hunc actum practicũ Rationis conſequitur alius ſimilis, ſcilicet, naturalis appetitus finis, vt velle eſſe beatum, velle iuſtè viuere, appetere beatitudinem, quia omnia illa, quæ Ratio, vt finem, & certa bona voluntati proponit, illa naturaliter voluntas appetit. Vnde tres ſunt actus voluntatis ſecundùm D. Thom. *D. Thomas.* p. 2. q. 12. art. 1. ad Quartum, Voluntas ſimplex, ſeu velle. Fruitio, & C Intentio. Primus actus, ſcilicet Voluntas eſt circa finem abſolutè conſideratum, vt quoddam bonum per ſe amabile, & appetibile. Secundus, ſcilicet, fruitio eſt circa finem iam habitum. Tertius, ſcilicet intentio eſt circa finem procurandum per media; Quæ intentio metaphoricè dicitur *Matteus.* oculus, iuxtà illud Mattei 6. num. 22. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totũ corpus tuũ lucidũ erit, oculus tuus, ideſt, intentio tua, ſimplex fuerit, ideſt, recta fuerit, & ſine nota duplicitatis, quia veh duplici corde, inconſtans enim eſt in omnibus vijs ſuis, ideſt in omnibus operibus ſuis, totum corpus tuum lucidum erit, ideſt, tota operatio tua recta erit, quia ſicut homo per oculos greſſus ſuos dirigit, ità & per intentionem, actiones ſuas.

A Vo-

Digitized by Google

A Voluntate venit voluntarium; Voluntarium enim dicitur illud, quod fit à principio intrinſeco cum cognitione finis, aut etiam circumſtā- A
tiarum, circa quas eſt ipſa operatio. Per ly *à principio intrinſeco cum cognitione finis*, diſtinguitur à violento, à motu naturali,& ab inuoluntario. Violentum dicitur illud, quòd fit à principio extrinſeco non conferente vim paſſo, & reperitur in rebus, ac motibus etiam brutorum,& inanimatorum. Inuoluntarium dicitur, quod fit, vel per ignorantiam, vel per violentiam; Vnde habemus, quòd ad voluntarium requiritur ſcientia, & cognitio. Inuoluntarium,vt plurimùm, præſupponit ignorantiam. Actus dicitur Voluntarius, qui procedit à voluntate cum cognitione finis, ſiue id fiat ex recta ratione, ſiue ex animo, & libenter, ſiue ex metu, & triſtitiā. Exemplum de Mercatore proijciente merces in mare, qui voluntariè operatur, & eas proijcere vult, licèt cum triſtitia proijciat.

Voluntarium dicitur dupliciter. Directè, & Indirectè. Illud dicitur voluntarium directè, cuius voluntas poſitiuè eſt cauſa, ſeu efficit illud, quia, ſcilicet, à voluntate directè, ſicut ab agente procedit. Voluntarium indirectè, dicitur illud,quod eatenùs à voluntate procedit, quatenùs voluntas, cum poſſit, & debeat illud impedire, non impedit, ſed permittit, illud eſſe, aut fieri, vnde meritò voluntati adſcribitur, ideò actus B
ommiſſionis imputatur ad peccatum, quia tenetur facere, poteſt facere, & non facit.

His ſtantibus. Dico quòd duplex eſt regula actuum humanorum, Intrinſeca, ſcilicet, & Extrinſeca. Intrinſeca eſt Conſcientia. Extrinſeca eſt duplex, Prima eſt Dei voluntas; Altera eſt Lex. De quibus omnibus erit ſermo.

Articulus primus. De Regula intrinſeca, videlicet, de Conſcientia.

TRria videnda occurrunt in hoc articulo. Quid ſit; Quos actus, ſeu effectus in homine producat; & Quotuplex ſit.

C

§. 1. *Quid ſit Conſcientia.*

NON benè diſcernere poſſumus, quid ſit conſcientia, niſi videamus quid ſit ſynderesis, habet enim maximam conuenientiam cum conſcientia.

Notandum eſt igitur, quòd neutra, ſecundùm omnes ferè Theologos, eſt potentia aliqua particularis diſtincta ab intellectu, & voluntate, neq;

vis.

Digitized by Google

A vis aliqua innata, nec portio aliqua naturæ rationalis; Sed Syndereſis eſt habitus principiorum practicorum, Conſcientia verò eſt habitus concluſionis practicæ, cuius actui, actio, ſeu ratio recta debet conformari in agibilibus. Probatur exemplo in ſpeculabilibus, in quibus ſunt quædam principia prima, quæ, notum eſt, eſſe vera per ſe, ſeu ex terminis, quæ dicuntur dignitates, quorum cognitio non eſt aliqua potentia, ſeu vis, vel portio diſtincta ab intellectu, ſed eſt habitus quidam, qui dicitur Intellectus. *Ariſtoteles.* Primo Poſt. cap. 2. Ità in practicis, & operabilibus ſunt quędam principia, quæ ex ipſo lumine naturæ patet, eſſe bona, & conformia rectæ rationi, & oppoſita illis, eſſe mala, & contra rectam rationem. Ad propoſitum. Cognitio horum principiorum dicitur Syndereſis; Probatur, Nàm Syndereſis ponitur quædam res habens ſemper actum elicitum neceſſarium tendentem in actum iuſtum, & reſiſtentem peccato; Habitus autem principiorum practicorum eſt huiuſmodi, eſt enim dictamen quoddam ſemper, & neceſſariò tendens, & inclinans ad operandum bonum, & reſiſtendum malo, vnde ſemper inſtigat ad bonum, & murmurat de malo; Ergo Syndereſis eſt habitus ille primorũ B principiorum practicorum; Et ideò quando voluntas deficit ab actu bono, & elicit actum malum, Syndereſis murmurat, ideſt, dictamen, & habitus horum principiorum reclamat.

Conſcientia (vt dictum eſt) eſt habitus concluſionis practicæ; Nàm ex cognitione illa primorum principiorum dictantium, Bonum eſt faciendũ, Malum eſt fugiendum, & ex alia propoſitione minori ſub illa, nimirùm ex hac, Furari eſt malum; ſequitur concluſio iudicans, & aſſerens, Ergo furari eſt fugiendum. Illa igitur ſcientia ex ſillogiſmo practico, & iudicium, eſt propriè Conſcientia. Vel ſic. Conſcientia eſt iudicium practicum applicatum ad opus, quo in rebus agendis decernimus, hoc eſt faciendum, illud fugiendum; Quare Conſcientia eſt actualis applicatio principiorum practicorum ad particularia agibilia per modum concluſionis practicæ, vt exempli gratia, Deus eſt diligendus ſuper omnia, Odium Dei eſt fugiendum ſuper omnia. Hæc de primo, &c.

C §. 2. *Quot actus, ſeu effectus producat Conſcientia in homine.*

PLures ſunt actus Conſcientię, ſiue plura facit Conſcientia, & plures effectus producit, Teſtificari, ſcilicet, accuſare, repræhendere, excuſare, ſeu defendere, & dictare, ſiue iudicare. Teſtificari de peccatis commiſſis, eſt enim hic actus de factis præteritis, quæ recognoſcimus, nos feciſſe, vel non feciſſe, quæ facta, bona, vel mala fuerunt. *Auguſt.* Vnde D. Auguſtinus, quando Deus iudex erit, alius teſtis, quàm conſcientia tua non

erit

erit inter iuſtum iudicem Deum, & cauſam tuam, noli timere, niſi conſcientiam tuam; Et illud commune dictum Conſcientia mille teſtes, & illud Apoſtoli ad Rom. 4. Teſtimonium mihi perhibente cõſcientia mea; Et 2. Teſtimonium reddente illis conſcientia eorum. A

Accuſare, repræhendere, & excuſare. Dictat enim aliquid benè, vel malè factum eſſe; Eſt iſte actus in ordine ad malum commiſſum, vel bonum ommiſſum, & conſtat quidem, illud malum eſſe commiſſum, & bonum eſſe ommiſſum, ſed dubium eſſe poteſt, an illud, benè, vel malè, commiſſum, vel ommiſſum ſit, & tunc Conſcientia nos excuſat, vel accuſat, repræhendit, remordet, &c. Ad Rom. 2. Inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus. Et D. Aug. Contra Secundinum Manicheum c. 1. vt refertur. 11. q. 3. c. Senti. Senti de Auguſtino quicquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet. Hoc dictum D. Auguſtini intelligitur, quando ſumus inter tales, qui non curant imitari, ſed reprehendere, tunc nàmq; ſufficit nobis quantùm ad eos Conſcientia bona. Gloſ. ibid. Hic actus poteſt dici examinatio conſcientiæ, in quãtùm, ſcilicet, Conſcientia examinat ea, quæ iàm facta, vel ommiſſa ſunt. Ex his duobus ſequitur triſtitia, vel gaudium, turbatio, vel quies tàmquàm effectus, & iuxtà duos iſtos modos dicitur Conſcientia bona, vel mala, pura, munda, vel coinquinata; Nàm, quando quis non eſt ſibi conſcius alicuius mali, dicitur habere conſcientiam bonam, Vnde. 1. ad Thimot. 1. dicitur, Finis autem præcepti eſt Charitas de corde puro, Conſcientia bona, & fide non ficta. Econtrà de malis dicitur, Cauteriatam habentes conſcientiam. Et ad Titum 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum, ſed coinquinatæ ſunt eorum mens, & conſcientia. Hinc habemus, quòd Conſcientiæ nomen ſignificat internum illud teſtimonium, quo quis conſcius eſt de benè, vel malè factis, & quo accuſatur, vel excuſatur, iuxtà illud Gen. 43. n. 22. Nõ eſt in noſtra Cõſcientia, qui eã, ſcilicet pecuniã, poſuit in marſupijs noſtris.

Ad Rom. *S. Auguſt.* *11. q. 3. c. Senti.* *Gloſſa.* B *1. ad Thim.* *Ad Titum.* *Geneſis.* C

Alius actus eſt, inſtigare, dirigere, ligare, vel ſoluere, ſeu dictare, & ordinare, & iſte actus eſt in ordine ad aliquid faciendum, vel non faciendum. Exemplum de ligato corporaliter; Nàm ſicut ligatus corporaliter habet neceſſitatem conſiſtendi in loco, vbi manet ligatus, & aufertur ei libertas ad alium locum diuertendi; Ità Conſcientia ligat, & obligat voluntatem ad aliquid faciendum, vel non faciendum, ità vt non poſſit aliud ſine peccato facere, vel ommictere, quàm illud, quod Conſcientia ſibi faciendum, vel ommictendum eſſe dictat. Quo ſenſu dixit Apoſtolus ad Rom. 14. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Ideſt, Omne, quod ſit contrà Conſcientiam, peccatum eſt. Hæc de ſecundo.

Ad Roman.

§ 3. Quo-

A

§. 3. *Quotuplex ſit Conſcientia.*

ALiqui vocãt Conſcientiam, Iudicatorium naturale; Aliqui, legem intellectus practici; Sed extendendo vocabulum, opus ipſum Conſcientiæ bonum, vel malum, ideſt, voluntas bona, vel mala, ſolet appellari Conſcientia, iuxtà illud p. ad Thimot, Vbi Apoſtolus hortatur ipsũ ad retinendum fidem, & bonam conſcientiã, ideſt, opus bonum dictatum à Conſcientia, bonam, ſcilicet, voluntatẽ. Et ad Hebreos cap. 9. Emundauit conſcientiam noſtram ab operibus malis, vbi accipitur conſcientia pro actu voluntatis. His præmiſſis.

1. ad Thimoteum. *Ad Hebreos*

Conſcientia, ſeu Concluſio practica deducta ex aliquo illorum principiorum practicorum, & ex altera particulari, poteſt eſſe triplex, Falſa, Dubia, vel Vera. Hoc accidit, quia minor ſumpta ſub maiori certa, vel eſt falſa, vel dubia, vel vera. Vel ſic.

B

Conſcientia poteſt eſſe quintuplex. Recta, ſeu Vera. Falſa, ſeu Erronea. Dubia. Probabilis. Scrupuloſa.

Recta eſt, quæ per verum ſillogiſmum veram ſententiam concludit. Exemplum. Omne mandatum dei eſt ſeruandum; de diligendo Deo ſuper omnia eſt mandatum; ergo eſt ſeruandum; Ergo Deus eſt diligendus ſuper omnia, ratio, quia Deus eſt.

Concl. 2.

Falſa, ſeu Erronea Conſcientia eſt, quæ per falſum ſillogiſmum falſam ſententiam concludit; Vel, quæ dictat eſſe verum quod eſt falſum, & falſum quod eſt verum; Vel, quæ iudicat, & credit id, quod eſt bonum eſſe malum, & malum, bonum; Vel, quando iudicat actum indifferentem eſſe malum, vel prohibitum; Vel ſic, Conſcientia falſa eſt dictamen falſum rationis de eo, quod agendum, vel vitandum eſt, tamquàm de aliquo prȩcepto, ex quo errore falſo iudicat bonum, quod eſt malum, & malum quod eſt bonum, vt dictum eſt.

S. Thom.

C

Dubia Conſcientia eſt, quæ nec aſſentit, nec diſſentit, ſed in dubio, & ambiguo manet.

Probabilis eſt, cum quis probabiliter exiſtimat, vnam partem eſſe veram, cui aſſenſum præbet, dubitat tamen de veritate oppoſitæ, vtrumnam & ipſa vera eſſe poſſit, cum ratio illa, ob quam in illam potiùs, quàm in aliam partem inclinet, probabilis tantùm ſit, non autem certa.

Scrupuloſa eſt, quæ alteri parti adhȩret, ſed cum formidine, & anxietate, quȩ animum torquet, & leui innititur fundamento, ac debilibus, nulliuſq; fęrè momenti adhæret rationibus.

His autem viſis, oriantur circa prædicta ſequentes difficultates.

§ 4. *Vtrum*

A

§ 4. *Vtrum Conſcientia Erronea obliget, vt illam ſequamur, ita vt illam non ſequi, & non facere, quod illa dictat, ſit peccatum?*

HIc ſupponitur, Conſcientiam veram, & rectam ſemper obligare ad faciendum, vel non faciendum quod dictat, ſed circa propoſitam difficultatem

De Conſcientia erronea, pars negans communiter reijcitur à D. Thoma p. 1. q. 19. art. 1. à Scoto in 2. d. 34. q. 1. Pars affirmans probatur, Quia bonum, vel malum non imputatur voluntati, quia in ſe ſit bonum, vel malum, ſed, quia proponitur voluntati, vt bonum, vel malum; Vnde voluntas redditur culpabilis, & imputatur illi ad peccatum, quia appræhendit malum eſſe malum, & tamen vult illud facere, & ideò, quando adeſt ignorantia non peccat; Similiter, quia appræhendit bonum, vt bonum, & faciendum, & tamen non vult illud facere; Hinc eſt, quòd cum ratio, & conſcientia iudicat aliquem actum, qui eſt bonus, eſſe malum, & eſſe fugiendum, Voluntas tenetur illum fugere, quia ſibi proponitur, vt malum, ſimiliter de bono faciendo, quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, vt diximus. *S. Thom. Scotus.* B

Nota, quòd Conſcientia Erronea poteſt eſſe duplex, ſicut ignorantia, ex qua oritur. Scilicet, Inuincibilis, & Vincibilis. Conſcientia ex ignorantia inuincibili obligat dupliciter, & ad non faciendum, videlicet, aliquid contrà ipſam, & ad ſequendum dictamen, & iudicium ipſius. Conſcientia ex ignorantia vincibili obligat tantùm vno modo, ad non faciendum, ſcilicet, aliquid contra eam; Non tamen obligat ad faciendum illud, quòd dictat, ſed obligat ad eijciendum illam ignorantiam, ſeu ad faciendum poſſibile, vt expellat illam, & ad deponendum illam conſcientiam erroneã; Et ſiquis expellat ignorantiam, deponet conſcientiam, ſi expellere non poteſt, ſit inuincibilis, & tunc tenetur illam ſequi, non ſolùm, non faciendo contra eam, ſed etiam faciendo poſitiuè, quod illa dictat. C

Tunc autem eſt, & cognoſcitur talis inuincibilis ignorantia, quando adeſt aliqua dubitatio pulſans animum de ſua malitia, quòd, ſi non adſit tempus, nec modus expellendi ignorantiam illam, tunc ſit inuincibilis, & obligat ad ſequendum eam poſitiuè. Hinc eſt, quòd voluntas diſcordans à conſcientia erronea quocumque modo, in quacumque materia, ſemper eſt mala, iuxtà illud ad Rom. 14. Omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt, Gloſſa, *non eſt ex fide*, ideſt, eſt contra conſcientiã. Concordare autem conſcientiæ erroneæ culpabili, eſt etiam peccatum, *Ad Rom. Gloſſa.*

A quia error craſſus, & culpabilis non excuſat à tranſgreſsione præcepti, & talis conſcientia eſt error culpabilis, ergo. Conſcientia autem, tunc eſt erronea culpabiliter, quando errat in illis, quæ poterat, & tenebatur ſcire, & non ſcit. Si autem voluntas concordet conſcientiæ inculpabiliter erranti, circa bonum, vel malum, errat inculpabiliter, & tunc non solùm, non eſt mala, ſed eſt bona.

Verùm duo tenetur facere, quando quis peccat concordando, vel diſcordando. Primò tenetur deponere conſcientiam, & propter hoc conſulere Doctores, quibus tenetur credere. Secundò, commendet ſe deo, & oret, vt ipſum illuminare dignetur; Quòd ſi nihil horum faciat, non eſt perplexus, quia culpa ſua proiecit ſe in tales anguſtias.

§ 5. *Vtrum peccare contrà conſcientiam erroneam ſit peccatum Mortale, an Veniale?*

B Reſpondetur. Dicendum, quòd eſt tale quale appræhenditur, & iudicatur à conſcientia, niſi ex ſe, ſit mortale. Nàm error conſcientiæ iudicantis peccatum eſſe veniale, illi non ſuffragatur, eſt enim peccatum mortale, quando ſe exponit periculo peccandi mortaliter.

Cognoſcetur tamen hoc modo, quale peccatum ſit, Actus ille, vt plurimùm offertur, vt oppoſitus alicui virtuti in ſpeciali, & ſic poteſt iudicari quale peccatum ſit; Si tamen in confuſo proponatur, erit peccatum mortale, quia exponit ſe periculo peccandi mortaliter, vt dictum eſt. *Nauarr.* Nauar. Prælud. 9. num. 9.

Peccat. veniale, ex cõſcient. erron. quomodo ſit mortale.

Quomodo actus indifferens.

Ex his patet, quomodo peccatum veniale ex genere fiat mortale ex conſcientia erronea nàm, exempli gratia, dicere verbum otioſum de ſui ratione eſt peccatum veniale ſi tamen conſcientia iudicaret eſſe peccatum mortale, & eſſe fugiendum, & nihilòminùs voluntas vellet illum actum facere, peccatum illud veniale fieret peccatum mortale. Similiter actus indifferens, vt leuare feſtucam de terra, ſi iudicetur à conſcientia erronea eſſe peccatum mortale, & fugiendum, & nihilominùs voluntas illam leuare præciperet, fieret peccatum mortale.

C

§ 6. *Quid magis obliget, Præceptum Superioris, an Conſcientia erronea?*

D. Bonauent. Aliqui dicunt, quòd magis obliget præceptum Superioris. D. Bonauentura in 2. d. 39. art. 1. q. 3. ad vltimum. Inquit enim, quòd plùs eſt ſtandum præcepto Prælati, quàm conſcientiæ, maximè, quando

Prælatus

Digitized by Google

Prælatus præcipit id, quod poteſt, & debet. Alenſis p. 2. q. 120. m. 3. art. 2. dicit, quòd in indifferentibus, magis obligat præceptum Superioris, quàm conſcientia erronea. A *Alexander de Alcſ.*

Aſſerunt alij è contrà, quòd magis obligat Conſcientia erronea, quàm præceptum Superioris; Quia (dicunt) id, quod proponit ſequendum Conſcientia erronea, proponit, vt præceptum Dei, Præceptum Dei eſt maius præcepto Superioris; Ergo.

Alij diſtingunt, Si Conſcientia eſt inuincibilis, vera eſt ſecunda opinio, ſi autem eſt vincibilis, vera eſt prima opinio; Debet tamen laborare, vt illam deponat, quòd, ſi illam vincat, tenetur obedire Superiori, ſi autem illam vincere non poſſit, nec Superior poſſit præcipiendo, ignorantiam ſubditi vincere, Conſcientia erronea magis obligat, & hoc modo intelligenda eſt ſententia D. Bonauenturæ, & Alenſis, & ità cum ipſis eſt ſentiendum.

B

§. 7. *Vtrum Conſcientia Dubia obliget ad peccatum, ità vt contrà illam agere ſit peccatum, & quodnam?*

SVpponitur ex dictis, Conſcientiam Dubiam dici, quæ nec aſſentit vni parti contradictionis, nec ab ea diſſentit, ſed anceps manet, & quæ propter rationes vtrinq; æqualiter mouentes non inclinatur magis in vnā, quàm in alteram partem; Quare Conſcientia Dubia eſt media inter Conſcientiam Rectam, & Erroneam, quia cum conſcientia ſit iudicium quoddam rationis, de agendo, vel non agendo, fieri poteſt, vt aliquis non habeat determinatum huiuſmodi iudicium, ſed indeterminatum propter rationes vtrinq; æqualiter probabiles. Differt autem à Scrupuloſa, quia ſcrupulus ſupponit determinatè iudicium Rationis ad vnam partem, & dicit motiuum aliquod rationis contrà iudicium, & conſcientiam illam; Dubia verò præſupponit indeterminatum iudicium.

Supponitur ſecundò, quòd dubitatio poteſt eſſe duplex, Speculatiua, ſeu in communi, & Practica, ſeu in particulari. Dubitatio in communi eſt quando quis in generali dubitat, an aliquid ità ſit, vel non ſit, ſeu, an liceat, vel non? Nauarrus Prælud. 9. num. 9. Dubitatio practica, ſeu in particulari, quando quis in particulari dubitat hìc, & nunc, an operatio hæc ſit peccatum, nec ne? C *Nauarr.*

Supponitur tertiò, quòd intellectus ſpeculatiuus nihil iudicat de operando, quantùm ad conſcientiam ſpectat, quia Ratio ſpeculatiua non eſt propriè regula operationum in particulari, ſed Ratio practica eſt, qua humanæ actiones diriguntur, & qua conſcientia dicitur dubia. Dico igitur duo.

A Primum dictum. Agere contrà dubium ſpeculatiuum, non eſt peccatum.

Secundum dictum. Agere contra dubium practicum, peccatum eſt, ideſt, facere id, de quo quis in particulari dubitat an ſit peccatum mortale, eſt peccatum mortale, & facere id, de quo dubitat, an ſit peccatum veniale, eſt peccatum veniale. Ratio, Quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Rom. 14. Ibi per *fidem* Apoſtolus intelligit conſcientiam, ita vt ſenſus ſit, Non ſolùm eſt peccatum id, quod eſt contrà conſcientiam, & contra fidem, ſed etiam quod non eſt ex fide, ideſt, ex conſcientia, ex aſſenſu, ſcilicet, credulitatis, quòd illud ſit licitum; ſed qui habet conſcientiam dubiam non poteſt habere huiuſmodi fidem ergo cum tali dubio non licet operari, quia qui amat periculum, in illo peribit. *Rom. 14.*

Nota. Quòd Conſcientia duobus modis poteſt eſſe dubia, vno modo, ità vt ſit in eo ſtatu, & dubio, vt neceſſariò debeat alteram partem eligere, de quarum vtràque dubitat, an ſit peccatum? Alio modo, vt dubitet tantùm de vna parte, an ſit peccatum, necne, de altera verò parte

B ille, qui ſic dubitat ſit certus, quòd non eſt peccatum Hoc ſtante.

Dico primò. Primo modo debet quis conſcientiam ſuam ad alteram partem determinare, & agere ſecundùm illam, nam aliàs neceſſariò peccaret, quia &c.

Dico ſecundò. In ſecundo ſenſu licitè poteſt eam partem eligere, in qua nullum eſt peccatum. Et pro intelligentia pono tria obſeruanda.

Primum. Quotieſcumq; eſt quis in conſcientia vtrinq; dubia, non debet ſe determinare ad alteram partem, donec adhibuerit diligentiam ad inueſtigandam veritatem, quia aliàs peccaret, non enim eſſet inuincibilis.

Secundum. In talibus dubijs, ſequenda eſt pars tutior. Cap. Iuuenes de ſponſ. *Cap. Iuuenes de ſponſ.*

Tertium. Tutiſſimum eſt in talibus dubijs ſequi conſilium prudentum, & bonorum virorum. Tandem reccurendum eſt ad Deum, fidelis vir prudens.

C Omnes præterea videntur conuenire in hoc. Cum opinio, & pars tutior eſt etiam probabilior, ſemper eſt amplexanda; Similiter, Cum vtraq; opinio tam tutior, quam minùs tuta ſunt æque probabiles, tutior eſt amplexanda; Cum verò pars tutior eſt parùm probabilis, pars verò minùs tuta eſt magis probabilis, ità vt auferat ex animo omnem dubitationem, tunc poſſumus amplecti partem minùs tutam.

Quidam addunt, quòd pars minùs tuta debet habere tantam probabilitatem, vt euellat ex animo non ſolùm dubitationem, ſed etiam omnem formidinem.

Alij

Alijs videtur veriùs, quod, cum commodè, vel ſaltem ſine graui incommodo quis poteſt vitare partem minùs tutam, quantumcunq; probabilem, ſaluberrimum conſilium eſt ſequi partem tutiorem. Nota ly *commodè*. A

Scotus q. 2. Prologi. Videtur velle, quod in rebus dubijs locum habet labor Doctorum, & Expoſitorum. Ergo ſequitur quòd, quando Doctores, & Expoſitores docent, aliquam opinionem eſſe probabiliorem altera, etſi ſit minùs tuta, eſt illi diffinitioni ſtandum abſq; periculo vllo peccandi, aliòquin, ſi ſemper pars tutior eſſet amplexanda non liceret vnquàm recurrere ad conſilium Peritorum, vnuſquiſq; enim per ſe noſcit, quæ ſit tutior, & quæ minus tuta, quia in lege Chriſti non datur perplexitas. *Scotus.*

§ 8. *Vtrum in adminiſtratione Sacramentorum amplectenda ſit opinio probabilior, an verò tutior?* B

SCotus in 4. d. 3. q. 2. §. Tertio de forma. In fine. Ponit tres maximas vniuerſaliter ſeruandas in adminiſtratione Sacramentorum, cum adeſt aliquod dubium circa materiam, vel formam, & idem dicendum circa reliqua dubia, quæ occurrere poſſunt proportionabiliter. *Scotus.*

Prima maxima. Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda.

Secunda. Si non adeſt poſſibilitas, via tutiſſimæ proxima eſt eligenda.

Tertia. Ceſſante impoſſibilitate, cautè eſt ſupplendum quod impoſſibilitas prohibebat. Hæc Scotus.

Alij diſtinguunt. In Sacramentis ſunt duo. Alterum eſt reuerentia debita ſacramentis ex virtute Religionis; Alterum eſt obligatio charitatis prouidendi proximo de remedio per Sacramentum. Quantùm ad primum, vbi eſt modus præſcriptus ab Eccleſia, ille eſt ſeruandus, & ſi aliter fiat, illicitè fit; Vbi non eſt præſcripta conſuetudo Eccleſiæ, & opiniones Doctorum ſunt variæ, licitum eſt ſequi partem probabilem, immò minùs probabilem. Quantùm ad ſecundum, ſcilicet ratione charitatis ſemper eſt eligenda magis tuta. C

Alij exiſtimant, abſolutè licitum eſſe ſequi partem minùs tutam, dummodò ſit probabilis, licèt pars magis tuta ſit probabilior.

Alij docent, numquàm licere partem minùs tutam, & minùs probabilem, niſi neceſſitas grauis, vel cauſa vrgens impellat ad ſequendum ipſam minùs tutam, & minùs probabilem.

A

§ 9. *Vtrum Conſcientia Scrupuloſa obliget ad peccatum, ità vt contrà illam agere ſit peccatum, & quodnam?*

SCrupulus, vt iàm innuimus, eſt quædam ſuſpitio, & formido ad vnam partem contradictionis ex leuibus motiuis, & fundamentis proueniēs,& naſcitur ex quadam animi puſillanimitate,timet enim homo ſcrupoloſus, vbi non eſt timor, Vndè iſte timor manens in animo ſcrupuloſi excruciat, & torquet hominem; Oritur etiam ex ſuperbia, & ex tentatione Dæmonis, præcipuè autem ex complexione, vel ex læſione imaginationis. Nauar. cap. 27. num. 28. & 290. Sed ſemper Conſcientia ſcrupuloſa eſt valdè periculosa, & pręſertim, quia de præteritis ſolùm peccatis eſt ſollicita, non de præſentibus, vel futuris.

Scrupulus vndè oriatur

Nauarr.

Præcipua verò remedia contrà ſpiritualem hunc morbum, ſunt, Ad Deum recurrere, & ad eius auxilium ſe diſponere; Conſcientiam diſponere ad conſilium docti, prudentis, & boni Cōfeſſarij, & eius ſententiæ omninò acquieſcere.

Remedia pro ſcrupuloſis.

B

Ex his patet, quòd non modò poteſt quis licitè agere contrà ſcrupulum, ſed etiam eſt ſanum,& ſalutare conſilium contrà ſcrupulum facere, immò aliquandò poteſt eſſe præceptum,cum,ſcilicèt aliquis graue damnum ex huiuſmodi ſcrupulis, & anxietatibus incurrit, vt plerùmq; contingit.

§ 10. *Quomodo ſe debet gerere Sacerdos cum Scrupuloſis?*

REſpondetur, Quòd Sacerdos, ſcrupuloſi Confeſſionem audiens, ei ſuadere ſtudeat, vt nihil mortale eſſe putet, niſi tale eſſe nouerit certò, & abſq; formidine vlla.

Secundò, Quod Sacerdos non admittat frequenter ſcrupuloſi dubia, nec ſe adeuntem, gratia interrogandi de ſimilibus dubijs, excipiat, & ſi opus fuerit, illum verbis ad id appoſitis, & accommodatis deterreat.

C

Tertiò, Quòd Confeſſarius nullatenùs permittat, ſcrupuloſum ſcrupulos confiteri, ſed ea ſola, quę apertè nouit, eſſe peccata, & eius dubia in meliorem partem interpręterur.

Quartò, Confeſſarius nullis ſcrupuloſi precibus, quantùmuis importunis acquieſcere debet, vt eum admittat ad ea confitenda, de quibus ipſi ſcrupuloſo dubium ſuperuenit, an ea confeſſus ſit, quando mediocri diligentia eum confeſſum eſſe conſtat, quia credulitas alicuius rei, & ſic confeſſionis præmiſſę, eſt in ſcrupuloſis quaſi certitudo in homine pacatę conſcientiæ.

Item,

Item, Quia Confeſſio non eſt, vt laquei inijciantur, ſed vt bona fide, & mediocri diligentia præmiſſa, aperiantur crimina, & ſemel aperta ſepeliantur, Qui ſemel hanc adhibuit diligentiam, poteſt probabiliter credere, ſe huic obligationi ſatisfeciſſe, dum contrarium ſibi non conſtiterit. Nauarr. Præłud. 9. & C. ſi quis autem, n. 64. de Pœnit. d. 7. A

Nauarr. D. 7. de Pænit. c. ſi quis autem.

Scrupulis inſuper nimis vexatus, non debet fateri, niſi ea, quę, poteſt iurare, eſſe mortalia, & ſe nunquàm ea confeſſa fuiſſe ſibi conſtat.

§ 11. *Vtrum Conſcientia Probabilis obliget ad peccatum, ità vt contrà illam agere ſit peccatum, & quodnam?*

CONſcientia, ſeu opinio probabilis ſemper eſt cum aſſenſu alterius partis, ſed cum formidine alterius, licèt talis formido non tollat aſſenſum, ſed ſolùm in hoc conſiſtit, quòd quis æxiſtimat, partem oppoſitam eſſe veram. Huiuſmodi aſſenſus ob maiorem conformitatem prędicati, & ſubiecti in vna parte contradictionis, quàm in altera, ex duobus prouenire poteſt; Vel quia talis propoſitio eſt per ſe nota, & euidens; Vel, quia probabilis eſt ob rationes probabiles, & veriſimiles oſtendendentes maiorem conformitatem in vna parte, quàm in altera. Aſſenſus vnius partis probabilis primo modo habetur per principia intrinſeca. Aſſenſus alterius partis oppoſitæ probabilis ſecundo modo, habetur per principia extrinſeca. Principia intrinſeca alicuius concluſionis ſunt, vel cauſę illius, vel effectus, vel diffinitio, vel aliquid huiuſmodi. Principia extrinſeca ſunt, quòd ea ſit propria aliquorum Doctorum, quibus probabilis videtur, ex quo credere etiam poteſt quicumq; opinionem illam eſſe probabilem, & rationalem. Eſt ergo Opinio Probabilis, quę innititur rationi alicuius momenti, ità tamen, vt pro oppoſita parte nihil conuincens ſit; Vndè tunc manet apud aliquem aliquid intrà opinionis latitudinem, quando ſibi perſuadet, rationes illius ſolui poſſe, aut ab ipſomet, aut ab alijs; Verùm, ſi per errorem, inſolubiles credat, non manet intrà latitudinem opinionis. B. C.

Auctoritas vnius Doctoris probi, & docti, reddit opinionem probabilem, ac ideò poteſt quis amplecti opinionem, quam à magiſtro audiuit in ijs, quę pertinent ad mores; Verùm vir doctus, vt prudenter agat, rationes examinare, & ponderare debet; Indoctus verò ſequi poteſt viri docti conſilium, nec tenetur rationes examinare; Quàpropter licet recedere ab opinioue communi amplectendo opinionem illius viri docti, & pij, quando tamen prudenter iudicatur, illam firmiori fundamento inniti. Azor. T. 1. lib. 2. c. 19. Ad hoc autem, vt opinio cenſeatur probabilis, *Azorius.*

oportet,

Digitized by Google

A oportet, vt communiter reputetur, non continere errorem, nec ſit antiquata, & nec oppoſita iàm ità in praxi recepta ſit, vt ſærè certa reputetur. His habitis.

Opinio quando probabilis.

Dico primo, Licet cuiq; in foro conſcientię operari contrà propriam opinionē tutiorem, & quam ſibi probabiliorē eſſe perſuadet, & ſequi opinionē aliorum minùs tutā, quam tamen probabilē reputat; Ad rectè enim operandum, non requiritur iudicium practicè certum dictans, hoc eſſe licitum, ſed ſatis eſt iudicium probabile cum formidine partis oppoſitæ, quia formido vnius partis non excludit aſſenſum determinatum circa aliam, nàm cum prudentia ſit regula humanorum actuum, iudicium, quod ſufficit ad prudenter agendum, ſufficit & ad honeſtè operandum, At prudens operatio non requirit omnimodam certitudinem, ſed probabili, cum alterius partis formidine contenta eſt, Ergo.

Dico ſecundò. Ille, qui dubitat de probabilitate alterius opinionis, non poteſt tuta conſcientia illam ſequi.

Dico tertiò. Poſſunt licitè docti viri contrà propriam opinionem alijs conſulere, ſequendo alienam, quam probabilem eſſe putant.

B Dico quartò. Hoc etiam licèt Confeſſarijs, quia quod licet nobis ſequi, licet etiam alijs conſulere.

Dico quintò. Conſulentes poſſunt modò iuxtà vnam, modò, iuxtà contrariam opinionem conſulere, quamuis meliùs ſit ſemper conſulere iuxtà eamdem, & maximè in ſcriptis, ne varij deprehendantur.

Quia tamen in moralibus, res in particulari examinandæ ſunt, & dubitari poteſt, non ſolùm de doctis, ſed etiam de indoctis, & de ijs, qui aliorum conſilia ſequuntur, de omnibus erit ſermo. Primò de Doctis, & Indoctis. Secundò de Confeſſarijs, & Pænitente. Tertiò de Medicis. Quartò de Iudice; Quintò de Aduocato. Sextò de ſubdito erga Superiorem, Quomodo, ſcilicet, vnuſquiſq; horum iuxtà, aut contrà opinionem propriam, aut alienam, probabiliorem, aut minùs probabilem operari poſſit, & teneatur.

Priùs autem ſciendum eſt, quòd non eſt idem, Opinionem eſſe probabiliorem, & eſſe tutiorem, quia ly *eſſe probabiliorem* reſpicit veritatem

C magis, vel minùs oſtenſam. Ly verò *eſſe tutiorem* reſpicit minùs periculum peccandi. Opinio probabilior dicitur illa, quæ ſolidioribus fundamentis innititur. Minùs Probabilis dicitur, quæ, etiamſi debiliora fundamenta habeat, probabilitate tamen illa deſtituta non ſunt. Tutior dicitur illa, quæ etiamſi minùs probabilis ſit, ea tamen amplexa, nullum eſt peccati periculum. Minùs Tuta, etſi probabilior, eſt, in qua peccati periculum eſſe poteſt; Et ita pars illa dicitur tutior, in qua nullum

pecca-

Digitized by Google

peccatum eſſe poteſt, aut propter euitandum maius malum, eligitur minus, quando in alterutrum illorum incidere neceſſe eſt. A

Ad hoc verò, vt opinio dicatur probabilis, præter ea, quæ tetigimus ſupra, tria obſeruanda ſunt. Primò quìnam ſint, & cuius auctoritatis qui eam defendunt, an docti, prudentes, timoratæ conſcientiæ, & in illa materia verſati. Secundò, vtrum opinio pauciorum adeò firmis, & ſolidis rationibus, ac fundamentis nitatur, vt recta ratio dictet, hos pauciores veritatem attigiſſe. Clauis Regia. Tertiò expendenda ſunt argumenta vtriuſq; opinionis, & conſideranda ſunt tàm ea, quæ in contrarium obijciuntur, quàm incommoda, quæ pro vtraq; parte offeruntur. *Clauis Reg.*

De doctis, & Indoctis patet ex dictis.

B

De Confeſſario, & Pænitente.

SVppoſito, quòd pęnitens ſit doctus, vel ab alijs inſtructus de probabilitate opinionis, quam amplectitur, Confeſſarius poteſt, ipſum ſequentem opinionem probabilem, relicta probabiliori, abſoluere. Nauar. cap. 26. num. 4. *Nauarr.*

De Medico.

QVando dubitatur, vtrum hoc, vel illud medicamentum ſit profuturum infirmo, nec ne, Medicus debet ſequi opinionem tutiorem, illam, ſcilicet, quæ ſecundùm artem iudicatur tutior, aliter enim peccat. Verùm ſi Medicus æxiſtimat, hoc, vel illud medicamentum potiùs profuturum, quàm nociturum, etiam ſi ſit aliquod periculum, quòd noceat, poteſt illud adhibere, cum infirmus eſt in extremo periculo vitæ, nec ſuppetit aliud remedium, tunc enim tutiùs eſt adhibere hoc remedium aliquo modo dubium, quàm nullum, quia nullum adhibendo, certus eſt Medicus, quòd infirmus morietur. C

Debent Medici magis fidere in experimentis, quàm in Theoricis, & Philoſophicis rationibus, quia experimento docti primi Medici cęperunt philoſphari. Prudentia eſt eis neceſſaria.

Digitized by Google

A

De Iudice.

IVdex in iudicando, quando ſunt diuerſæ opiniones, ſiue ſit ſuperior, ſiue inferior, tenetur ſequi opinionem tutiorem; Illa autem dicitur tutior in hac materia, que eſt probabilior, & potioribus innititur fundamentis, vt in cauſa dubia ex facto, illa eſt tutior, quæ ſecundùm allegata, & probata eſt magis euidens, quia Iudex eſt perſona publica, & vt publica ſe gerere debet, non vt perſona priuata, & ideò debet iudicare ſecundùm cognitionem publicam in actibus deductam, non ſecundùm propriam, etiam ſi ſciat, id, quod publicè deductum eſt, eſſe falſum;

In cauſſa inducta ex parte iuris, illa eſt tutior, que eſt magis conformis ſenſui legis iam recepto, & conſuetudini, ea deniq; opinio, quę adhibita diligentia, & ſtudio conuenienti, magis æquitati, & iuſtitiæ conuenire iudicatur. Lex humana tunc eſt recta, cum ordinatur ad diuinam, hoc enim
B iudicium erit rectum, & ſecundùm conſcientiam, non contra eam, & conſequenter non peccabit.

De Aduocato.

ADuocatus non poteſt tueri opinionem manifeſtè iniuſtam, & ſi illam tueatur, tenetur ad damna vtriuſque partis, quia illicitum eſt cooperari ad faciendum malum quomodocunque D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3. Ignorantia tamen inuincibilis poteſt ipſum excuſare.

Si autem à principio credidit Aduocatus, cauſam eſſe iuſtam, & in proceſſu animaduertit, eſſe iniuſtam, vt in praxi euenire ſolet (vnuſquiſque enim ſua iura ſolùm adducit coram Aduocato, ipſe autem, ſtantibus illis aggræditur cauſę defenſionem, exiſtimans, quòd in proceſſu poſſit magis dilucidari veritas eius) tunc debet ceſſare, non tamen debet pro-
C dere cauſam aduerſario, nec ſecreta reuelare, debet tamen laborare, vt inducat clientulum ſuum ad cedendum, vel ad aliquam honeſtam compoſitionem ſine damno aduerſarij.

Sed quid dicendum, quando dubitatur de iuſtitia cauſæ.

Reſpondetur, quòd Aduocatus poteſt patrocinari pro altera parte, ſiue dubitatio oriatur ex iure, quod diuerſimodè à Doctoribus exponatur, ſiue ex facto.

Addunt aliqui, quòd hæc Sententia eſt vera, quando vtraq; opinio eſt

æquè

Digitized by Google

æquè probabilis tàm propter probationes facti, quàm propter fundamenta iuris, at quando Aduocatus intelligit, alteram partem eſſe probabiliorem vel propter probationes facti, vel fundamenta iuris, tunc eſt dubium. A

Dicunt alij abſolutè, quòd, quando cauſa eſt dubia, [&] vtraq; pars eſt probabilis, licèt vna ſit probabilior, Aduocatus poteſt pro altera, vt placet ſibi, patrocinari; Ratio, quia munus Aduocati non eſt rem diffinire, tradendo huic quod petit, & illi auferendo, ſed proponere ſincerè fundamenta iuris, & facti, & rationes, quæ cauſæ ſui clientuli fauere poſſunt, quia contingere poteſt, quòd id, quod Aduocato videtur minùs probabile, Iudici magis probabile videatur. Ideo, cum non eſt maniſeſtè iniuſta, videtur poſſe, tuta conſcientia, patrocinari. Placet.

Alijs videtur dicendum. Quòd vel lis eſt de facto aliquo; Vel de iuris alicuius intellectu. Primo modo putant accidere poſſe, vt in principio ad litem conteſtandam, Aduocatus cognoſcere poſſit, quæ pars ſi probabilior, & minùs probabilis, quia ignorat, quę aduerſarius ſit adducturus; Sufficit ergo in tali caſu, quòd Clientulus habeat probabilia fundamenta mouendi litem, quia, ſi non haberet rationabilem cauſam, eſſet calumniam ſtatuere. Cap. Calumniam. de Pænis. Si lis moueatur circa iuris intellectum, quia diuerſæ ſunt opiniones Doctorum, licet etiam minùs probabilem tueri vſq; ad ſententiam, quia hìc Aduocatus nihil aliud facit, niſi quòd proponit rationes pro ſua parte, ſed non iudicat, nec aliquid aufert alicui, ideò nihil iniuſtè operatur ex hoc præcisè, quod tuetur partem minùs probabilem, & eò magis, quia id, quòd videtur illi minùs probabile, fortaſſe Iudici videbitur probabilius. Non diſplicet. Siue cauſa ſit leuis, ſiue grauis. B

De Subdito ergà Superiorem. C

SVpponitur, quòd probabilitas illius partis, quam proponit Superior non ex eo naſcatur, quòd ſuperior ſit, ſed quia alias Doctus, aut Vir prudens ſit, aut ſaltem, quia illa pars alijs viris doctis, & prudentibus probabilis videatur. Quo ſuppoſito dico duo.

Primum dictum. Hac ſola ratione, quòd præcipit Superior, non tenetur inferior obedire contrà propriam opinionem, niſi aliunde probabilitas habeatur.

Secundùm Dictum. Tunc inferior tenetur obedire Superiori contrà

A proprlam opinionem , quando eſt diuerſitas opinionum circa id quod præcipitur , an liceat, nec ne ; Tunc , ſi Superior præcipit , quod licitum eſt ſecundum probabilem opinionem , inferior , non ſolùm parere poteſt , ſed etiam tenetur ; Si autem diuerſitas opinionum eſſet, an Superior poſſet id præcipere , & an inferior teneatur obedire , tunc, & ſi inferior tenens opinionem contrariam obedire poſſet, non tamen tenetur. Ratio diuerſitatis eſt , quia in priori caſu Superior habet ius præcipiendi , ergo inferior obedire tenetur . In poſteriori Caſu , cum dubitatur , an Superior habeat ius præcipiendi , tunc licèt inferior , & ſubditus poſſit obedire , non tamen ad id obligatur , quia non poteſt eſſe obligatio in ſubdito ad obediendum , niſi , vbi eſt ius in Superiore ad præcipiendum.

Hic obiter notandum, quòd inferiores, ſubditi, & Vaſſalli ad bellum vocati, quotiès non conſtat de iniuſtitia belli , poſſunt, & tenentur obedire Principi vocanti; quia debent de Principe ſemper meliora cogitare, & niſi euidens ſit iniuſtitia, non debent dijudicare Principem.

B

Quantum ad Secundum, & Tertium huius Capitis Articulum de Regula extrinſeca humanorum actuum.

Habentur ſeparati Tractatus tùm de lege Diuina, quæ in Decalogo continetur, tùm de lege humana, & Eccleſiaſtica, & Ciuili, ſiue Canonica, & Politica.

S. Bonauent. *Scotus.* *S.Thom.*

An verò ſemper teneamur conformari Voluntati diuinæ? Videndi ſunt S. Bonauentura in 1. ſent. d. 8. per totum. Scotus ibidem, D. Thomas p. 2. q. 19. Art. 10. & alij.

C

De modo tollendi peccatum. Cap. VIII.

Tandem pro hac materia de Peccato , videndum eſt de modo , illud tollendi , & de hoc , breuiter pro nunc dico, Quòd tem-

pore

pore legis naturæ ſaluabantur non habentes vſum rationis per fidem A
parentum aliquo ſigno exteriori cum ſacrificijs, & oblationibus, vel etiam adulti per virtutem Penitentiæ. In lege ſcripta, Circumciſio tollebat peccatum originale; Peccatum actuale per virtutem penitentiæ. In lege Euangelica peccatum originale tollitur per Baptiſmum in re in paruulis, in voto ſufficit in adultis, Actuale per Penitentiæ Sacramentum in voto, ſi non poteſt haberi in re, ſermo eſt de adultis. Sed de hoc in Tractatu de Pænitentia.

B

C

A

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Tractatus Secundus Inſtitutionis Theologicæ Moralis.

De lege Diuina, ſiue de Præceptis Decalogi.

De neceſſitate Præceptorum Decalogi. Caput I.

B

S. Auguſt.

VERVM eſt illud D. Auguſtini celebre dictum, quòd Deus rationalem fecit creaturam, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, poſſidendo frueretur, quoniam (vt idem D. Auguſt. ait) Feciſti nos domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te, iuxtà illud Pſalmi 16. num. vlt. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Anima enim noſtra, cùm ſit capacitatis infinitæ, nunquàm ſatiari poteſt obiectis finitis, immò verum eſt etiam illud, quod vulgò fertur, Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Quo ſuppoſito, vt de neceſſitate Præceptorum Decalogi æquam feramus ſententiam, proponitur.

Pſal. 16.

Articulus Vnicus.

C

Vtrum Præcepta Decalogi fuerint neceſſaria?
Siue
Vtrum fuerit neceſſarium, vltrà legem naturalem, & humanam dari legem Diuinam poſitiuam?

CONCLUSIO reſponſiua affirmans talis eſt. Neceſſarium fuit vltrà legem naturalem, & humanam dari legem Diuinam poſitiuam. Iſta Concluſio multipliciter probari poteſt, fuit enim neceſſaria huiuſmodi

modi lex Diuina vltrà naturalem, & humanam propter quatuor; Primò propter cohibitionem omnis criminis. Secundò propter directionem mentis. Tertiò propter certitudinem veritatis. Quartò propter adæptionem vltimi finis. A

Fuit neceſſaria lex Diuina, propter primum, quia (vt dicit D. Aug. l. de lib. Arbitrio) lex humana non poteſt omnia mala, quæ fiunt, prohibere, vel punire, quia, dum auferret mala omnia, ſequeretur, quòd etiam multa bona auferrentur, & impediretur vtilitas boni communis, quod eſt neceſſarium ad conſeruationem humanam, vnde ait D. Auguſt. Tolle meretrices de ciuitatibus, & implebis omnia libidinibus. Lex naturalis, vt in pluribus, obſcurata erat, & multa mala ignorabantur eſſe peccata, vndè Apoſtolus, Per legem peccatum reuixit, quantùm ad notitiam, quia idem ait, concupiſcentiam neſciebam eſſe peccatum, niſi lex diceret, non concupiſces; & ideo, vt nullum malum improhibitum, & impunitum remaneret, neceſſarium fuit dari legem Diuinam, quæ nullum peccatum permittit. *S. Auguſt.* *D. Paulus.* B

Fuit neceſſaria lex Diuina, propter ſecundum, nempè, propter directionem mentis, quia, de ijs poteſt homo, legem færre, de quibus poteſt iudicare; Iudicium enim hominis, non poteſt eſſe de interioribus animi motibus, qui latent, ſed ſolùm de exterioribus, qui apparent, iuxtà illud, homo videt, ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor, & alibi, Deus eſt ſcrutator cordium. Scrutans corda, & renes Deus. pſal. 7. num. X., & quod habetur cap. Erubeſcant. fin. D. 32. De manifeſtis quidem loquimur, ſecretorum autem & cognitor Deus, & iudex eſt. Et tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quòd in vtriſq; actibus, ſcilicet, interibus, & exterioribus, homo ſit rectus. Et de Penit. d. p. Cap. Cogitatio. Cogitatio non mæretur pœnam lege Ciuili, cum ſuis terminis contenta ſit. *Pſal. 7.* *Cap. Erubeſ. fin. d. 32.* *De Pænit. C. Cogitatio.*

Fuit neceſſaria lex Diuina propter tertium, videlicet propter certitudinem veritatis, homo enim ſcire debet abſq; omni dubitatione quid debeat facere, quid vè vitare, per legem naturalem, vel humanam, hoc non poteſt ſcire, quia, de rebus humanis, diuerſa iudicia ſeruntur, propter incertitudinem humani iudicij, & pręcipuè, de rebus contingentibus, & particularibus, de quibus, diuerſæ leges, & contrarię færuntur. C

Fuit necesſaria lex Diuina, propter quartum ſcilicet propter adeptionē vltimi finis, quia, per legē homo dirigit actus proprios, ad vltimum finem, ideſt, ad finem eternæ beatitudinis, qui finis excedit facultatem humanā. Quia lex Diuina tradit ea, quæ ſunt credenda, ſperanda, amanda, & Sacramenta, quibus, homo iuſtificatur, & ad beatitudinem ſupernam tendit; Hec non poteſt præſtare lex naturalis, vel humana; Ergo. Vndè eſt

illud

A illud Pſal. 118. nu. 8. Lex Domini immaculata, conuertens animas teſtinium fidele, Sapientiam præſtans paruulis: *lex immaculata*, propter primum; *Conuertens Animas*, propter ſecundum; *Teſtimonium Domini fidele*; propter tertium; *Sapientiam præſtans paruulis*, propter quartum. Sapientia eſt notitia Diuinorum, quæ perfectè habetur in patria, non in via, D. Ant. p. p. tit. 14. cap. 1. Videatur etiam D. Thomas p. p. q. 1. art. 1.

S. Antoninus. *Scotus.*

Secundo probatur ex doct. Scoti, quæſt. 1. prologi; ibi, contra iſtam poſitionem, arguo 3. Primò. Sic, omni agenti, per cognitionem, neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis, homo eſt agens, propter finem, ergo eſt illi neceſſaria diſtincta cognitio ſui finis. Maioremq́ probat Scotus ibidem; Et ego, eam ſuppono, vt veram. Minorem etiam ſuppono, vt veram. Sed homo non poteſt ſcire, ex naturalibus, finem ſuum, diſtinctè, ergo neceſſaria, ei, eſt aliqua cognitio ſupernaturalis; Minor patet; Primò, quia philoſophus ſequens naturalem rationem, aut ponit fælicitatem eſſe perfectam, in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum acquiſita, ſicut videtur dicere primo Ethic. c. 13. & 10. Aut ſi non determinaté aſſerit, iſtā eſſe ſupræmam, nobis poſſibilem, aliam tamen, ratione naturali, non concludit, itaq; ſoli rationi naturali innitendo, vel errabit circa finem, in particulari, vel dubius remanebit, vndè primo Ethic. c. 13. dubitando, ait, Siquidem, igitur, & aliud aliquod Deorum eſt donum hominibus datum. Secundò probatur eadem minor per rationem, quia, nullius ſubſtantiæ finis proprius cognoſcitur à nobis, niſi, ex actibus eius, nobis manifeſtis, ex quibus oſtenditur, quòd talis finis ſit conueniens tali naturæ, nullos autem actus experimur, nec cognoſcimus in eſſe naturæ noſtræ, in ſtatu iſto, ex quibus cognoſcamus, viſionem ſubſtantiarum ſeparatarum, eſſe conuenientem nobis, ergo non poſſumus, naturaliter cognoſcere diſtinctè, quòd iſte finis ſit conueniens naturæ noſtræ.

Ariſtot.

B

Idem.

Secundò Scotus arguit ſic. Omni cognoſcenti agenti, propter finem neceſſaria eſt triplex cognitio. Primò, quomodo, & qualiter finis acquiratur; Secundò, cognitio omnium, quæ ſunt neceſſaria, ad finem; Tertiò eſt neceſſarium cognoſcere, quòd, omnia iſta ſufficiant ad talem finem. Primum patet, quia, ſi neſciat, quomodo finis acquiratur, neſciet, qualiter, ad conſecutionem illius, ſe diſponat. Secundum prob. quia, ſi neſciat, omnia neceſſaria ad ipſum finem, propter ignorantiam alicuius neceſſarij, poterit à fine deficere. Tertiū ſi neſciat, iſta neceſſaria ſufficere, dubitando, ſe ignorare aliquod neceſſarium, non efficaciter proſequetur illud, quod eſt neceſſarium; Sed, hæc tria, non poteſt viator, ratione naturali, cognoſcere ergo; prob. primum, quia beatitudo confertur, tamq; præmium pro meritis eius, quæ m, Deus acceptat, tamq; dignum, tali premio, & per

C

& per conſequens nulla naturali neceſſitate ſequitur ad actus noſtros qualeſcumq;, ſed contingenter datur à Deo, actus aliquos in ordine ad ipſam, tamquàm meritorios acceptante; Hoc autem non eſt naturaliter ſcibile, vt videtur, Quia in hoc errabant philoſophi ponentes, omnia, quæ ſunt à Deo immediatè, eſſe ab eo neceſſariò; Non enim poteſt ſciri naturaliter acceptatio voluntatis Diuinæ, vt puta, tãquàm contingenter acceptantis talia, vel talia digna vita æterna; Et quòd etiam illa ſufficiant, dependet merè ex voluntate Diuina, circà ea, ad quæ contingenter ſe habet ergo, &c. A

Tertiò idem Scotus ſic arguit. Cognitio ſubſtantiarum ſeparatarum eſt nobiliſſima, quia eſt circà nobiliſſimum genus, ergo cognitio eorum, quæ ſunt propria eis, eſt maximè nobilis, & neceſſaria, nàm illa propria eis, ſunt nobiliora, & perfectiora cognoſcibilia, quàm illa, in quibus conueniunt cum ſenſibilibus; Sed illa propria non poſſumus cognoſcere ex puris naturalibus; Probatur quia non cognoſcuntur talia, cognitione propter quid, niſi cognoſcantur propria ſubiecta, quæ ſubiecta includunt talia propter quid, ſed propria ſubiecta eorum non ſunt à nobis naturaliter cognoſcibilia; Ergo. Nec cognoſcuntur illa propria eorum, demonſtratione quia, videlicèt, ex effectibus; Probatur, nàm effectus, vel relinquunt intellectum dubium, quòad iſta, vel adducunt in errorem; Quod apparet ex proprietatibus primæ ſubſtantiæ immaterialis in ſe; Proprietas enim naturæ eius eſt, quòd ſit communicabilis tribus, ſed effectus non oſtendunt iſtam proprietatem, quia non ſunt ab ipſo, in quantùm trinus; Et, ſi ab effectibus arguatur ad cauſam, magis ducunt in oppoſitum, & in errorem, quia in nullo effectu inuenitur vna natura, niſi, in vno ſuppoſito; Proprietas ètiam iſtius naturæ ad extra, eſt cauſare contingenter, & ad oppoſitum huius, magis deducunt effectus in errorem, ſicut patet per opiniones Philoſophorum ponentium, Primum neceſſariò cauſare; Ergo, &c. De proprietatibus etiam aliarum ſubſtantiarum patet hoc idem, quia effectus magis ducunt in ſempiternitatem, & æternitatem, & neceſſitatem earum, quàm in contingentiam, & nouitatem. Similiter, videntur philoſophi, ex motibus concludere, quòd numerus iſtarum ſubſtantiarum ſeparatarum, ſit ſecundùm numerum motuum cæleſtium; Similiter, quòd illæ ſubſtantiæ ſunt naturaliter beatæ, & impeccabiles, ſicut philoſ. poſuerũt 12. Meth. Quæ omnia abſurdiſſima ſunt. Hæc Scot. arguens cõtra philoſ. ponẽtes, nullã eſſe cognitionẽ ſupernaturalem homini neceſſariam pro ſtatu iſto, ſed quòd omnem notitiam ſibi neceſſariam, poſſet acquirere ex actione cauſarũ naturalium. Vndè concludendũ B C *Meth.* 12

A eſt cum ipſo Scoto, & Theologis, qui cognoſcunt defectum naturę, & neceſſitatem gratiæ, & perfectionum ſupernaturalium.

Neceſſarium eſſe, pro ſtatu iſto, aliquam doctrinam ſpecialem, ſupernaturaliter inſpirari, ad quam non poteſt homo attingere lumine naturali intellectus,

Quæ etiam Concluſio auctoritatibus Sacræ ſcripturæ probari poteſt.
2. *Ad Thim.* Prima habetur in Epiſtola Secunda ad Thimot. c. 3. nu. 16. Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt, ad docendum, ad arguendum, ad
2. *Petri.* corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Et 2. Petr. c. 1. Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.

Secundò Baruch. 3. num. 31. de ſapientia dicitur, Non eſt, qui poſſit ſcire vias eius; neq; qui exquirat ſemitas eius, ſed qui ſcit vniuerſa, nouit eam. Ergo nullus alius poteſt habere eam, niſi a ſciente vniuerſa; hoc
B quantum, ad neceſſitatē; De facto ſubdit in vltimo, tradidit illam; Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo hoc; quantum ad vetus teſtamentum. Et ſequitur, poſt hæc, in terris viſus eſt, &, cum hominibus conuerſatus eſt, ſcilicet quando tradidit eam, quò ad nouum teſtamentum.

S. Bonauent. Probatur inſuper noſtra Concluſio. Ex doctrina D. Bonauent. in 3. diſt. 37. artic. 1. q. 1. vbi quærit, an Deus meritò impoſuerit homini mandata obligatoria, & reſpondet, quòd ſic, ita vt non ſolùm homo in eis inſtrueretur, verùm etiam obligaretur. Probat D. Bonauent. duplici medio, Primò, quia Deum ipſum decebat; Secundò quia nobis expediebat. Primò, quia in verbis Decalogi conſiſtit regula iuſtitiæ, ſecundùm quod dictat lumen rectæ rationis, & quoniam Deus, tamq; iuſtus, debet eſſe æmulator rectitudinis, & iuſtitiæ, & in ſubditis, & in ſe ipſo, hinc eſt, quod, homini leges iuſtitię, impoſuit, ad quas, ipſum obligauit, vt, nullo modo, liceret, eas, impunè prætergredi. Decuit, etiam Dei
C maieſtatem, Sicut enim decet ſummam maieſtatem, à creatura rationali, omni reuerentia coli, ſic etiam decet, quòd rationalis creatura ad manifeſtationem illius ſummę maieſtatis per obedientiam famuletur, & propter hoc, decuit ipſum, mandata obligatoria, & leges imponere. Secundò nobis expediebat, duplici ratione, Primò, propter gloriam noſtrā augumentandā. Secundò propter pacem conſeruandam. Propter primū, quia glorioſiùs eſt homini, obtinere beatitudinem per merita, quàm ſine meritis, quia Deus in conferendo præmium, non tantùm attendit, ſuæ liberalitatis manifeſtationem, immò, etiam gloriæ noſtræ promotionem,

Digitized by Google

nem; hinc eſt, quòd maluit dare æternam beatitudinem, per impletionem mandatorum, & meritum obedientiæ, quàm nullo merito præcedente. A

Prætereà, merita noſtra, in nullo derogant Diuinæ liberalitati, immò potiùs, eam manifeſtant, tùm, quia ipſe bonorum noſtrorum, non eget, tùm, quia, omnia merita noſtra procedunt ex munere gratiæ ipſius Dei. Vnde not. quòd Deus, ſic tribuit mãdata obligatoria, quòd ſemper fuit promptus tribuere gratiam adiutricem ad illa implenda; vndè mandata Dei ſunt obligatoria, non quia auferant libertatem arbitrij, quia in nullo, libertati Arbitrij derogant, quin potius illam ſaluant, & ſuper addunt iuſtitiæ æquitatem, & Diuinam iuſtitiam commendant.

Secundò fuerunt neceſſaria, propter pacem conſeruandam, quæ tantum bonum eſt, vt cætera pacem appetant. D. Aug. Pax, autem, ſeruari non poteſt, vbi, quis vſurpat ſibi quod eſt alienum. Ideo, &c.

Nauarrus etiam in Man. cap. 11. num. 1. & ſeqq. idipſum egregiè *Nauarr.* ſentit, quòd ſicuti compendium totius fidei chriſtianæ in Symbolo Apoſtolico continetur; & quod petere debemus, in oratione Dominica, ita, omnia, quę facere debemus, habentur in Decalogo. Decem præcepta B ſunt ſpeculum quoddam, quod datur baptizato, vt videat, quantùm, per fidem ſuſceptam, vitam ſuam ordinauerit, aut quãtùm aberrauerit à via, per quam Spiritus ſanctus, in baptiſmate ſuſceptus, ipſum ducebat, aut qua in re, vel quantùm maculauerit veſtem candidam, quam in baptiſmo, induit, non obſeruando ea, quæ ſibi, tunc promiſit, & perſpectis maculis, & plagis, doleat humiliter, & confidenter reuertatur ad medicum, qui ęgrotum, & ſæpiùs relapſum non reſpicit. Hæc Nau.

De numero Præceptorum, & de numeri ſufficientia. Cap. II.

C

PRęcepta Decalogi in duas claſſes, ſeu ordines diuiduntur. Prima Claſſis tria priora continet, & dicuntur Pręcepta Primæ tabulę; Secunda, reliqua ſeptem, quę Præcepta Secundę tabulæ à Theologis appellantur. Suntq; in vniuersùm Decalogi Pręcepta, numero, decem, vndè, & Decalogi nomen deriuatur. Primò igitur videbimus in hoc Capite de Pręceptorum numero. Secundò de ſufficientia Pręceptorum primę tabulę. Tertiò de ſufficientia Præceptorum ſecundę tabulę.

A

Articulus Primus. De numero Præceptorum Decalogi.

Mag. Sent. NON ſunt plura, nec pauciora (vt tetigimus) quàm decem, Præcepta Decalogi. Diſertè Magiſter Sententiarum in 3. d. 37. Sed idem (inquit) diſtributio Decalogi, quæ in duobus mandatis complectur, conſideranda eſt; Habet enim Decalogus decem præcepta, quæ ſunt decacordum pſalterium, quæ ſic ſunt diſtributa, vt tria, quæ ſunt in prima tabula pertineant ad Deum, ſcilicèt ad cognitionem, & dilectionem Trinitatis; Septem, quæ ſunt in ſecunda tabula, ad dilectionem proximi. Hæc *S. Bonauent.* Magiſter. In quibus præceptis, vt dicit D. Bonauent. in 3. d. 37. art. 2. q. 1. in princio, conſiſtit Spiritualis vitæ exercitium.

S. Antonin. D. Antoninus p. prima tit. 14. cap. 3. §. 5. De ipſo Decalogo (ait) *Deuter.* qui continet decem præcepta, dicitur Deut. 4. num. 13, Oſtendit Domi- B nus vobis pactum ſuum, quod præcepit, vt faceretis, & decem verba, quæ *Exodus.* ſcripſit in duabus tabulis lapideis; De his habetur expreſsè exod. c. 20. *Pſal. 143.* vbi numerantur iſta præcepta. De his, Pſal. 143. num. 10. in Pſalterio Decacordo pſallam tibi; In Pſalterio Decem cordarum pſallite ei. Pſalterium eſt lex; Decem cordæ ſunt decem præcepta eius; Vndè D. Aug. Fecit quendam librum de decem præceptis, quem intitulauit de decem cordis. Manibus tactum tale inſtrumentum reddit ſuauem ſonum; Tangere manu pſalterium, ideſt legem, eſt opere ſeruare legem. *S. Auguſt.* Hæc D. Anton. Vndè habet D. Aug. tangitur prima corda, quando colitur Deus, exhibendo ei, debitum honorem, & occiditur beſtia ſuperſtitionis, & ſic de alijs; Et per hoc vitatur omne peccatum, & ſuauis Ar- *Pſal. 118.* monia bonorum operum indè ſequitur; Vndè Pſal. 118. iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi, quaſi dicat, Ideò odiui omnem iniquitatem, ideſt vitaui, quia legem mandatorum tuorum ſeruaui.

C

Articulus Secundus. De ſufficientia Præceptorum Decalogi quoad primam tabulam.

SVfficientia, & numerus mandatorum ſumitur ſecundùm rationem ordinis iuſtitiæ generalis, cuius eſt hominem ad Deum, & ad proximum ordinare, ſumitur tripliciter, ſic. Primò ex parte obiecti, ad quod ordinat; Secundò ex parte ſubiecti, quod ordinatur; Tertiò ex parte actus, quo, ſeu per quem ordinat.

Sufficientia itaque Præceptorum primæ tabulæ, ex parte obiecti, ſumitur

tur ſic, quia in Deo ſunt tres perſonæ, Pater, Filius, Spiritus ſanctus; Tria appropriata, Maieſtas, Veritas, Bonitas; Triplex genus cauſæ; Efficientis; Exẽplaris, ſiue Formalis; & Finalis, ſecũdùm quod cõparatur ad creaturam; Ideò triplex eſt præceptũ, ſecundùm quod creatura rationalis ordinatur ad Deum; Nàm, ſecundùm rationem maieſtatis, quæ appropriatur Patri, & conuenit Deo, ſecundùm quod eſt cauſa efficiens, ordinatur homo per primum præceptum; Secundum rationem veritatis, quæ appropriatur Filio, & conuenit Deo, ſecundùm quod eſt cauſa formalis, & exemplaris creaturæ, ordinatur per ſecundum præceptum; Secundùm rationem bonitatis, quę appropriatur Spiritui ſancto, & conuenit Deo, Secundùm quod eſt cauſa finalis, ordinatur per tertium præceptum; Et ità per illa tria homo ſufficienter ordinatur ad Deum, vt ſubiaceat ſummę maieſtati credat ſummæ veritati, adhæreat ſummæ bonitati. A

Ex parte ſubiecti ordinabilis, quod eſt Anima rationalis, in qua eſt triplex vis motiua, ſecundùm quam habet in Deum ordinari, videlicèt, Concupiſcibilis, Iraſcibilis, Rationalis; Primum mandatum de adoratione, reſpicit iraſcibilem; Secundùm reſpicit rationalem; Tertium de ſanctificatione, reſpicit concupiſcibilem. B

Ex parte actus. Triplex eſt actus, ſecundùm quem habet homo in Deum ordinari, videlicet, operis, oris, cordis; Pænès actum operis attenditur primum præceptum; Pænès actum oris, attenditur ſecundùm, quò prohibetur falſa inuocatio nominis Diuini; Secundùm actum cordis attenditur tertium, in quo præcipitur ſanctificatio mentis. Hæc ex Diuo Bonauent.

Vel iuxtà Doctrinam D. Thom. 1. 2. q. c. art. 5. Sic probari poteſt ſufficientia præceptorum Decalogi quòad primam tabulam. Per primum præceptum, reueremur vnitatem primi principij; Per ſecundum veritatem Diuinam; Per tertium, Dei bonitatem, qua ſanctificamur, & in qua quieſcimus, ſicut in fine; Vel ſic ſecundùm eũdem D. Th. ibidem; Prima tria præcepta ordinãt hominem ad Deum ſecundùm tria, quæ debet ſubtus domino ſuo; Quæ tria ſunt hæc, Fidelitas, Reuerentia, Famulatus. C
Fidelitas ad Deum conſiſtit in hoc, vt honor principatus ad alium non deferatur, & ad hoc datur primum præceptum Non habebis deos alienos. Reuerentia requirit, vt nihil iniurioſum in eum cõmittatur & quantum ad hoc datur ſecundum præceptum Non aſſumes nomen Dei in vanum. Famulatus debetur domino in compenſatione beneficiorum, que ab ipſo percipiunt ſubditi, & quantùm ad hoc datur tertium præceptum Sabata ſanctifices, in memoriam creationis rerum, reparationis hominum, & cæterorum beneficiorum Dei præteritorum, præſentium, & futurorum.

Ad

Digitized by Google

A Ad primum præceptum reducuntur omnia, quæ ſeruiunt idolatriæ, vt ſunt, filiorum, filiarum, per ignem luſtratio; hariolorum, Agurum ſciſcitatio; ſomniorum, temporum, ſignorum obſeruatio; maleficorum, dæmonum, incantationum conſultatio; pythonum, diuinorum, & mortuorum, interrogatio, &c. huiuſmodi.

Ad ſecundum præceptum, reducuntur blaſphemiæ, falſæ doctrinæ, peierationes doloſæ, & fidei fractiones, &c. huiuſmodi.

Ad Tertium reducuntur omnia præcepta cæremonialia, & quidquid, ad externum cultum Dei pertinet, ac omnium ſeruilium operum prohibitiones, & maximè peccatorum.

Articulus tertius. De ſufficientia mandatorum ſecundæ tabulæ.

Ex parte obiecti ſic probatur. In proximo, ad quem ordinant præcepta ſecundæ tabulæ, relucet proprietas Patris, Filij, & Spiritus ſancti.
B Secundùm quod in eo relucet proprietas Patris, debemus ei honorem, & reuerentiam, & ſecundùm hoc, attenditur illud præceptum, Honora patrem tuum, & matrem tuam; in quibus relucet proprietas ſummi patris, in hoc, quòd habent rationem principij. Secundùm quod, in proximo relucet proprietas Filij, debemus, ei veritatem, & ſic eſt illud, Non loqueris, contra proximum tum falſum teſtimonium. Secundum autem, quòd, in proximo relucet proprietas Spiritus debemus ei, dilectionem, & innocentiæ puritatem.

At, quoniam poſſumus damnificare proximum multipliciter, videlicet, in Perſona propria; in Perſona coniuncta; & in Rebus. Et in his dupliciter, & actu exteriori, & actu interiori; Ideo, ſunt vlteriùs quinq; mandata; Contra nocumentum, quod habet fieri in perſona propria proximi, eſt illud præceptum, Non occides; Contra nocumentum in perſona coniuncta, eſt illud, Non mechaberis, ſecundùm quod exercetur in opere.
C Contra nocumentum, quod fit in rebus, eſt illud, Non furtum facies; Contra nocumentum in perſona coniuncta, actu interiori, eſt illud præceptum, Non concupiſces vxorem proximi tui. Et contra nocumentum in rebus actu interiori eſt illud, Non concupiſces rem proximi tui:

Ex parte ſubiecti; quantùm ad iraſcibilem, habet homo ordinari ad Superiorē per reuerentiam, & honorem, & ſic eſt illud, Honora patrem, & matrem; Ad proximum, per pacem, & odij declinationem, & ſic eſt illud, Non occides. Secundum rationalem, ordinamur ad proximum, per veritatis loquelam, & teſtificationem, & ſic eſt illud, Non loqueris contra proximum tuum, falſum teſtimonium; Secundum concupiſcibilem,

lem, habet homo ordinari ad proximum, per ipſius refręnationem & quoniam illa eſt multipliciter corrupta, per cupiditatem, & concupiſcentiã, ideò prohibetur cupiditas, & concupiſcentia, in actu eſteriori per illa Non mechaberis, & Non furtum facies. Prohibetur in actu interiori, per alia duo, Non concupiſces rem proximi tui, Non concupiſces vxorem proximi tui. **A**

Ex parte actus medij, ordinamur ad proximum dupliciter, & ſecundùm innocentiam, & ſecundùm beneficientiam. Secundùm beneficentiam, ſic eſt illud, Honora patrem tuum, & matrem tuam; Secundùm Innocentiam, tripliciter. Secundùm actum cordis, oris, & operis; Secundùm actum operis, tripliciter. Primò in prohibenda deordinatione, quæ eſt contra debitam conſeruationem indiuidui, & ſic eſt illud, Non occides; Secundò contra poſſeſſionem temporalis ſubſidij, & ſic eſt illud, Non furtum facies; Tertiò contra debitam conſeruationem ſpeciei, & ſic eſt illud, Non mechaberis; Si ſecundùm actum oris, ſic eſt illud, Non falſum teſtimonium dices; **B** Si ſecundum actum cordis, qui conſiſtit in affectu, hoc eſt dupliciter, aut liberaliter, contra cupiditatem, aut honeſtè, contra voluptatem, & ſic ſunt duo vltimæ: Non concupiſces. Hęc, ex D. Bonauent. ſupra. *S. Bonauent.*

S.Thom. Ex Doctrina D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5. Ad proximum benè ſe haber aliquis, & ſpecialiter, & generaliter; Specialiter, quidem, quantùm ad illos, quorum eſt debitor, vt eis debitum reddat, & quantùm ad hoc accipitur pręceptum, de honoratione parentum. Generaliter autem, quantum ad omnes, vt nulli nocumentum inferatur, neq; opere, neque ore, neque corde; Opere, quidem infertur nocumentum proximo, quandoque in propria perſona, quantùm ad conſiſtentiam perſonę. & hoc prohibetur per hoc, quod dicitur Non occides. Quandoq; autem, in perſonam coniunctam, quantùm ad propagationem prolis, & hoc prohibetur, cum dicitur, Non mechaberis; **C** Quandoque autem, in rem poſſeſſam, quę ordinatur ad vtrumq; & quantum ad hoc, dicitur, Non furtum facies; Nocumentum, autem oris prohibetur, cum dicitur, Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium; Nocumentum, autem cordis, prohibetur, cum dicitur, Non concupiſces; hęc D. Thom.

De

A

De Diſtinctione Præceptorum. Cap. III.

Nauarr.

PRæceptum eſt motio Superioris, aut legis imperatiua faciendi aliquid, vel ommictēdi ex debito, ideſt, de neceſſitate ſalutis. Cōpend. Nauarr. verb. præceptum. Vel ſic, Præceptum eſt iuſſio, vel imperium faciendi, vel non faciendi aliquid, Superioris ad inferiorem, ſiue maioris ad minorem, ideſt per quod Superior ordinatur ad inferiorem præcipiendo, vel imperando, cogendo, vel obligando; Econtra inferior reſpectu Superioris non habet vim coactiuam, ſed ſolùm ſui deſiderij expreſſionem, deprecando Superiorem. Habemus ex his duo; A quo fit præceptum; Et cui fit; A quo fit præceptum, quia oportet, quòd pręcipiens habeat auctoritatem ſuper illum, cui pręcipit: B Cui fit præceptum, ſcilicèt inferiori, & ſubdito; Vndè ex pluribus oritur nullitas præcepti; Primò ex defectu auctoritatis, ideſt quando non habet auctoritatem, & iuriſdictionem ſuper eum, cui præcipit, Superior non poteſt præcipere, & ſi de facto pręcipiat, is non tenetur obedire; Secundò, ex defectu honeſtatis, ideſt quando pręcipit aliquid contra iuſtitiam, præceptum eſt nullum; Tertiò, ex exceſſu poteſtatis, quia, ſi eſſent, Ex. grat. duo prælati, inferior, & ſuperior, puta, Prouincialis, & Generalis, Epiſcopus, & Summus Pontifex, reſpectu vnius ſubditi, tunc ſubditus non tenetur obedire prælato inferiori, contra præceptum, & voluntatem Superioris; iuxtà illud Actorum V. obedire oportet Deo, magis, quàm hominibus. Quartò ſubditus non tenetur obedire Superiori præcipienti, quando ipſe ſubditus nō eſt capax præcepti, vel præceptum implere non poteſt. Quintò quando præceptum eſſet contra conſcientiam.

Act. Apoſt.

C Notandum, quod Præceptum diſtinguitur per affirmatiuum, & negatiuum; Affirmatiuum, ſtrictè ſumpto vocabulo, dicitur præceptum, quod obligat ſemper, ſed non pro ſemper, ideſt non ad omne tempus, & pro qualibet parte temporis, Sed pro tempore, & loco debito, tunc ſcilicèt quando opportunitas occurrit, & tempus requirit. Negatiuum, quod propriè dicitur prohibitio, obligat ſemper, & pro ſemper, & pro qualibet parte temporis; Ad hunc ſenſum, non datur tempus, non datur inſtans temporis, in quo liceat facere, quod præcepto negatiuo prohibetur: Vndè nota, quod, ſicut pręcepta affirmatiua inducūt ad actus virtutum, ità negatiua prohibent actus vitioſos; Actus vitioſi, ideſt peccata

A

cata de ſe, & natura ſua, intrinſecè ſemper ſunt mali; Vndè, nullo modo, nullo vnquàm tempore, poſſunt benè fieri, ideò obligant ſemper, & pro ſemper. Actus virtutum non quolibet modo, nec quolibet tempore fieri debent, ſed debitis circumſtantijs obſeruatis, quæ circumſtantiæ requiruntur ad hoc, vt actus ſit virtuoſus, vt ſcilicet fiat, quando debet, vbi debet, quomodo debet, & quoniam diſpoſitio eorum, quæ ſunt ad finem attenduntur ſecundùm rationem ipſius finis, ideò in iſtis circumſtantijs actus virtuoſi maximè attendenda eſt ratio finis; Verùm, ſi aliquis defectus alicuius circumſtantiæ occurrat, qui non totaliter tollit virtutis bonum, licèt non perfectè attingat, non dicetur ille contra præceptum; Vndè dicitur Secundo Ethic. Si parum à medio diſcedatur, non *Eth.* 2. erit contra virtutem (quia in moralibus parum pro nihilo reputatur.) Si autem multùm, corrumpitur virtus.

B

Appendix ad Tertium Caput.

De præceptis Veteris legis.

NE quid autem in hac re prætermiſiſſe videamur de Veteris etiam Legis Præceptorum diſtinctione agendum eſt. Legis igitur Veteris triplex eſt genus præceptorum; Moralium, ſcilicèt, Cæremonialium, & Iudicialium. Moralia ſunt de dictamine rationis naturalis, vt Decalogus, & alia moralia, quæ ad ipſum Decalogum reducuntur; Ad horum obſeruantiam, omnes obligabantur, non ſolùm Iudei, & nunc Chriſtiani, ſed etiam, omnes aliæ nationes, & ſemper obligabunt, quia ea dictat ratio naturalis.

C

Moralia præcepta, pro vt ſunt de iure naturali, dictant in genere, bonum faciendum; malum vitandum; Pròut ſunt de lege ſcripta Moyſis, dictant hoc in ſpeciali, & determinatè, vt patet in Decalogo; Honora patrem, &c. Pròut autem ſunt de lege Euangelica, dictant hoc vtiq; in ſpeciali, & determinatè, ſed magis explicitè, vt ſcilicèt impleantur, non timore pęnæ, ſicut in lege veteri, ſed intuitu amoris Diuini.

Data ſunt moralia, quæ ſunt de actibus virtutum in ſe, vt per illa, homines efficerentur boni, & amici Dei. Cæremonialia inſtituta ſunt, ad ordinandum homines ad Deum, circa Diuinum cultum, non ſolùm.n. homines ordinantur ad Deum per actus interiores, vt credere, ſperare, & amare, Sed etiam per actus exteriores, quibus homo exteriùs profi-

A tetur Diuinam ſeruitutem. Circà cultum exteriorem, præcepta cæremonialia obligabant ſolùm populum Iudeorum pro illo tempore. Iudicialia ſunt inſtituta, ad ordinandum homines ad inuicem, ad pacificè conuiuendum, per modum ſtatutorum, vt faciat alter alteri, quod iuſtum eſt, & hæc etiam ſolùm Iudæos obligabant. Hæc D. Anton. p. 1. tit. 14. c. 1. *S. Antonin.*

Scotus. Scotus in 4. diſt. 3. quæſt. 4. Ad primun princip. ibi. Vtrum inſtitutio Baptiſmi euacuauerit circumciſionem? Ad primum (inquit) dico, quòd in lege erant Moralia, ſiue Legalia, Iudicialia, & Cæremonialia; Et quãtùm ad quodlibet iſtorum, poteſt intelligi verbum Chriſti, *Non veni ſoluere, ſed adimplere*. Decalogus ſimpliciter manet, ſed perfectiùs exponitur, quàm Iudæi intelligant, vt patet, Matth. V. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quicumque dixerit fratri ſuo racha, &c. Non mæchaberis, ego autem dico vobis, quicumq; viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iàm mæchatus eſt in corde ſuo*. Iudicialia autem manent, non in ſe, ſed in æquipollenti, quantùm ad finem, finis enim iudicialium erat pacifica cohabitatio hominum; Mores autem Euangelici plùs valent ad pacificam conuerſationem, quàm lex talionis, magis enim ſeruatur pax, ſi non percutias percutientem, quàm, ſi oculus pro oculo, dens pro dente reddatur; Vndè breuiter. Nullum iudiciale illius legis, quia illius legis, ligat nunc; Licet tamen Principibus nunc ſtatuere aliqua, quæ erant illius legis, ideſt in lege Moyſi, & illa ligabunt auctoritate Principis nunc ſtatuentis, non auctoritate legis veteris. Sicut licet vni Regi in Regno ſuo ſtatuere legem, quæ eſt in alio Regno, ſed illa non ligabit ibi, quia lex alterius Regni, ſed quia ſtatuta eſt ab iſto Rege. Cæremonialia autem non manent in ſe, ſed in ſuis ſignificatis, quia vmbra tranſijt, & veritas ſucceſſit; Omnes enim illæ purificationes ſignificabant purificationem a peccato, & illæ oblationes figurabant oblationem perfectam Chriſti, & actus quoſdam latriç, Fidei, ſpei, & charitatis in Deum, & hæc ſunt completa, hoſtia illa iàm oblata, & per eam peccatis purgatis, & mentibus, in cultum Dei directis; Dico ergo (dicit Scotus) quòd non venit ſoluere legẽ, quantum ad fructum ad quem erat inſtituta, immò perfecit eam, copioſius remedium, ac longe perfectius inſtituendo. Hæc Scotus.

Mattheus. B C

De

A

De diſpenſatione Præceptorum Decalogi.

Cap. IV.

Articulus Vnicus.

Vtrum Præcepta Decalogi ſint diſpenſabilia.

B

D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. habet hanc Concluſionem negatiuam. Præcepta Decalogi, ſunt indiſpenſabilia. Verba D. Thom. in corp. quæſt. fine; Præcepta Decalogi continent intentionem legiſlatoris, ſcilicet Dei, nàm præcepta primæ tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ordinem ad bonum commune, & finale, quod eſt Deus; Præcepta autem ſecundæ tabulæ continent ordinem iuſtitiæ inter homines obſeruandæ, vt ſcilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum, ſecundùm hanc enim rationem, ſunt intelligenda præcepta Decalogi, & ideo præcepta Decalogi ſunt omninò indiſpenſabilia. Hæc D. Thomas. *D. Thom.*

Intentio legiſlatoris, vt habet, idem D. Thom. ibidem, in principio. Ordinatur primò, & principaliter, ad bonum commune; Secundò autem, ad ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſecundùm quem, bonum commune conſeruatur, & ad ipſum peruenitur.

C

Contrà Concluſionem ſuam arguit D. Thom. Inter præcepta Decalogi continetur prohibio homicidij, ſed in iſto præcepto videtur diſpenſari per homines, puta, cum ſecundùm præceptum legis humanæ, homines licitè occiduntur, puta malefactores, vel hoſtes, ergo præcepta Decalogi, ſunt diſpenſabilia. *Prim. Arg.*

Secundò. Obſeruatio ſabbati continetur inter præcepta Decalogi, ſed in hoc præcepto fuit diſpenſatum, dicitur enim Primo Machab. 2. Et cogitauerunt in die illa, dicentes, omnis homo, quicumq; venerit ad nos in die Sabbathorum, pugnemus aduerſus eum; Ergo. *Sec. Arg.*

Reſpondet ipſemet D. Th. ibi, ad tertiùm. Quod occiſio hominis, prohibetur in Decalogo, ſecundùm quòd habet rationem indebiti. *R. ad prim.*

Digitized by Google

A Sic enim pręceptum cõtinet ipſam rationem iuſtitię, lex autem humana hoc concedere non poteſt, quòd licitè homo indebitè occidatur; Sed Malefactores occidi, vel hoſtes Reip. non eſt indebitum; Vndè hoc non contrariatur pręcepto Decalogi, nec talis occiſio eſt homicidium, quod
D. Auguſt. pręcepto Decalogi prohibetur. D. Aug. lib. p. de lib. Arbitr. Similiter, ſi alicui auferatur quod ſuum erat, ſi debitum eſt, quòd ſuum ammictat, hoc non eſt furtum, vel rapina, quæ præcepto Decalogi prohibentur; Et ideò quando filij Iſrael præcepto Dei tulerunt Ægiptiorum ſpolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur ex ſentētia Dei. Similiter & Abraham, cum conſenſit occidere filium, non conſenſit in homicidim quia debitum erat eum occidi per mandatum Dei, qui eſt dominus vitę, & mortis; Ipſe enim eſt, qui pęnam mortis infligit omnibus hominibus iuſtis, & iniuſtis pro peccato primi Parentis, cuius ſentētię, ſi homo ſit executor auctoritate diuina, non erit homicida, ſicut nec Deus; Similiter etiam Oſee accedens
B ad vxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt męchatus, nec fornicatus, quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum Dei, qui eſt auctor inſtitutionis Matrimonij. Sic igitur precepta ipſa Decalogi quantùm ad rationem iuſtitiæ quam continent immutabilia ſunt, ſed quãtùm ad aliquam determinationem per applicationem ad ſingulares actus, vt, ſcilicet, hoc, vel illud homicidium furtum, vel adulterium fiat, aut non, hoc quidem eſt mutabile, Quandoq; ſola auctoritate Diuina in his, ſcilicet, quę à ſolo Deo ſunt inſtituta, ſicut in Matrimonio, & alijs huiuſmodi; Quandoq; etiam auctoritate humana, ſicut in his, quę ſunt commiſſa hominum iuriſdictioni, quandoq; enim quantùm ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantùm ad omnia.

R. ad ſecundum. Ad aliud ſecundò adductum reſpondet D. Thomas ibi, ad Quartum dicendum. Quòd illa excogitatio magis fuit interpretatio pręcepti, quàm diſpenſatio, non enim intelligitur uiolare ſabbatum, qui facit opus, quod eſt neceſſarium ad ſalutem humanam, ſicut dominus
Matteus. probat Mattei. cap. 12.

C
Caietanus. Eminentiſs. Caietanus ibidem. Per ordinem iuſtitię in pręceptis iſtis non intelligitur contenta ratio debiti, vel indebiti in communi, hoc enim non conſtitueret pręcepta in ſpeciali, ſed duo communia pręcepta Nulli faciendum eſt indebitum, Cuilibet faciendum eſt debitum; Sed intelligitur ſpecialis ratio debiti, vel indebiti iuxtà meteriam ſubiectam. Verbi gratia, In hoc præcepto, Non occides, ordo iuſtitiæ eſt, quòd non occidas hominem innocentem cum cæteris conditionibus requiſitis, ſic enim continet ordinem iuſtitiæ, quem Deus non negat, nec in iſto ordine vnquàm fit diſpenſatio; Impoſſibile

quippe

quippè eſt, vt actus iſte, ſcilicet, occidere, ex deliberatione, non ſe à vel alium defendendò, priuata auctoritate, hominem innocentem, diſpenſationem recipiat. Sed cum Deus diſpenſare dicitur, vt quando præcepit Abrahæ imolationem Iſaac, non relaxauit, aut declarauit hoc præceptum non occidendi, ſed fecit, vt actus ille imolationis non eſſet homicidium, quia erat occiſio imperata à ſumma maieſtate, & poteſtate, quia ſine tali auctoritate fuiſſet homicidium. A

Pro pleniori intelligentia ſciendum. Quòd ſicut hæc enunciatio Mortui non poſſunt reſurgere, eſt neceſſaria, & ex principijs primis naturaliter notis demonſtratiuè concludi poteſt, & in ſenſu, in quo fit, & concluditur, ſcilicet, quòd ly *poteſt* dicit potentiam naturalem, impoſſibile eſt, quòd aliter ſit; Et quando Deus reſuſcitat aliquem mortuum, non falſificat illam propoſitionem, aut excipit ab illa, ſed operatur, non contrà, ſed ſuprà naturam; Ità in propoſito hæc Concluſio, Non eſt occidendum, in ſenſu, quo fit, ſcilicet, priuata auctoritate cum cæteris conditionibus, eſt Concluſio neceſſaria, & neceſſariò conſequens ex primis principijs practicis per ſe notis, ità vt impoſſibile eſt aliter ſe habere, nec B Deus vnquam illam falſificat, aut ab ea excipit, ſed, cum iubet fieri actũ, qui ſine iuſſu ſuo eſſet homicidium, adulterium, vel furtum, operari iubet, non præter, aut contrà præceptum, ſed quaſi ſuprà illud, dum à ſuperiori poteſtate actum imperatum exerceri iubet; Omnia ſiquidem præcepta ſubintellectam habent hanc clauſulam, ſcilicet, quòd ex naturali menſura actus iſti fiant, vel non fiant; Sic enim ordinem iuſtitiæ inſolubilem continent. Ita quòd ſenſus eſt, Non eſſe naturali ratione committendum actum ſubſtratum rationi homicidij, adulterij, furti, &c. hoc enim eſt idẽ, quod dicere Non eſſe occidendum, Adulterandum, Furandum, quoniam actus illi ſubſtrati relati ad naturalem rationem, & menſuram, à qua diſcordant, Homicidij, Adulterij, Furti, &c. rationem induunt; Hoc autem omninò indiſpenſabile eſſe conſtat, vt ſcilicet, illi actus naturali ratione exerciti, Homicidia, Adulteria, Furta, &c. non ſint, Quàmuis C fieri poſſit, vt actus illi diuina ratione exerciti non ſint homicidia, &c. Et per hoc nec peccata. Sicut enim fieri nequit, vt mortuus naturali potentia reſurgat, ita fieri nequit, vt homo naturali ratione licitè occidat: quàmuis diuina potentia mortuus reſurgat, & diuina ratione homo occidat licitè; Quæ non eſſe contraria, & poſſe ſtare ſimul liquidò conſtat. Hæc Caietanus.

Scotus in 3. d. 37. præmiſſa diſtinctione ponit nonnulla dicta. *Scotus.*

Primũ. Omnia præcepta Decalogi primæ, & ſecundæ tabulæ ſunt de lege naturæ.

Secun-

A Secundùm. Omnia præcepta ſecundæ tabulæ non ſunt de lege naturę, ſtrictè loquendo.

Tertium. Duo prima primæ tabulæ ſunt de lege naturę ſtrictè loquẽdo.

Quartùm. Dubium eſt de pręcepto tertio primę tabulæ, vtrum ſit de lege naturę ſtrictè loquendo.

Pro intelligentia notandum eſt primo; Quòd diſpenſare non eſt facere, quòd ſtante præcepto liceat facere contra præceptum, ſed diſpenſare, eſt reuocare præceptum, vel declarare, qualiter debeat intelligi; Eſt enim duplex diſpenſatio, ſcilicet, Iuris reuocatio, & Iuris declaratio.

Notandum ſecundò, Quòd aliqua poſſunt dici de lege naturæ dupliciter, vno modo tamquàm prima principia practica nota ex terminis, vel concluſiones neceſſariò ſequentes ex eis, & hæc dicuntur eſſe ſtrictiſſimè de lege naturæ; Alio modo, aliqua dicuntur eſſe de lege naturæ, quia ſunt multùm conſona illi legi, licèt non ſequantur neceſſariò ex principijs practicis, quæ nota ſunt ex terminis, & omni intellectui appræhendenti terminos ſunt neceſſariò nota. Exemplum: Suppoſito iſto principio B iuris poſitiui, Pacificè eſt viuendum in communitate, vel politia, Ex hoc non ſequitur neceſſariò, Igitur, Quilibet debet habere poſſeſſionem diſtinctam à poſſeſſione alterius, poſſet enim ſtare pax in conuiuendo etiã ſi omnia eis eſſent communia; Nec etiam ſuppoſita infirmitate illorum, qui conuiuunt, eſſet neceſſaria illa conſequentia; Sed tamen, poſſeſſiones eſſe diſtinctas pro perſonis infirmis valdè conſonat pacificæ conuerſationi, Infirmi enim magis curant bona ſibi propria, quàm bona communia, & magis vellent appropriare ſibi communia bona; quàm Communitati, & cuſtodibus Communitatis, & ità fieret lis, & turbatio, & ità eſt in omnibus ferè iuribus poſitiuis, quòd licèt ſit aliquod principium, quod eſt fundamentum in condendo omnes leges, vel iura, tamen ex illo principio non ſequuntur leges poſitiuæ, ſed declarant, ſiuè explicant illud principium quantùm ad certas particulas, quæ explicationes conſonant ualdè principio natura-C liter vniuerſali. His notatis pono quinque dicta.

Primùm. Pręcepta primę tabulæ, duo ſiquidem prima, ſi intelligantur eſſe tantùm negatiua, primum, Non habebis Deos alienos, ſecundum, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, ideſt, non facies Deo tuo irreuerentiam, ſunt de lege naturæ ſtrictiſſimè; Probatur, Quia illa immediatè reſpiciunt Deum pro obiecto, & quia ſequitur neceſſariò, Si eſt Deus, eſt amandus, vt Deus, & quòd nihil aliud eſt colendum tamquàm Deus, nec Deo facienda eſt irreuerentia, & per conſequens in iſtis non poterit diſpenſari, vt aliquis poſſit licitè facere oppoſitum talis prohibiti.

Se-

Secundum. Tertium Præceptum primæ tabulæ quod eſt de Sabbato eſt affirmatiuum, tamquam ad aliquem cultum exibendum Deo determinato tempore; Quantùm ad determinationem huius temporis, vel illius, non eſt de lege naturæ, ſtrictè loquendo; Similiter nec ad partem negatiuam, quæ includitur, qua ſcilicet prohibetur actus ſeruilis pro tempore determinato prohibens à cultu tunc exhibendo Deo, ille enim actus non prohibetur, niſi, quia impediens, vel retrahens ab iſto cultu, qui præcipitur. A

Tertiū. Dubiū eſt, an ſit de lege naturæ, ſtrictè, hoc præceptū de Sabbato, quātùm ad cultū pro aliquo tempore determinato, exhibendo Deo.

Quartum. Præcepta ſecundæ tabulæ, omnia ſunt de lege naturæ, largè loquendo, quia eorum rectitudo valdè conſonat primis principijs practicis neceſſariò notis.

Quintùm. Præcepta, quæ ſunt de lege naturæ primo modo, ſunt omninò indiſpenſabilia, quæ verò, ſunt de lege naturę ſecundo modo, diſpenſabilia ſunt. B

Contrà arguit Scotus, vt magis declaret, & probet, quod ſecunda pars huius quinti dicti, ſcilicet, *quæ ſunt de lege naturæ, ſecundo modo ſunt diſpenſabilia*, eſt falſa. Auctoritate Apoſtoli ad Rom. c. 13. num. 9. Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, diliges proximum tuum, ſicut te ipſum; Igitur in iſto pręcepto Diliges proximum tuum, includuntur neceſſariò pręcepta ſecundæ tabulæ, hoc enim videtur Apoſtolus probare expreſsè, vndè in fine concludit, qui diligit proximū, legē impleuit. Hoc probatur auctoritate Saluatoris, Matth. 22. n. 37. & ſeqq. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Hoc eſt maximum, & primum mandatum, ſecundum ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, in his duobus mandatis, vniuerſa lex pendet, & prophetæ; Sed dilectio proximi, neceſſariò ſequitur ex hoc principio neceſſario, Deus eſt diligendus; igitur, a primo ad vltimum, omnia præcepta ſecundæ tabulæ, ſequuntur neceſſariò, ex primo præcepto primæ tabulæ, & ità, ſi præcepta primæ tabulæ, ſequitur, quod pręcepta ſecundæ tabulæ erunt etiam ſtrictè de lege naturæ, licèt ſint concluſiones eiuſdem principij. Probatur; Quia perfectus amor Dei, non poteſt eſſe zelus, appropriatè loquendo, quia amor boni communis, vt appropriati ſibi ſoli, eſt inordinatus amor, etiam alicuius nolentis, dilectum condiligi eſt imperfectus, ergo ſequitur, quòd ſi Deus eſt perfectè, & ordinatè amandus, quòd amans Deum, debet velle, proximum diligere Deum, & hoc volendo diligit proximum, hoc enim modo ſolùm diligitur proximus ex charitate diſt. 28. in tertio. Reſ-

Arguitur contrà. *Ad Rom.* *Mattheus.* C *Scotus.*

A Reſpondetur. Quòd Scotus triplicem affert reſponſionem. Prima, *Prima reſpõſio ad Arg.* Quòd illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum* in quantùm eſt affirmatiuum, non eſt ſimpliciter de lege naturę, ſed in quantùm eſt negatiuum prohibens oppoſitum, non odire enim eſt ſimpliciter de lege naturæ, ſed an amare? Dubium eſt; Nunc autem ex illa negatiua non ſequitur, quod volendum ſit proximo diligere Deum, licèt ſequeretur ex affirmatiua illa; de qua non eſt certum, quòd ſit de lege naturæ ſtrictè loquendo.

2. Reſponſio. Secundò poteſt reſponderi, Quòd ex illo præcepto *Diliges Dominum Deum tuum*, non ſequitur, quòd debeam velle, proximum diligere Deum; Cum probatur; Quia Zelus non poteſt eſſe amor perfectus, & ordinatus; Reſpondeo (inquit Scotus) Non debeo velle bonum commune eſſe alicuius tantùm, & ita non amari ab alio, ſed non oportet, me velle, illud bonum eſſe alterius, puta, quia non placet illi, illud bonum eſſe eius; Sicut Deus prędeſtinans vnum, & non alterum, vult bonum eſſe prædeſtinati, & non alterius. Ad illud, Perfectè diligens vult dilectum condiligi. B Reſpondetur. Poteſt dici, quòd hoc verum eſt, ab eo ſcilicet, cuius amicitia placet dilecto, non autem eſt certum ex lege naturæ de quocumque, quòd eius dilectio acceptetur à Deo dilecto.

3. Reſponſio. Tertiò. Poteſt dici (inquit Scotus) Quòd licèt ſit de lege naturę, ſtrictè, proximum eſſe diligendum, ideſt ſimpliciter eſſe volendum proximo, ipſum diligere Deum, quia hoc eſt diligere proximum, tamen ex hoc non ſequuntur præcepta ſecundæ tabulæ, puta, quòd nolendum ſit, ipſum occidere, quantùm ad bonum perſonę propriæ, vel quòd nolendum ſit, adulterari, quòad bonum perſonę coniunctę ſibi, vel, quòd nolendum ſit, furari, quòad bonum fortunæ, quo ille vtitur; Quòd exhibenda ſit parentibus reuerentia, tàm in honoribus, quàm in ſubſtentationibus, & ita de alijs præceptis ſecundæ tabulę, quia poſſibile eſt, me velle, proximum diligere Deum, & tamen nolle, vel non velle ſibi vitam corporalem, vel C ſeruare fidem coniugij, & ſic de alijs, & per conſequens poſſunt iſta duo ſtare ſimul, ſcilicet, me velle proximum diligere Deum, ſicut ego debeo Deum diligere, ſicut quoddam neceſſarium concluſum ex principijs practicis, & me nolle proximo hoc bonum, vel illud, cuius eſt expręſſiuum præceptum ſecundę tabulæ, cum non ſit verum neceſſarium.

Ad auctoritates Apoſtoli, & Chriſti poteſt dici, quòd Deus nunc de facto explicauit, dilectionem proximi vltra illud, quod includit, in quantùm ſequitur ex principijs legis naturæ, ità quòd, licèt, vt concluditur ex principijs legis naturæ, non contineat, niſi velle proximo, ipſum diligere Deum in ſe; Tamen, vt explicatum eſt, includit, eſſe volendum, bona

illa

illa, vel ſaltem, eſſe non volendum proximo mala oppoſita, vt iniuſtè ſibi auferre vitam corporalem, fidem coniungij, bona temporalia; Verum eſt igitur, quòd diligens proximum legem impleuit eo modo, quo dilectio proximi concluditur ex primis principijs legis naturæ, & à ſimili, tota lex, quantùm ad ſecundam tabulam, & Prophetę pendent ex hoc præcepto *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum,* intelligendo tale præceptum non, vt ſequitur ex principio practico legis naturæ, ſed, vt legislator intendit debere illud ſeruari, prout explicatur in pręceptis ſecundę tabulę. A

Vorilong. in 3. ſent. diſt. 37. concl. 3. ibi, de Tertio. De tertio autem (ait) ſcilicet de ſanctificatione Sabbati, quòad taxationem temporis, figurale eſt, & cæremoniale, & tranſijt, nec erat legis naturæ, quò verò ad ſanctificationem mentis aliquando Deo exhibendam, benè fuit, & eſt de lege naturæ; Nec ſequitur, lex naturæ non dictabat, nec hoc tempore, nec illo, ergo, nullo; Eſt enim fallacia conſequentis, à pluribus determinatis ad vnam indeterminatam, niſi ly *nullo* caperetur determinatè. *Vorilongus.* B

Mandata ſecundę tabulę nō ſunt, loquendo ſimpliciter, de lege naturę. Patet, ea. n. non ſunt ſimpliciter legis naturæ, ſine quibus finis proprius poteſt adquiri, huiuſmodi ſunt præcepta ſec. tabulæ, vt patet in diſpēſationibus tàm Abrahæ de filio immolando, quàm Oſee de vxore fornicaria.

Ad ampliorē explicationē Ob. Quòd, Sicut in natura, aliqua sūt, quę sēper eodē modo eueniunt, ſicut eſt motus firmamenti; Aliqua ſunt, quæ vt frequenter eodem modo eueniunt, tamen aliquando deficiunt, ſicut non pluere ſub Cane; Tertia ſunt, quæ tarò eueniunt, vt caſualia, vt pluere ſub Cane. Sic in natura legum; Aliqua ſunt in legibus; quę ſimpliciter ſunt neceſſaria, vt ſunt mandata in Deum; Alia ſunt, quæ non ſunt ſic neceſſaria, tamen ſæpiùs ſequuntur prima, hoc modo mandata ſecundæ tabulæ, dicuntur de lege naturæ, quia raro in eis fit diſpenſatio, & multùm ei ſunt conſona; Tertia ſunt diuerſa ſcita Principum, & Canones, vel in lege veteri iudicialia, & cæremonalia, ſecundùm quod plùs, vel minùs faciunt, ad ſeruandum ea, quæ ſunt Dei, & proximi. C

Not. ex eod. quòd tripliciter ſolent in homine tabulæ aſſignari; Primò, vt vnica ſit tabula vię ad patriā, ſcilicet, Gratia, qua in cęlum deportamur; Secundò, vt ſecundùm varietatem ſtatuum triplex aſſignetur, prima Innocentiæ, & ſumitur in Baptiſmo, ſecunda, Pœnitentiæ, & ſumitur in illo Sacram. & à D. Hier. dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, tertia, Extremæ Vnctionis, & illo capitur Sacramento, qua mediante tuti ad Cœlum leuamur; In medio harum, ſunt binæ tabulæ mandatorum Dei, prima in ordine ad ipſum, ſecunda ad proximum, prima habet tria mandata, ſecunda ſeptem.

Digitized by Google

A

De fine Præcepti. Cap. V.

Articulus Vnicus.

Vtrum finis Præcepti cadat ſub Præcepto.

S. Antonin.

D. Antoninus p. 1. tit. 14. cap. 3. §. 4. De fundamento, ſeù principio moralium præceptorum, quod eſt charitas, Not. quòd cum præceptum importet rationem debiti, quia ſcilicet ex hoc, quòd aliquid præcipitur, debet fieri, in tantùm aliquid cadit ſub præcepto, inquantùm habet rationem debiti; Eſt autem aliquid debitum dupliciter; Per ſe, & Propter aliud. Per ſe, eſt debitum in vnoquoq; negotio id, quod eſt finis, qui habet rationem per ſe boni; Propter aliud eſt debitum, quod ordinatur ad finem; Sicut medico per ſe eſt debitum, vt ſanet, quia hoc eſt finis artis medicæ, propter aliud eſt debitum medico, vt det medicinam, quia medicina ordinatur ad inducendam ſanitatem. Finis ſpiritualis vitæ eſt, vt homo vniatur Deo, Medium ad faciendam hanc vnionem, eſt charitas, quia, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. P. Ioan. 4 Ideò dicitur charitas, quaſi chara vnitas; In hoc conſiſtit perfectio vltima rationalis creaturæ, vniri Deo, & ad hoc ordinantur, ſicut ad finem, omnia præcepta, quę pertinent ad ſpiritualem vitam; Vndè. P. ad Thim. 1. Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Omnes virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur ad purificandũ corda à turbinibus paſſionum, ſicut virtutes, quæ ſunt circa paſſiones moderandas, vt fortitudo, & temperantia; Vel ſaltem ad habendam bonã conſcientiam, ſicut virtutes, quæ ſunt circa operationes, vt iuſtitia, & prudentia; Vel ad habendam rectam fidem, vt illa, quæ pertinent ad Diuinum cultum; Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum; Nam, cor impurum à Dei dilectione abſtrahitur propter paſſiones inclinantes ad terrena; Conſcientia mala facit horrere Diuinam iuſtitiam propter timorem pœnæ. Fides ficta trahit affectum in id, quod de Deo fingitur, ſeparans à Dei veritate.

B

P. Ioannis.

P. ad Thim.

C

In quolibet autem genere, illud, quod eſt per ſe, eſt prius eo, quod eſt propter aliud, & ideo primum, & maximum mandatum eſt de charitate erga Deum, Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et non ponitur

Mattheus.

nitur in Decalogo, quia præſupponitur ad illud,& in omnibus illis decem A
præceptis includitur illud; Secundum eſt, Diliges proximum tuum,ſicut te ipſum; In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetę; Ideo Io: p.c. 4. dicitur. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum; Et quàmuis vnum includatur in alio, nec poſſit eſſe dilectio Dei vera ſine dilectione proximi, nec dilectio proximi ſine dilectione Dei, cum dilectio proximi ordinetur ad dilectionem Dei, vt ad finem,propter quod dicit Apoſtolus, Qui diligit proximum, legem impleuit, oportuit tamen dari diſtinctum pręceptum propter minùs capaces, qui non de facili, vnum ſub altero ſciunt contineri. Non datur ſpeciale præceptum de dilectione ſui, quia quantùmcumque quis excidat à veritate, remanet tamen in ipſo dilectio ſui; Vel dicas, quòd in præcepto de dilectione proximi, notatur dilectio ſui, cum hoc ponatur pro regula, & modo dilectionis proximi, cum dicitur, *Sicut te ipſum*. B

Not. ex eod. §. 3. quòd non ſufficit ad ſalutem ſeruare omnia mandata Decalogi, & ſuperaddita, niſi fiant in charitate,quia vt dicitur Iacobi 2. *Ep.D.Iacob.* Qui totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, id eſt in charitate(quę vnit nos cum Deo) factus eſt, omnium reus, id eſt, damnabitur, ac, ſi nullum ſeruaſſet; Seruando tamen quodcumque præceptorum, non exiſtens in charitate, puta honorando parentes, &c. Non peccat, nec ex hoc damnatur, quia honorauit parentes in charitate non exiſtens, ſed ex hoc, quòd non habuit charitatem, nec ſe exeruit in actibus charitatis, vt debuit.

Notandum ſecundò, Quòd actus Charitatis, poteſt dupliciter conſiderari, Et ſecundùm quod eſt quidam actus per ſe,& ſecundùm quod eſt modus actuum aliarum virtutum, id eſt, ſecundùm quòd actus aliarum virtutum ordinantur ad Charitatem, quæ eſt finis præcepti. Primo modo, cadit ſub præcepto legis, quia de hoc datur ſpeciale præceptum, ſcilicet, Diliges Dominum Deum tuum; Et proximum tuum, &c. Non eſt impoſſibile obſeruare hoc præceptum, quia poteſt homo ſe diſponere ad charitatem habendam, & cum eam habuerit, poterit, ea vti. Secundo modo, non cadit ſub præcepto, Vndè ſub præcepto, Exempli gratia, Honora Patrem, &c. Non includitur, quòd honoretur pater ex charitate, ſed ſolùm, quòd honoretur; Vndè, qui honorat patrem non habens charitatem, non efficitur tranſgreſſor præcepti de honoratione parentum licèt ſit tranſgreſſor præcepti, quod datur de dilectionis actu, vndè pœnam meretur; Quàmuis ergo, qui honorat, &c. teneatur ex charitate honorare, hoc tamen non eſt ex vi huius præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde ſuo, quod intelligitur, vt omnia referantur in C

Digitized by Google

A

Matth.

Deum; Oportet itaq; præcepta cuſtodire in toto corde, ideſt, in charitate, ſi quis vult ſaluari; Quòd autem dicitur Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, Intelligitur, non ſolùm de mandatis Decalogi, ſed etiam de alijs, inter quæ præcipuum eſt præceptum de charitate; Cadit ergo ſub præcepto finis præcepti, ideſt, charitas ad conſequendum finem præcepti, ideſt, finem intentum, per obſeruantiam præcepti, videlicet, gloriam.

S. Thomas.

D. Th. 1. 2. q. 100. art. 9. Ad ſecundũ. Intentio (ait) legislatoris eſt de duobus, Vnum eſt, ad quod intendit per præcepta legis inducere; Aliud eſt, de quo intendit præceptum ferre. Primum eſt virtus; Secundum eſt, quod ducit vel diſponit ad virtutem, ſcilicet, actus virtutis; Non enim idem eſt finis præcepti, & id, de quo præceptum datur, ſicut nec in alijs rebus idem eſt finis, & quod eſt ad finem. Hæc D. Thom.

Nauarrus.

B

Nauarr. in Man. cap. 11. num. 17. Vniuerſa decem præcepta, & alia omnia, poſſunt impleri ab illo, qui eſt in peccato mortali quòad ſubſtantiam actus, & præcepti, & effectum vitandi nouum peccatum mortale, quod incurreret, niſi impleret illud.

S. Bonauent.

D. Bonauent. in 3. ſent. diſt. 37. q. 2. Vtrum præcepta Decalogi obligent ad opera formata? Opera (ait) formata poſſunt dici dupliciter, Vno modo per excluſionem deformitatis peccati, Alio modo per poſitionem dignitatis meriti. Si primo modo accipiantur opera formata, ſic vtiquè ad opera formata obligant, obligant enim ad vitandum omnia peccata mortalia; Si alio modo dicantur opera formata, ſic accipiuntur propriè, & tunc diſtinguendum eſt. Eſt enim Obligatio abſoluta, & Obligatio conditionalis; Obligatio abſoluta eſt, qua quis ſimpliciter ad aliquid faciendum obligatur, ità quòd, ſi illud non facit, incurrat ommiſſionis reatum; Obligatio verò conditionalis eſt, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, ſi vult peruenire ad præmium, & hæc obligatio in eo, qui ommictit, non inducit ommiſſionis peccatum, ſed ponit implicitè conditionis defectum; Si igitur loquamur de obligatione conditionali, mandata Decalogi obligant ad opera formata, Si quis enim vult ad vitam ingredi, neceſſe eſt, ex charitate ſeruare mandata, quæ quidem charitas eſt meriti principium; Si autem loquamur de obligatione abſoluta, tunc diſtinguendum eſt in ipſis mandatis, quòd dupliciter contienit de eis loqui. Aut de eis in vnum collectis, prout habent reduci ad mandata duo charitatis; Aut de quolibet per ſe ſigillatim; Si de eis collectis in vnum, cum igitur contineatur regula iuſtitiæ, ſecundùm ordinem ad Deum, & ad proximum per quem excluditur omne peccatum, cõcedi poteſt, quòd obligant ad aliquod opus formatum, vel in ſe, ſi homo habet, vndè poſ-

C

A

ſit in illud exire, vel in diſpoſitione, ſiue pręparatione, ſi non habet, vndè poſſit in illud exire ad illud; Tenetur enim homo, ſic mandata Decalogi implere, vt per ipſorum impletionem, præparet locum ipſi gratiæ, qua obtenta; exeat, cum locus, & tempus eſt, in opera meritoria, adimplendo duo Charitatis præcepta. Si autem loquamur de quolibet ſingillatim, & per ſe, ſic accipiendo propriè opus formatum, hoc eſt, opus meritoriũ, & loquendo de obligatione abſoluta, mandata Decalogi non obligant ad opera formata. Hec D. Bonauent.

D. Hyeron. Anathema ſit (inquit) qui dicit, Deum præcepiſſe impoſſibilia. Cum ergo pręcepta illa obligent tàm iuſtos, quàm peccatores, & in poteſtate peccatoris non ſit informare opera ſua, cũ illud habeat fieri per charitatem, & gratiam; videtur, quòd nemo ad hoc obligetur per diuina mandata. *S. Hieron.*

D. inſuper Auguſt. Declinare (ait) à malo ſemper vitat pœnam, quãuis non ſemper promæreatur palmam, Sed declinando à malo obſeruantur præcepta negatiua, Ergo nõ videtur, quòd obligẽt ad opera formata.

B

De Cauſa excuſante ab impletione, & tranſgreſsione Præcepti. Cap. VI.

SVpponitur, Præcepta non poſſe impleri, niſi per actus humanos, de quibus alibi. Pro nunc ſatis ſit tangere tantillùm, & primò,

Quòd actio humana, ſiuè actus humanus eſt actio hominis deliberata, ſiuè actio promanans ex ratione deliberata, quæ, ſcilicet, originem habet ex libera voluntate hominis; Eſt illa actio, quę conuenit homini, quatenùs homo eſt, cuius homo dominus eſt, & quæ ex libera hominis voluntate proficiſcitur.

C

Secundò. Quòd libertas dicitur quadupliciter. Primò, qua quis eſt liber à peccato. Secundò, qua quis eſt liber à miſeria, & pœna. Tertiò, à violentia. Quartò, à neceſſitate. De prima dicitur Secunda ad Cor. 3. num. vlt. Vbi ſpiritus domini, ibi libertas. Et Io: 8. num. 36. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. De ſecunda, ad Rom. 8. num. 21. Ipſa cretura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem glorię filiorum Dei. Tertia; ſcilicet libertas à violentia, eſt quidquid in agendo vim extrinſecùs illatam non patitur. Quarta eſt, cum non ex neceſſitate naturæ operatur quis, ſed ex rationis, & voluntatis facultate ſic agit, vt poſſit non agere. *2. Cor. 3.* *Ioannes.* *Ad Rom. 8.*

Prima

A Prima libertas, qua, ſcilicet, quis eſt liber à peccato, natura ſua vni tantùm Deo congruit, quoniam Deus ſolus eſt per naturam bonus, & peccare nullo modo poteſt. Secundò, Chriſtus etiam quatenùs homo eſt, abſolutam habet à peccato libertatem. Tertiò, Beati Spiritus ex vi gratię pleniſſimæ, & beatitudinis, quam Dei beneficio conſecuti ſunt, peccare non poſſunt, quoniam eadem ratione Deum neceſſariò diligunt. Quartò, Beatiſſima virgo, Apoſtoli, & Comfirmati in bono, & gratia diuina, dum in hac vita mortali degunt, peculiari, & ſingulari Dei prouidentiæ munere, per totùm huius vitę curſum, ità ſuauiter ducuntur, & diriguntur, vt à bono, numquàm grauiter, vel leuiter peccantes, aut ſaltem grauiter, aberrent, & excidant.

Secunda libertas, ſcilicet, à miſeria, eſt in Beatis in patria; Erat in Adamo ante lapſum, ità tamen, vt eam ammittere potuerit, ſicut & reuera de facto per peccatum ammiſit.

Tertia eſt in omnibus ijs, quę inuitè non fiunt, ſiue ea libertas proficiſcatur ex voluntate, ſiue ex neceſſitate, quia natura, dum naturali propẽ-

B ſione mouetur, vim non patitur. Dicitur itaq; iſta libertas, libertas naturę, quæ eſt immunis à violentia; Sicut Secunda dicitur libertas glorię, quę expers eſt, & neſcia omnis miſerię; Et Prima dicitur libertas gratiæ, qua liberi ſumus à peccato.

Quarta libertas, ſcilicet à neceſſitate, in hoc ſita eſt, vt ea Cauſa dicatur liberè agere, quæ poſitis omnibus in agendo, ſiue ad agendum requiſitis, ità operatur, vt abſq; vlla varietate, & mutatione in ſe, vel in altero facta, poſſit agere, & non agere. Dicendum ergo, quòd libertas in hoc conſiſtit, vt, cum quidpiam liberè agimus, poſſimus ab actione deſiſtere; Similiter etiam, antequàm quidpiam agamus, ſumus liberi, quòd in noſtra poteſtate ſit illud agere, aut non agere, & cum agimus, poſſumus ab agendo deſiſtere.

C Peccandi poteſtas, nõ eſt libertas, nec pars libertatis. D. Anſel. Quàmuis autem hoc verum ſit, nihilòminùs tamen, peccatum commictitur libera voluntate hominis. D. Anſelmus ſæpè accipit libertatem, non ſolùm pro èa, qua quis eſt liber à violentia, & neceſſitate, ſed etiam pro libertate, qua liberi ſumus à peccato, & miſeria; Qui ergo peccare non poſſunt, magis ſunt liberi, quia quadruplici libertate prædíti, nimirum, à violentia, à neceſſitate, à miſeria, à peccato, vt Deus, Chriſtus, & Beati; Sed qui peccare poſſunt, liberi quidem ſunt à violentia, & à neceſſitate, non à miſeria, & peccato.

S. Anſelm.

Voluntarium eſt id, quod nec vi, nec ingnorantia geritur, vndè voluntarium eſt, quod quiſq; ſciens agit. In naturis intellectualibus idem eſt liberum,

Digitized by Google

berum, & voluntarium; ità quòd liberè fieri dicitur, quod voluntate cum cognitione intellectus fit. Scotus Quodlib. 16. art. 2. & 3. Vndè Deus etiam, cum ſe ipſum diligit, liberè ſe diligit, & Pater, & Filius liberè producunt Spiritum ſanctum, Beati liberè Deum diligunt, & Deus liberè diligit in creaturis non ſolùm id, quo exiſtunt, ſed etiam id, quod per ſuam naturam ſunt, quoniam libertas ſtat cum neceſſitate, & quàmuis in prędictis omnibus ſit neceſſitas, eſt tamen libertas; Sed diſtinguitur libertas ſolùm à violentia, & natura agente citrà intellectus cognitionem. Sanctus autem Thom. p. p. q. 41. art. 2. & 3. vult quòd libertas diſtinguatur non ſolùm à vi, & natura abſq; cognitione operante, ſed etiam à neceſſitate. A

Dicitur autem voluntarium de re obiecta, de actu, & de effectu ex actu proficiſcente. Res, quam appetitus cum cognitione proſequitur, voluntaria dicitur. Voluntarius dicitur actus, quo ſcienter aliquid appetimus. Commodum, vel incommodum, & damnum ex voluntario actu profectum voluntarium dicitur. B

Duplex pręterea voluntarium datur; Aliud, quod fit voluntate propria; Aliud voluntate aliena, & hoc multipliciter. Primò, vt ſi .N. ſpontè ſua, transferat conſenſum ſuum in. A. ità vt, quod. A. nomine .N. geſſerit, voluntate ipſius. N. geſtum habeatur, & hoc modo voluntas mandantis, transfunditur in mandatarium, & voluntas conſtituentis procuratorem ad omnia, vel certa negocia, & cauſas, traducitur in conſtitutũ procuratorē. Secũdò, Auctoritate Iuris, vel Iudicis voluntas vnius cenſetur voluntas alterius tamquàm in ipſum translata, hoc modo tutorum voluntas eſt pupillorum, & curatorum conſenſus eſt minorum, in adminiſtratione bonorum. Tertiò, Vnius voluntas reputatur alterius, quia vnus continetur in alio, tamquàm ſub eius poteſtate, & iure conſtitutus, hoc modo infantium, & perpetuò amentium, cum propria voluntas non ſit, voluntas parentum habetur voluntas eorum in ijs, quę pertinent ad ſalutem ipſorum, ſiue animę, ſiue corporis, eodem modo voluntas dominorum in multis exiſtimatur ſeruorum voluntas. Quartò, quando vnus continetur in alio, & is, qui continet alium ex inſtitutione, vel pacto accipit aliquid ſibi, & alteri ſub ſe contento, tunc voluntas continentis, cenſetur voluntas contenti; Hoc modo, peccatum originis eſt voluntarium in poſteris Adæ. Exemplum. Si Rex donet caſtrum, vel priuilegium concedat .N. eo pacto, vt accipiat ſibi, & poſteris, voluntas .N. ex pacto, vel inſtitutione, iudicatur voluntas poſterorum, ità vt, ſi priuilegium conceſſum conſeruet, aut perdat, cenſeatur ſibi, & poſteris perdere, aut retinere, & conſeruare. Ita Adam. C

Vlte-

A Vlteriùs etiam Voluntarium duplex eſt, Aliud dicitur voluntariũ in ſe; Aliud dicitur voluntariũ in alio, ſiue ſit ſermo de re obiecta, ſiue de effectu; Res obiecta in ſe voluntaria dicitur, quam per ſe voluntas appetit; Effectus voluntarius in ſe dicitur, quem voluntas proxima producit; Obiectum tunc eſt voluntarium in alio, quando voluntas, non per ſe id proſequitur, & appetit, ſed ex hoc, quòd vult aliud; Sic in toto volumus partem, in cauſa effectum eius neceſſarium; Item, cum volumus id, quod antecedit, volumus etiam, quod non aliundè, aut ex accidenti conſequitur, ſed neceſſariò ſequitur ex antecedenti; Effectus dicitur voluntarius in alio, quando ex hoc, quòd quippiam voluntate facimus, aliquod aliud efficitur, & ſequitur, vt, ſi ex effectu noſtro damnum aliquod in alterum redundet.

Voluntarium adhuc duplex dici poteſt. Aliud dicitur, directè voluntarium, Aliud indirectè. Directè voluntarium dicitur, quod per ſe volumus; Indirectè verò, quod, cum facere debeamus, non facimus, cum tamen id præſtare poſſimus.

B Tandem, Voluntarium dupliciter ſumitur, Aliud expreſsè; Aliud tacitè. Tacitè voluntarium ſolet dici voluntarium iuris fictione, ſiue interpretatione rationis; Expreſsè dicitur, verè, & propriè re ipſa voluntarium.

His ſuppoſitis, & obſeruatis ad clariorem huius capitis dilucidationem proponitur.

Articulus Primus.

Vtrum detur, vel dari poſsit cauſa excuſans ab impletione, & tranſgreſsione Præcepti.

C Cum præcepta moralia ſint de actibus virtutum, & actus humani non poſſint eſſe virtuoſi, niſi fiant debito modo; Modus autem virtutis ex Philoſopho Secundo Eth. conſiſtat in tribus, Primò, vt homo operans operetur ſciens, quia per illud, quod quis facit omninò neſciens ſe illud facere, non meretur præmium, nec pænam. Secundò, vt operetur volens, vel eligens, in quo importatur duplex motus, interior, ſcilicet, voluntatis, & intentionis, & exterior in opere. Tertiò, vt operetur firmiter, & immobiliter, ſcilicet, cum propoſito, & deliberatione. In his igitur tribus conſiſtit modus virtutis, Scientia, videlicet, Voluntate, & Deliberatione.

2. Ethic.

Modus Virtutis in quo conſiſtat.

Ex

Ex hoc Reſpondetur ad quęſitum huius Articuli affirmatiuè ponendo hanc Concluſionem. A

Datur, ſiue dari poteſt cauſa excuſans à tranſgreſſione Præcepti. Quæ Concluſio ſigillatim probanda eſt in ſequentibus. §§. Multa enim ſunt, quæ excuſare poſſunt à tranſgreſſione præcepti, ſed inter alia, Ignorantia contrà primum requiſitum, quod, dictum eſt, eſſe Scientiam. Timor, ſiue metus contrà ſecundùm, quod, vt dictum eſt, eſt Voluntas, & Intentio operandi, quia timor, ſiue metus poteſt reddere actum inuoluntarium. Inaduertentia, & obliuio contrà tertium, quod eſt Deliberatio. Quoniam verò de Ignorantia generaliter, ſatis ſuprà dictum eſt in Tractatu de peccato, iccircò, quantùm ad hoc nonnulla ſolùm tangemus de pueris, amentibus, ebrijs, & infidelibus in ſequenti §.

Tria, quæ potiſsimum excuſant quænam?

B

§ Primus. Vtrum Pueri, Amentes, Infideles, & Ebrij excuſentur propter ignorantiam ab impletione Præcepti.

PRO reſolutione, breuiter præmittendum eſt, quòd, Aliud eſt non obligari lege; Aliud eſt, à legis tranſgreſſione excuſari; Nàm vnuſquiſq; obligatur lege iuſta ſufficienter promulgata. Hac ſtante diſtinctione.

Dico primò. Quò ad Pueros. Pueri ante vſum rationis nulla lege obligari poſſunt nec Diuina, nec humana.

Dico ſecundò. Pueri, qui ad vſum rationis peruenerunt, tenentur legibus Eccleſiæ, præter Ieiunij, & Euchariſtiæ. Vbi Not. quòd Pueri ante duodecimum annum ommittentes annuam confeſſionem, non ſunt puniendi pœnis ſtatutis in Cap. Omnis vtriuſq; ſexus. 12. in ord. tit. de Pœnis, & Remiſſ. quia non priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, nec arcentur ab ingreſſu Eccleſiæ, nec ſunt excommunicandi. Pueri tamen doli capaces percutientes clericos incurrunt excommunicationem ex Cap. Pueris. De ſent. excommunicat; & ſi alium occidant, fiunt irregulares, & ſi populo interdictum ſit intereſſe ſacris, compræhenduntur etiam Pueri doli capaces, non autem doli non capaces, & amentes.

C

Cap. omnis vtriuſq; ſexus.

Cap. Pueris de ſent. excomm.

Dico tertiò. Pueri nondùm vſum rationis adepti poſſunt licitè veſci lacticinijs, & carnibus, quibuſcumq; diebus.

Dico quartò. Pueri carentes vſu rationis poſſunt aſſiſtere diuinis in loco interdicto, non poſſunt tamen tempore interdicti ſepeliri in loco ſacro, ſiue infantes ſint, ſiue amentes.

Dico quinto. Pueris ante ſeptemnium in dubio, an gaudeant vſu rationis,

A licent ea, quæ licent ante vſum rationis, non autem licent; ſi ſeptemnes ſint, quia cum vſus rationis ſeptemnio completo communiter adueniat, non præſumitur ante id tempus, ſecus poſt; Vndè Pueri ſeptemnes in dubio vſus rationis, tenentur ex Eccleſiæ precepto confiteri; Nondùm ſeptemnes, ſi fortè vſum rationis habeant, & peccato mortali infecti ſint, tenentur iure diuino confiteri in articulo mortis ob periculum mortis æternæ.

Quòad Amentes dicendum eſt, Quòd Amentes, ſiue qui aliquandò ſui compotes fuerunt, ſiue perpetuò amentes tenentur legibus & diuinis, & humanis ex ea ætate, qua vſus rationis accidere ſolet; Verùm à tranſgreſſione, & pœna legis excuſantur.

Quòad Infideles dicendum eſt, Quòd nullis Eccleſiæ legibus tenentur, tenentur benè diuinis; Ideò in diebus ieiuniorum poſſunt ipſis apponi cibi vetiti, & eadem ratione poſſunt dari Cathecumenis ante Baptiſmũ,

B ac etiam amentibus.

Quantùm verò ad Ebrios dicendum eſt, Quòd Ebrijs non omnia peccata commiſſa in ebrietate imputantur, ſed ſola præuiſa, vel quæ preuideri potuerunt, & debuerunt. Tunc autem cenſentur præuiſa, cum aliquis expertus eſt, quòd ebrietatis tempore, vel illa peccata in ſpecie, vt detractionem, &c. Vel in genere, vt peccata linguę, perpetrat, Vel nouit in communi, ſe peccata commictere. Tunc debent preuideri, cum ebrius expertus eſt, quòd ſuę inclinationes eò ampliùs ad peccata pronę ſunt, quò magis inebriatur; Quòd, ſi numquàm expertus ſit, dicunt, quòd is debuit præuidere peccata, ab alijs ebrijs perpetrari ſolita, etſi non omnes ea commictant. Caietanus 2. 2. q. 150. art. 4. ibi, Ad horum euidentiam. Clauis Regia l. 2. cap. 19. n. 42.

Caietanus. Clau. Regia.

Obſeruandum eſt tamen, quòd, ſi euentus ſolent eſſe frequentes ei, qui inebriatur, hoc poteſt eſſe dupliciter; Vel enim tempore, quo inebriari voluit non habuit prorsùs vllam dubitationem, aut cogitationem de illis nec in ſpecie, nec in genere; Et ſi ſic, non imputantur, quia procedunt

C ex quadam inaduertentia naturali, & ità nec in ſe, nec in ſua cauſa liberi ſunt. Vel, cum inebriari voluit, aduertit peccata, & pericula indè conſurgentia; Et ſi ſic, tunc imputantur, ſi non adhibeat prudentem, & cautam diligentiam, ne aliquod illorum eueniat, ea autem adhibita, etiam ſi poſtea eueniant, non imputantur.

Inſuper obſeruandum eſt, quòd huiuſmodi peccata, ante ebrietatem, uel ſomnum, aut, quando vitari poterant, præuiſa, inducunt irregularitatem, excõmunicationem, & reſtituendi obligationem, perindè ac, ſi in vigilia liberè contigiſſent; Quod verum eſt, etiam ſi voluntas illa prior ſit

per

per pænitentiam interrupta, nec iàm actus vitari poſſit, quia ad hęc incurrenda ſufficit, illis liberam cauſam dediſſe, & effectum eſſe ſubſecutũ. Aliter verò dicendum eſt in peccatis otis, puta, ſi excommunicatio lata eſſet in periurum, non ſufficit volitum in ſola cauſa, nempè vſu iurandi inaduertente, ſed requiritur, quòd ſit in ſe volitum. A

Vltimò obſeruandum eſt, quòd plurima ebriorum dicta, vel facta ex ſe iniqua, non reputantur culpabilia, etiam ſi præuideantur, quia vel nullum damnum inferunt, & in ebrietate commiſſa carent prorsùs ratione malitiæ, quam habent mente ſana facta, vt verba, vel facta contumelioſa, quia iſta ebrietatis tempore in communi hominum æſtimatione non reputantur contumelioſa, ſed tamquàm facetiæ admittuntur, ita vt illimet, aduerſus quos dicuntur, vel fiunt, non ſolùm non accipiant, vt contumelioſa, nec ad iram excitentur, ſed potiùs oblectentur, & rideant; Quæ autem damnum inferunt proximo, imputantur, ſi præuiſa ſint, quia nõ minùs lædunt in ebrietate, quàm commiſſa tempore ſanę mentis. Blaſphemiæ verò, periuria, infidelitas, ſi in cauſa ſint præuiſa, & libera, imputantur, quia Deus non acceptat eas, vt facetias. B

§ 2. *Quid, & quotuplex ſit Metus.*

Metus eſt inſtantis periculi, vel futuri causà mentis trepidatio; Quia non periculi remoti, ſed imminentis, vel veriſimiliter mox futuri iuſta formido eſt. l. 2. ff. de eo, quod metus cauſa geſtum eſt. *L. 2. ff. de eo.*

Secundùm Philoſophos, Metus eſt animi perturbatio proueniens ex cogitatione, ſeù prętenſione mali vel imminẽtis, vel probabiliter venturi;

Diuiditur autem Metus quadrupliciter. Primo Metus eſt duplex. Iuſtus, & non Iuſtus. Secundò, Probabilis, & non Probabilis. Tertiò, Leuis, vel vanus, & Grauis. Quartò Cadens in conſtantem virum, & non Cadens. Verùm Metus Iuſtus, Probabilis, Grauis, & Cadens in conſtantem virum, eſt quidem re vnus, & idem, diuerſis tamen nominibus dictus. C

Dicitur enim iuſtus, quia eum ſcripta iura, & leges excuſant, quàmuis contra ea, ſcilicet iura, quidpiam agatur; Dicitur probabilis, quia eum eadem iura, & leges approbant; Dicitur grauis, quia eſt alicuius magni periculi inſtantis, vel futuri formido; Dicitur cadens in conſtantem virum, quia eum habere ſolent viri conſtantes, & fortes, licèt ſcripta iura, & leges non ſeruent; Ad hunc ſenſum per huiuſmodi Metum, vir quiſpiam ſcriptum ius ommictens, & tranſgrediens non ammictit meritum, & laudem ſuæ conſtantiæ, & fortitudinis, Vel, non deſinit eſſe vir

Digitized by Google

A conſtans, & fortis, quàmuis leges, & iura ſcripta non ſeruet; Talis metus eſt is, quo aliquis patitur iniuriam minorem, vel iacturam minoris boni, vt vitet iniuriam maiorem, vel in maiori bono detrimentum, & damnum. Exemplum. Subſtinet quis infamiam, vel contumeliam, aut bonorum iacturam, ne mortem, & pęnam capitis ſubire cogatur; Sic etiam proijcit merces in mare, ne paſſus naufragium, intereat; Offert peregrinus pecunias latroni veritus vincula, verbera, mortem; Pari modo ſinit quis, ſe interimi, ne aliquod peccatum admictat, quia deterius eſt peccatum, quàm quodcumq; aliud corporis incommodum.

Quæ requirũtur ad metũ in uirum cõſtantem cadentem.

Quinque autem requiruntur, vt metus cadat in conſtantem virum; Primum, vt malum, quod timetur, ſit graue; Secundum, vt æſtimatio mali, quod timetur, ſit fortis, ideſt, vt timens probabiliter, & rationabiliter credat, malum illud ſibi imminere, non vanè, & leuiter; Tertium, vt metum incutiens, potens ſit minas executioni mandare, vel vt timens, B rationabiliter æxiſtimet, poſſe eum mandare minas executioni, quàmuis de facto verè non poſſit ob aliquam rationem timenti incognitam; Th.

Sanchez.

Sanchez l. 4. diſp. 1. De Conſenſu coacto; Quartum, vt metum incutiens minas exequi ſolitus ſit; Quintum, vt non poſſit facilè occurrere malis, quæ timentur.

Metu iuſto hæc timẽtur Mors corporalis. Cruciatus corporis. Abſciſſio membri. Ammiſſio libertatis.

Mala verò quæ metu iuſto, & cadente, in conſtantem virum metuuntur, ſunt, Metus mortis corporalis C. Sacris. De ijs, quæ vi, metuſue cauſa geſta ſunt; Metus cruciatus corporis vel abſciſſionis membri corporalis l. Si per vim; Ammiſſio libertatis propter captiuitatẽ, vel ſeruitutem; Verbera, Carceres, Struprum, quo virginalis integritas violetur, & ammictatur, Ammiſſio bonorũ temporalium (Quia huiuſmodi bona ſunt neceſſaria ad vitæ conſeruationem) Infamia, vel Dedecus; Tunc autem infamiæ metus eſt iuſtus, quando timetur infamia iuris, non autem infamia facti, vt, ſi in delicto depræhenſus teneatur incluſus, & alligatus, donec promictat aliquid, ne prodito crimine, & ad Iudicem delato famam C ammictat, & iuris infamiam incurrat, iuſtus eſt metus.

Verbera. Carceres. Struprum. Bonorum ammiſſio. Infamia.

Animaduertendum eſt tamen, quòd metus, qui per mala ſupradicta incutitur, tunc tantùm eſt iuſtus, quando prædictorum malorum periculum vitari non poteſt, aut certè, non niſi cum difficultate; Si verò prædicta mala caueri commodè poterunt, & declinari, metus iuſtus non erit. Item, Iuſtus erit metus, ſi aliquod prædictorum malorum immineat, vel propriæ perſonæ vel filiorum, aut Vxoris, & charorum.

In iure autem diuiditur Metus in quinque ſpecies. Primus dicitur metus concuſſiuus, vt metus minarum, Secundus dicitur facti, & dicitur incuſſiuus, cum interueniunt verbera, & carceres, & oritur ex periculo præ-

ſentis

Digitized by Google

ſentis mali, aut probabiliter proximè futuri. Tertiùs dicitur compulſiuus, A
& eſt metus potentiæ, & hic incutitur ſubditis à Principe, Magiſtratu, aut alia Superiori Poteſtate. Quartus dicitur metus reuerentialis, & hoc, libertus timet patronum, filius Patrem, Vxor maritum, Clericus Epiſcopum, Regularis ſuum prælatum. Quintus dicitur metus perfidiæ, & eſt, cum aliquis ad quidpiam agendum permouetur, quia timet alicuius perfidiam ſibi, vel ſuis graue damnum allaturam, veluti, ſi infirmus rogatus à medico, vt donet, vel vendat ei fundum inter medendum, id faciat ex timore, quem habet, ne medicus, ſibi medicamenta contraria porrigat.

Videatur Scotus in 4. Sent. diſt. 29. quæſt. Vnica art. 1. & 2. Vtrum conſenſus coactus ſufficiat ad contrahendum matrimonium? *Scotus.*

§ 3. *Vtrum Metus mortis, aut alterius grauis damni excuſet à tranſgreſſione praeceptorum iuris poſitiui humani?*

B

Doctores ſunt pro vtraq; parte. Pro parte negatiua facit text. cap. Sacris. De ijs, quæ vi, metuùe cauſa fiunt. Vbi dicit Summus Pontifex Innocentius III. Diſtinguimus autem, Vtrum is, qui communicat cum excommunicatis inuitus, ſit per coactionē adſtrictus, aut per metum inductus; In primo caſu, non credimus excommunicatione teneri, cum magis pati, quàm agere conuincatur; In Secundo, licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsùs excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari. *Cap. Sacris. de ijs, quæ vi, metuſue cauſas fiunt.*

Pro parte Affirmatiua ſunt Doctores, & rationes. Azorius p. p. l. 4. cap. 11. q. 1. Vbi multos Doctores adducit.

Prima ratio. Si quis fame pereat, & graui inædia laboret, poteſt cibum quærere inter homines anathemate affectos, inter excōmunicatos. *Prima Ratio* C

Secunda. Nos poſſumus alimenta miniſtrare excommunicato famę percunti, & eſt ſermo de excommunicato non tolerato. *Secunda.*

Tertiò. Qui occulto excommunicationis vinculo tenetur, vel eſt occulta irregularitate affectus, poteſt tuta conſcientia ſemel, atq; iterùm Miſſæ Sacrificium facere, vt manifeſtum, vel probabile mortis periculū, aut notabilis infamiæ notam euadat. Nau. in man. cap. 27. nu. 239. *Tertia.* *Nauarrus.*

Addo, quòd licèt præcepta, & leges humanæ poſſint præcipere aliquid, quod ſit cum mortis periculo coniunctum ob ſalutem, & bonum commune ſeruandum, non tamen ſemper huiuſmodi obligationes imponunt. Siluester, & alij. *Siluester.*

D. Th.

A D. Thom. quol. 11. art. 13. Ad tertium, & in Addit. q. 23. art. 3. Ad primum dicendum eſt, quòd Decretalis illa, cap. Sacris, loquitur de
D. Thomas. participatione in Diuinis. Vel dicendum, quòd ſimilis ratio eſt de peccato mortali, & veniali, quantùm adhoc, quòd ſicut peccatum mortale non poteſt benè fieri, ita, nec veniale, & ideo, ſicut homo debet priùs ſubſtinere mortem, quàm peccet mortaliter, ita etiam, quàm peccet venialiter (quia peccatum, in quantùm peccatum nunquàm eſt eligibile) illo modo debiti, quo debet venialia vitare. Hęc D. Thomas, & in dicto Quodl. habet, Quòd non ſolùm quis debet ſubire mortem, antequàm peccet mortaliter, ſed etiam antequàm peccet venialiter, quia peccatum in quantũ in peccatum, nunquàm eſt eligibile.

Ad illud inſuper idem Cap. Sacris. Dicendum eſt, quòd ideò Pontifex negat, metum mortis, iuſtam excuſationem afferre, quoniam conuictus, & ſocietas erat cum excommunicato in crimine, ob quod excommunicationis vinculo tenebatur, quod non eſt peccatum contra legem humanam, ſed contra legem naturalem; Et quia eiuſmodi cum excommunicato commercium erat in contemptum Eccleſiaſticæ cenſurę.

B Vndè dicere poſſumus, quòd illi de prima opinione nihil aliud docere volunt, niſi quòd oportet, nos potiùs mortem ſubire, quàm Eccleſiæ legem, aut pręceptum violare, ſiquis nobis mortem comminetur, quia vult, vt Eccleſiæ leges, & præcepta contemnamus.

Tenendum ergo in hac re affirmatiuè cum ſecunda opinione.

§ 4. *Vtrum Metus mortis excuſet peccata, quæ committuntur contra legem Diuinam poſitiuam?*

IN hoc etiam ſunt Doctores pro vtraque parte, dicendum eſt tamen.
C Primò, quòd metu mortis ſępè excuſantur mala, quæ committuntur contra legem diuinam ſcriptam. Patet exemplis Sacrę Scripturæ 1. Reg.
P. Reg. 21. 21. de Dauid, qui, ne vnà cum ſociis fame periret comedit panes Propoſitionis, quod erat laicis lege Diuina interdictum, & Chriſtus hoc factum
Matth. Dauidis non reprænhendit, immò videtur approbare, Matth. 12. in prin-
P. Mach. 2. cipio. Et 1. Machab. cap. 2. de Mathathia, qui pugnauit Sabbato contra hoſtes, neceſſitate compulſus.

Hoc tamen verum eſt, quotieſcumq; violatio Diuini præcepti non eſt cum contemptu ipſius præcepti, aut fidei; & Religionis, aut cum detrimento, & offenſione aliorum; Nam, ſi talis violatio eſſet cum contemptu huiuſmodi, tunc nullus metus, etiam mortis, excuſaret, & hac ratione mortem elegerunt Machabæi illi fratres inuicti, & intrepidi, quia

Digitized by Google

ob contemptum Diuinæ legis compellebantur ab iniquo, & impio Rege, veſci carnibus porcinis, & Eleazarus. A

Secundò dicendum eſt, quòd quandocumq; ob ſalutem, & bonum aliorũ neceſſe eſt præcepta Diuinæ legis implere, tunc quoque nullus metus, etiam mortis, excuſat. Et ideo peſte ſæuiente, aut naufragio, aut bello, vel fame præmente, non excuſantur paſtores, ſi metu mortis greges ſibi commiſſos deſtituant. Item, ſi paruulus vita periclitetur, nec ſit alius, qui poſſit ei Baptiſma conferre, debeo illum baptizare, etiam ſi alius mihi mortem minetur, ne paruulus ille ſine baptiſmo decedens damnetur.

Tertiò dicendum eſt, quod ſæpè præcepta Diuina ſeruare debemus, etiam cum periculo mortis, quando id eſt neceſſarium remedium ad ſalutem noſtram, veluti, ſi Diuinum præceptum confitendi peccata, vel Baptiſmum ſuſcipiendi inſtet, ſuſcipere, ipſo iure cogimur, quàmuis Tyrannus minetur mortem, quia huiuſmodi Sacramenta ſunt Diuinitùs inſtituta, & præcepta, vt neceſſaria ad ſalutem ſempiternam. B

§ 5. *Vtrum Metus mortis liberet nos ab obligatione bonorum, quæ iure naturali, vel Diuino præſtare deberemus?*

Breuiter dicam quòd vtraq; pars habet pro ſe rationes, negatiua tamen videtur tenenda, quia huiuſmodi leges, iura, & præcepta nos tenent vbi, quando, & ſicut oportet, hoc eſt, poſitis omnibus circumſtantijs adiunctis, quas recta ratio præſcribit.

Articulus Secundus.

Vtrum Diſpenſatio excuſet à tranſgreſsione Præceptorum. C

Diſpenſatio, Interpretatio, Derogatio, Abrogatio, Irritatio, Relaxatio Legis idem non ſunt, ſed inter ſe differunt. Sanchez de Matri. l. 8. diſp. p. num. 1. Nàm Diſpenſare eſt aliquem à lege eximere caſu, quo ad illam tenebatur, petitq; ſolùm diſpenſatio cauſam iuſtam adeſſe, quæ meritò anſam prebeat, vt per gratiam, & diſpenſationem relaxetur legis obligatio, qua relaxatione ſecluſa, verè lex in eo euentu obligaret; Interpretare eſt declarare, eam vi obligandi carere in tali euen- *Sanchez.*

tu,

Digitized by Google

A tu, Vndè petit interpretatio, eum caſum occurrere, vt in eo ceſſet omninò legis vis, & obligatio; Derogare eſt ex parte legem tollere; Abrogare eſt, legem omninò tollere, & poſtquàm obligandi vim obtinuit, eam omninò caſſare; Irritare eſt, legem impedire, & caſſare, ne robur obligandi conſequatur; Relaxare eſt, legis rigorem remictere, & mitigare.

Differunt etiam Diſpenſatio, & Priuilegium, Quia diſpenſatio requirit cauſam, & cauſam iuſtam; Priuilegium ſine cauſa concedi poteſt. Vndè Diſpenſatio ſine cauſæ cognitione facta eſt valida, ſed non licita; Et addit *Nauarrus.* Nauar. Prælud. 9. n. 13. Quòd Diſpenſatio iuſta eſt ea diſpenſatio, quæ valet ipſo iure, licèt non ſit iuſtè facta. Aliquando tamen Diſpenſatio *Cap. Quintauall. de Iureiurando.* impropriè ſumitur pro iuris declaratione. Cap. Quintauallis. De Iureiurando. Ità quòd ex his omnibus deduci poteſt talis Diſpenſationis propriè ſumptæ diffinitio. *Diſpenſatio eſt iuris relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt relaxare.*

Cauſa iuſta (vt aliàs dictum eſt) à peccato mortali excuſat, & illa eſt cauſa iuſta, propter quàm legislator, ſi adeſſet, eum pro excuſato haberet; Ratio, quia rationabilis cauſa ſemper excuſat. Nauar. vbi ſupra, B numero 16. Et ratio communis Theologorum, & Canoniſtarum eſt, Quia omnis lex humana eſt iuſta, cum deſcendit à lege diuina, ſicut concluſiones practicę, à principijs practicis, vel quæ concordat legi diuinę, vel *Scotus.* ad minus ab illa non diſcordat. Scotus in 4. d. 15. q. 3. ex D. Auguſt. lib. *S. Auguſt.* p. de liber. Arbitr. Tunc autem eſt conformis legi diuinę, quando ordinatur ad communem hominum ſalutem, & lex, quæ caret hoc, vim ob- *D. Thom.* ligandi non habet ex D. Thoma p. 2. q. 96. art. 6. Contingit autem in aliquo caſu particulari, aliquā cauſam, quę efficeret obſeruantiā legis cędere in damnum publicum, ideò illa cauſa excuſat ab obſeruantia legis. Exemplum. Lex ſtatuit, vt in Ciuitate obſeſſa portæ Ciuitatis clauſę maneant, ſi tamen contingat, quòd hoſtes inſequantur aliquos ciues, per C quos Ciuitas conſeruatur, damnoſiſſimum eſſet, ſi illæ portæ non aperirentur. Ex his itaq; præmiſſis patet

Reſponſio affirmatiua ad Quæſitum huius Articuli, quòd Diſpenſatio excuſat à tranſgræſſione Pręceptorum.

Animaduertendum eſt tamen, Quòd ſi Diſpenſatio ſit in iure diuino, naturali, vt in Voto, abſq; legittima cauſa peccabit concedens, & is, cum quo diſpenſatur, ſi ea vtatur, ſi conſcius ſit defectus cauſæ, & ipſa Diſpen- *Nullitatis diſpenſationis prima cauſa.* ſatio erit nulla, ac proindè nullatenùs excuſabit à tranſgræſſione præcepti; Sicut œconomus contra domini voluntatem bona diſſipans, non transfert dominium, vtpotè, qui ſola adminiſtrandi poteſtate fungitur iuxtà domini beneplacitum iure optimo præſumptum; Quia poteſtas Præ-

lati

Digitized by Google

lati ſpiritualis (inquit) D.Th.2.2.q.88.art.12.ad.2. qui non eſt dominus, ſed diſpenſator, in ædificationem data eſt, & non in deſtructionem Secunda Cor. 10.num.8. Et ſicut Prælatus non poteſt imperare ea, quę ſecundùm ſe Deo diſplicent, ſcilicet, peccata, ità non poteſt prohibere ea, quæ ſecundùm ſe Deo placent, ſcilicet virtutis opera. A S. Thom. 2.Cor. 10.

Erit etiam nulla Diſpenſatio, ſi inferior diſpenſet in lege humana Superioris abſq; legitima cauſa. Secunda cauſa.

Diſpenſans autem in lege propria abſq; legitima cauſa, peccat, & ſi ſcandalum graue, aut notabile damnum aliorum indè ſequatur, peccabit mortaliter; At Diſpenſatio erit valida, & excuſabit à legis tranſgreſſione Sanchez lib. 8. de Matrim. Diſp.17. & lib.1. de legibus diſp.20. ſect.4. Sanchez.

§ Primus. *Vtrum Papa relaxare iure poſſit Leges Apoſtolicas,*

Ideſt. B

Vtrum poſſit aliquos ſoluere Legibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, quales ſunt Baptiſma paruulorum, Cultus ſacrarum immaginum, Vſus cælibatus Sacerdotum, Quadragenarium ieiunium ante Paſca Reſurrectionis, Inter Paſcha, & Pentecoſtem in præcationibus genu non flectere, Eodem tempore non ieiunare?

PRo ſolutione quæſiti obſeruandum eſt, quòd Apoſtoli nonnulla tradiderunt, vel conſtituerunt, primò quidem, vt Chriſti Domini miniſtri, & viua Spiritus ſancti inſtrumenta; Aliqua verò ſtatuerunt, vt Paſtores, & Præfecti Eccleſiarum à Chiſto Domino delecti, & creati. Primo modo Quæcumq; ſtatuerunt, & tradiderunt, Traditio eſt, & Conſtitutio Diuina, hoc enim modo, ſcripturas Canonicas ædiderunt, hoc modo Baptiſma paruulorum, Cultum, & Venerationem Sacrarum Imaginum, Viuorum pro mortuis ſuffragia, Inuocationes Sanctorum, Perpetuam Deiparæ Virginitatem, Symbolum fidei, & alia. Secundo modo ædiderunt Canones, qui Apoſtolorum eſſe dicuntur, quorum vigorem iure poteſt Romanus Pontifex mitigare, & relaxare; Talia etiam ſunt multa præcepta, quæ apud Paulum commemorantur de Homicida, vel Ebrioſo ad ordines promouendo, de Bigamo non ordinando, de non eligendo Neophito; Eiuſmodi etiam ſunt quædam aliæ traditiones, vt Quadragenarium ante Paſcha ieiunium, Continentia Sacerdotum, Quorumdam feſtorum dierum obſeruatio, Dominicæ diei cultus, Trina baptizandorum in aquam merſio, In Quarta, & Sexta Feria ieiunium, & C

A Preceptum de abſtinendo à Sanguine, & ſuffocato. Et ſecundùm hoc duæ ſunt Concluſiones reſponſiuę altera negans, affirmans altera.

Prima Concluſio. Ab his quæ tradiderunt, vel conſtituerunt Apoſtoli primo modo, Papa non poteſt aliquem ſoluere; Quoniam ſunt iuris diuini, cuius auctor, & conditor fuit Deus, Apoſtoli tantùm promulgatores.

Secunda Concluſio. Ab his, quæ tradiderunt, vel conſtituerunt Apoſtoli ſecundo modo, poteſt Papa ſoluere, & ea temperare, quotieſcumq; iuſtę adſunt cauſæ.

Diſpenſationis iuſtæ cauſa. Iuſtæ cauſæ ſoluendi, & eximendi aliquos legibus, ſunt potiſſimùm ſeptem, vt colligitur ex Cap. Neceſſaria; & Cap. Pro remedio. 1. q. 7. Vbi dicitur, quòd pro temporum neceſſitate Apoſtolicę ſedis decreta tẽperantur; Quod ergo neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate, debet vtiq; ceſſare pariter, quod vrgebat. *Prima.* Prima itaq; cauſa eſt, Temporũ mutatio; Hinc factum eſt, vt multa ieiunia olim Canonibus indicta in vſu, B & more iàm deſierunt, Similiter & nocturnæ vigilię Apoſtolorũ, & Martirum ſacræ, temporum progreſſu ſublatæ fuerunt. *Secunda.* Secunda cauſa eſt Vtilitas communis, nimirùm, vt alij faciliùs, & citiùs recipiſcentes ad *23. q. 4. cap. Ipſa pietas.* meliorem vitæ frugem conuerterentur. 23. q. 4. cap. Ipſa pietas. Non ſemper in eos, qui peccant, vindicta eſt exercenda; & infrà, Moleſtus eſt Medicus furenti phrenetico, & Pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo diligendo; Si autẽ illos negligant, & perire permittant, iſta (potius falſa manſuetudo) crudelitas eſt. *Tertia.* Tertia eſt Perſonarum conditio, & ſtatus, ſi ſit aliquis de communi Reip. ſalute benemęritus, ſi ſcientia, & experientia valeat, ſi Vita, & moribus preſtet, ſi generis nobilitate præmineat. *Cap. Tanta 1. q. 7.* Cap. Tanta. P. q. 7. Ex quo habetur, quòd rigor Canonum pro perſona aliquando relaxatur, & Cap. Didici. P. q. 7. Ex quo habetur, quòd ex diſpenſatione quędam tolerantur, quæ Canonum rigor condẽnat. *Quarta.* Quarta eſt neceſſitas. Dicto Cap. Tanta. P. q. 7. C *Quinta.* Quinta eſt Pietas. *Sexta.* Sexta, Rei euentus. *Septima.* Septima, Multorum offenſio. *Cap. Vt Conſtituerentur diſt. 50.* Cap. Vt conſtituerentur. 25. in ordine. diſt. 50. Vbi habetur in fine, Verùm in huiuſmodi cauſis, vbi per graues diſſentionum ſciſſuras, non huius, aut illlius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent, detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis Charitas ſincera ſubueniat. *Gloſſa.* Gloſſa. *Detrahendum eſt.* Hìc habes, quòd diſpenſatio quandoq; eſt debita, ſcilicet, vbi ſtrages multorum iacent; Diſpenſatio enim eſt quædam miſericordia, & quilibet tenetur eſſe miſericors. Cap. Non ſatis. 14. in ordine. di. 86.

Digitized by Google

A

§ Secundus. Vtrum Princeps eo ipſo videatur, aliquem à legibus eximere, quòd eum ad ea ſcienter admittit, à quibus alioqui erat per legem excluſus.

NAuarrus Pręlud. 9. n. 15. & cap. 25. nu. 74. vt videri poteſt, affirmatiue ad hanc difficultatem reſpondet. Quòd verum eſt de Principe, qui eſt auctor legis; Inferior debet aſſignare cauſam iuſtam, alitèr irrita eſt diſpenſatio, & non creditur ei, niſi aſſignet, & probet. De his in Tractatu de legibus. Pro nunc ſatis ſit tetigiſſe. *Nauarrus.*

§ Tertius. Vtrum non valens implere totum Præceptum, teneatur ad partem?

SVpponimus, Pręceptum eſſe duplicis generis, Quoddam de re indiuidua, Quoddam verò de re diuidua; Res indiuidua dicitur, quæ commodè diuidi non poteſt, nec in parte ſaluatur ratio præcepto. Res diuidua eſt, quando in parte ſaluatur ratio præcepti, ſicut in toto, & vna pars non pendet ab alia. Exemplum primi ſit in præcepto Ieiunij vnius diei, vel auditionis Miſſæ vno die, reſpectu vnius horæ canonicæ, vel quando quis vouit ſemel recitare Pſalmos Pœnitentiales, vel tertiam partem Roſarij Beatæ Virginis, vel quando quis promittit certum numerum præcum ob ſpecialem quandam pietatem, vt quinquiès Pater noſter, & Aue, in memoriam quinque plagarum Chriſti. Exemplum ſecundi ſit in præcepto recitandi quotidiè ſeptem horas Canonicas, in qualibet enim hora ſaluatur ratio præcepti, nàm ad quamlibet ſingulariter tenetur ſub pręcepto, & peccato mortali, qui tenetur ſub præcepto, & peccato mortali ad recitandum Diuinum Officium; Similiter, & in Ieiunio quadrageſimæ, Ieiunium enim ſingulorum dierum, diuidi poteſt ab alijs. B C

Verùm, licèt ieiunium vnius diei, dici poſſit indiuiduum, obligatio tamen abſtinendi à cibis prohibitis etiam reſpectu vnius, & eiuſdem diei eſt diuidua; Et etiam obligatio abſtinendi ab operibus ſeruilibus reſpectu eiuſdem feſti eſt diuidua; Vndè quotiès, quis eadem die ieiunij veſcitur cibis prohibitis, aut in die feſto exercet opera ſeruilia vetita, totiès peccat.

Prætereà, quàmuis Præceptum ieiunij, vnius diei ſit, quòad ſubſtantialia indiuiduum, quòad accidentalia tamē per illud iniuncta, eſt diuiduum

R 2 ſubſtan-

A ſubſtantialia ſunt, Vnica commeſtio, & abſtinentia à cibis prohibitis; Accidentalia ſunt, exempli gratia, hora comedendi. Quando aliquid ex ſubſtantialibus non poteſt impleri, non obligat ad reliqua, ſecùs eſt de accidentalibus, vt exempli gratia, qui culpa ſua, vel neceſſitate coactus horam anticipat, tenetur in reliquo ſubſtantiam ieiunij ſeruare; Sic, qui culpa ſua, aut abſq; culpa, non poteſt integrè præceptum miſſæ, quòad Accidentalia ſeruare, tenetur ad partem ſubſtantialem, vtpotè, quæ ab accidentali diuidi poteſt. Quibus notatis dico duo.

Primum Dictum. Quando præceptum eſt de re indiuidua, Qui non tenetur ad totum, quo cenſetur moraliter impleri præceptum, nec tenetur ad partem; Vt, qui poteſt ieiunare vſq; ad vndecimam noctis horam, non tamen vltrà, non tenetur, vſque tunc ieiunare; Et qui vouit tertiam partem Roſarij, vel Pſalmos pænitentiales, nec poteſt totum recitare, non tenetur ad partem. Dixi, *quando non poteſt implere id, quo cenſetur*
B *moraliter impleri præceptum*, quia ſi pars, quam non poſſet, eſſet ità modica, vt ea etiam ſcienter ommiſſa non impediret integram, moraliter, præcepti impletionem, à peccato mortali excuſantem, ad id tenetur. Et quantùm ad Miſſam dico, quòd accedens cauſa audiendi Miſſam tempore, quo dicitur præfatio, tenetur audire; quia ea, quæ a conſecratione, vſque ad ſumptionem continentur, ſunt maximè neceſſaria, & per ſe primò intenta in præcepto audiendi Miſſam, vtpotè in quibus Sacrificij ſubſtantia conſiſtit; Reliqua autē ſunt accidentariè connexa ad eius maiorem ſolemnitatem; Ille autem, qui non poſſet intereſſe Miſſæ, niſi vſque ad conſecrationem, non eſſet obligatus.

Secundum Dictum. Quando præceptum eſt de re diuidua, & pars, reſpectu cuius eſt impotentia, eſt certa, vt contingit, quando Breuiarij defectu non poteſt integrè officium recitari, tunc, quæcumq; hora poſſet recitari, tenetur quis ad illam recitandam; Si verò pars illa non eſſet om-
C ninò certa, ſed perplexitatis, & ſcrupuli occaſio eſſe poſſet in quantitate partis, ad quam eſt potentia, dignoſcenda, tunc maior pars trahit ad ſe minorem, & ita ſi deſit potentia ad maiorem partem officij, ceſſat obligatio ad reliquam, ad quam fortè eſt potentia.

Si autem potentia ſit ad maiorem partem, illa eſt perſoluenda minori ommiſſa, ad quā non eſt potentia, vt contingit in ijs, qui ratione defectus bonæ valetudinis, vel ob vrgens aliquod negotium excuſantur ab officio recitando. Idemq; dicendum, ſi potentia ſit ad æqualem partem, tenetur quis ad illam, recitandam, ommiſſa alia, ad quam non eſt potentia.

Dubium de Mattutino.

Dubium hìc autem eſſe poſſet de Mattutino, Vtrum carens Breuiario, in quo ſunt lectiones, & Reſponſoria, teneatur recitare pſalmos, quos vel

ſcit

A

ſcit memoriter, vel habet Pſalterium?

Reſpondetur, quòd Mattutinum, vel eſt Feriæ, & Feſti Simplicis, vel Feſti Duplicis, & Semiduplicis; Si primum, ſcilicet, ſi eſt feriæ, & feſti ſimplicis, tenetur, & non excuſatur; quia ommiſſio trium lectionum, & earum Reſponſoriorum, quæ ad integrum Mattutinum deſiderantur, eſſet materia parua, quæ moralem Mattutini integritatem non tollit. Si ſecundum, ſcilicet, ſi eſt feſti duplicis, & ſemiduplicis, quia pars ommiſſa eſt notabilis, & non ſatisfit integrè, moraliter, præcepto per illam, non eſt obligatio ad eam. *Reſponſio.*

Poſtquàm Superiori Tractatu de Præceptis Decalogi generaliter egimus, nunc de iiſdē Decalogi Præceptis in ſpecie agendum eſt; Ac vt exactiùs, abſolutiùs, & diſtinctiùs procedamus, de Singulis Præceptis, ſingulos Tractatus habebimus, vt eos in Capita, Articulos, & §§. de more noſtro ſecantes, quicquid ad ſingula ſpectat, dilucidè diſcutiamus. Primò igitur de Primo Decalogi Præcepto Tractatum inſtituemus. B

C

F. VIN-

A

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Tractatus Tertius.

De Primo Decalogi Pręcepto.

De Primi Decalogi Pracepti intelligentia Cap. I.

B

PRimum hoc Præceptum Decalogi expreſsè ponitur Exod. 20. num. 2. his præciſis verbis. *Ego ſum Dominus Deuus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Non babebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quę eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quę ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neq; coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia bis qui diligunt me, & cuſtodiunt pręcepta mea.* In hoc itaq; primo Præcepto, præcipit Dominus, ſe adorari, & ſe ſolùm adorari; Ideò præcipit latriam, & prohibet Idolatriam. Itá D. Bonauent. in 3. d. 37. dub. 1. litterali. *S. Bonauent.*

Eodem quoque loco Notat Seraphicus Doctor, quód Idolatria dupliciter conſueuit apud antiquos committi, vel in hoc, quôd fingebāt nouam ſculpturam, cuius non erat reperire omninò ſimile extrà, vt oſtenderetur, quòd ſpecialis, & ſingularis cultus eſſet ei exhibendus; Vel quādo
C
fiebat aliqua imago, quæ eſſet repræſentatio alicuius rei extrà, quam quis crederet in illa imagine eſſę venerandam; Ideò, vt hæc duo prohiberet, tangit illa duo in prohibitione idolatriæ.

Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. hìc manifeſtatur, quis loquatur, quia Deus. Per hoc nomen, *Dominus*, intelligitur potentia, in qua magnificatur Pater. Hoc nomine *Deus*, qui græcè dicitur *theos*, ideſt, *videns*, intelligitur Sapiētia, in qua clarificāur Filius. In hoc pronomine poſſeſſiuo *tuus*, quod loco determinationis additur, intimatur bonitas, cuius participatione efficitur, meus, tuus, &c. magnificatur Spiritus ſanctus. Vnitas eſſentiæ inuuitur per hoc, quòd ſingulariter dicitur *Ego ſum*. Loquitur illi populo

qui

qui eductus erat de terra Ægypti, vndè ſubdit, *qui eduxi te, &c.* A

Præcepta Decalogi innata ſunt cuilibet rationali creaturæ, & ſunt data expreſſis verbis. Inquantùm innata, reſpiciunt omnes; Inquantùm data reſpiciunt tantùm populum eductum, de terra Ægypti, Quare dicitur *Ego ſum, &c. qui eduxi te, &c.* Vbi educere eſt potentiæ; Et in his verbis præmiſſis habemus tria ſpecialiter obſeruanda. Primo. Habemus verba, quæ pertinent ad Decalogi, quaſi titulum, & ſunt illa *Ego ſum Dominus Deuus tuus, qui eduxi te terra egipti de domo ſeruitutis.* Secundò. Habemus ea, quæ pertinent ad ipſum præceptum, & ſunt illa *non habebis deos alienos, coram me, &c.* Tertiò. Habemus ea, quæ nos mouere debent ad præcepta obſeruanda, & ſunt illa *fortis, zelotes, viſitans, &c.*

Quantum ad primum, ad ea, ſcilicet verba, quæ pertinent ad Decalogi quaſi titulum, quoniam leges ferre, & præcepta iniungere, non conuenit alicui, niſi præſit multitudini, Dominus, vt oſtendat, quòd hoc conuenit ſibi, manifeſtat, his verbis, ſe eſſe Dominum, & Rectorem vniuerſorũ, B dicens *Ego ſum Dominus* creans omnia per potentiam, *Deus* fouens, & gubernans omnia per ſapientiam, *tuus* te redimens, & reparans, per bonitatem, & clementiam. Et ita per hæc tria, *Dominus Deus tuus*, inſinuatur Trinitas perſonarum, Pater, Filius, Spiritus ſanctus, per tria appropriata hęc, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem deſignata. Per ly autem *ego ſum*, ſingulariter, deſignatur vnitas eſſentiæ. In illis verbis, *qui eduxi te, &c.* tenditur, cui loquatur, quia populo educto de Ægypto. Quamuis enim tactum eſt) hæc præcepta ſint innata cuilibet conſcientiæ, ſpecialiter nen, & expreſsè data ſunt illi populo, & illum ſingulariter reſpiciunt, Dominus eduxit de Ægypto. Per ly *eduxi te, &c.* tangitur triplex ectus Trinitati appropriatus, quia *educere*, eſt potẽtię, *de ægypto*, Sapien- Ægyptus .n. tenebrę interpretatur in quo error infidelitatis notatur, *de omo ſeruitutis*, denotat effectũ bonitatis, & clementiæ, nàm domus ſeruitutis, eſt reatus peccati, quia qui facit peccatũ, ſeruus eſt peccati; Dicit ergo *Ego ſum Dominus, qui eduxi te, &c.* per potentiã; *Ego Deus, qui eduxi te, de terra ægypti*, ideſt, de tenebris erroris, & infidelitatis ad intelligentiam C veritatis, per ſapientiã; *Ego tuus, qui eduxi te de domo ſeruitutis*, ideſt, de reatu peccati, & prauorũ morũ ad libertatẽ gratiæ per affectionẽ bonitatis, & clementiæ. Poſſumus etiã in prędictis verbis, ſpiritualiter, notare beneficium creationis, & benefaciũ reparationis, Primũ, cũ dicitur, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, Secundũ, cũ ſubditur, *qui eduxi te, &c.* De his duobus ſunt duo articuli, qui inter omnes articulos, ſunt maxima fundamẽta fidei, vndè ſunt, quaſi duo radij, ſiue duo oculi dirigentes nos in via mandatorum Dei. Homo priùs oculos aperit, quàm ambulet, ideo priùs

debet

Digitized by Google

A debet cognoſcere per fidem, quàm exequatur per operationem, & ope-
retur per dilectionem, rectè, ergo primò ponit prædicta verba pertinentia
ad fidem, & poſtea ponit mandata pertinentia ad operationem.

Quantum ad ſecundum, ad ea ſcilicet verba, quæ pertinent ad ipſum
præceptum, nempè *non habebis, &c.* vſq; ibi *fortis Zoclotes*, excluſiuè. In
his verbis, vt dictum eſt, ponuntur ea, quæ pertinent ad ipſum præcep-
tum, & remouetur omnis Idolatria. Idolatria enim eſt exhibitio honoris
ſoli Deo debiti, creaturæ facta; Hæc exhibitio dupliciter fit, & actu in-
teriori ſcilicet Affectu, & Actu exteriori, propter primum dicitur *non co-
les*; propter ſecundum dicitur *non Adorabis*.

Tria præci- pue prohibē- tur. Tria verò in prædictis verbis prohibentur, per quæ mens noſtra auer-
titur à reuerentia creatoris. Primò prohibentur profanæ pactiones dæ-
monum, ibi *non habebis Deos alienos*. Huiuſmodi autem pactiones fiunt
Primum. tribus modis, Primò, per incantationes verborum, Secundò per inſcrip-
B tiones caracterum, & immaginum; Tertiò per immolationes Sacrificio-
rum. Fiunt etiam huiuſmodi pactiones propter vnum horum trium vi-
delicet ad ludificandos ſenſus, vt faciunt hyſtriones, ad tranſmutandas
naturas rerum, vt fecerunt Magi Pharaonis, ad inueſtigationem futuro-
S. Auguſt. rum contingentium, vt faciunt Diuini; Omnia hæc vocat D. Aug. pa-
ctiones dæmonum, in talibus enim tribuitur creaturę, quod conuenit, &
debetur ſoli Creatori, & ideò peccatur contra primum præceptum ha-
Deuter. 27. bendo Deos Alienos, & de his dicitur Deut. 37. *Prouocauerunt eum, in
Ad Rom dijs alienis*; Et ideò, ſecundùm Apoſtolum, ad Rom. 1. *Tradidit illos
Deus, in paſſiones ignominię*.

Secundum. Secundò prohibentur omnes falſæ, & ſuperſtitioſę ad inuentiones er-
rorum, ibi *non facies ſibi ſculptile, &c.* Quia omnis error eſt fictio mentis;
Errorem facit phantaſia obnubilans rationem, quæ facit, vt illud, quod
non eſt, eſſe videatur. Huiuſmodi adinuentiones errorum procedunt,
C aut ex improbo auſu inueſtigationis prohibitæ, vt errores Philoſophorũ,
ſicut ponere mundum æternum, & quòd vnus eſt intellectus in omnibus
hominibus, &c. aut ex peruerſo intellectu Sacrę Scripturæ, vt errores He-
reticorum, qui malè ſentiunt de Chriſto, de Trinitate, de Spiritu ſancto,
aut ex inordinato affectu carnalitatis humanæ, vt errores Epicureorum
dicentum, nullam aliam eſſe vitam, quàm iſtam, ede, bibe, lude, poſt
mortem, nulla voluptas; Et Nicolaitarum dicentium, quod licet cuili-
bet cum qualibet turpiter agere, ponebant enim omnia communia, etiã
vxores. Omnes iſti errores, tamq; ſtulti, & vani, ſunt deteſtabiles, ideo
Hierem. dicitur *non facies tibi ſculptile*. Vndè Hieremias cap. 10. Stultus factus
eſt omnis homo à ſcientia ſua, confuſus eſt artifex in ſculptili ſuo, vana
ſunt

ſunt opera eorum, & riſu digna, & in tempore viſitationis ſuæ peribunt. A
Tertiò prohibentur omnes peruerſæ appræciationes creaturarum, cum dicitur *nec omnem ſimilitudinem*. Peruerſa appreciatio creaturarum procedit ex tribus, aut ex ſublimitate, aut ex cupiditate, aut ex delectatione. Primo modo eſt Idolatria ſuperborum. Secundò, Cupidorum. Tertiò, Laſciuorum. Vndè dicit D. Hieronimus, quod quis plùs veneratur, & amat, hoc illi Deus eſt. Colit Superbus ſimilitudinem cœleſtium, quia ſuper omnia diligit præferri. Colit Cupidus ſimilitudinem terreſtrium, quia ſuper omnia diligit ditari; iuxtà illud Apoſtoli ad Coloſſ. iij. Auaritia eſt idolorum ſeruitus. Colit Laſciuus ſimilitudinem aquatilium, quia ſuper omnia diligit delectari in delicijs huius mundi, quę ſunt fluxibiles, inſtar aquæ. *Tertium.*

Quantum ad Tertium ea, ſcilicet, quæ mouere nos debent ad obſeruantiam præceptorum, dicitur. *Ego ſum Dominus Deuus tuus Zelotes, &c.* ponuntur duo, Cõminatio, & Promiſſio, quia ad obſeruantiam præcepti præcipuè mouent Amor, & Timor, & ſicut auis ad volandum indiget duabus alis, & homo ad ambulandum duobus pedibus, ità duobus inducitur homo ad impletionem primi præcepti, Amore, & Timore. Timor generatur in homine ex conſideratione Diuinę Iuſtitiæ, Amor, ex conſideratione Diuinæ miſericordiæ; Ad incutiendum timorem tranſgreſſoribus, ponitur comminatio, vt timeamus Diuinam iuſtitiam, *Ego ſum fortis, & Zelotes*, ideſt, fortiſſimum habens zelum iuſtitiæ: *viſitans*. Ideſt, vindicans *iniquitatem patrum, in filios* ponitur etiam promiſſio, vt Diuinam miſericordiam conſideremus, & amemus ibi, *Faciens miſericordiam in millibus*, ideſt, in infinitum *diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea*. Hic oſtenditur, quantùm miſericordia excedat iuſtitiam; Aſtenſis lib. 1. tit. 4. & Angelus *viſitans iniquitatem patrum in filios*, hoc eſt, in parentibus inchoatam, & in ſuccedentibus generationibus continuatam; *ego fortis, & Zelotes*, Amoris Zelo accenſus viſito quidem auerſos à me in virga, & flagellis vſq; in tertiam, & quartam generationem, non autem, vltrà, nam eò vſq; patienter quidem expecto ad reſipiſcendum, verùm, ſi extuantis amoris mei flagellis ſæpiùs viſitati non obediant, ſed obdureſcant, & pertinaciter pergant ad quartam generationẽ, non adijciam vltrà, vt amore zelans viſitem eos, ſed deſeram, & abijciam eos auertens zelum meum ab eis, iuxtà illud ad Hieruſalem Ezechielis cap. 16. num. 42. Propterea auſæretur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs quaſi dicat. Ceſſare faciam iram meam in te, & recedet zelotipia mea, a te, ideſt, extremis ſupplicijs afficiam te, nec te amabo ampliùs. Talis profectò ſubtractio zeli Dei à nobis, eſt veluti

B

Aſtenſis

Angelus.

C

Ezechiel.

A extremum irreuocabilis indignationis ſupplicium, quia quamdiù zelat nos Deus. & zelando viſitat, tamdiù ex ardenti amore adhibet increpationes, minas, verbera, dolores, iuxtà illud Apoc. 3. *Quos amo, corrigo, & caſtigo*, Eum ſanè ob finem, vt ſic demonſtret, cui obſequi oporteat, & ſic nos reuocet ad ſe, iuxtà illud Hieremiæ 6. num. 8. Erudire Hieruſalem nè fortè recedat anima mea à te, nè fortè ponam te deſertam terram inhabitabilem.

Apocal. *Hiero.*

Primum præceptum, de vno colendo Deo, tres habet clauſulas, Prima eſt. *Non habebis Deos alienos coram me*, vbi prohibemur plures deos colere, quia Deus vnus eſt. Secunda *Non facies tibi ſculptile*, Ideſt, imagines fictas, quæ nullius rei naturalis repræſentatiuæ ſunt. Tertia *Neque omnem ſimilitudinem*, Videlicet rei naturalis imaginem, quæ eſt in cęlo deſuper, vt Solis, Lunæ, &c. & quæ in terra deorſum, vt Hominis, Bouis, & huiuſmodi, neq; quæ ſunt in Aquis, ideſt Piſcium, *Non Adorabis ea, neque coles*. B Contra primam clauſulam faciunt Iudei, qui Meſſiam expectant, & Saraceni, qui Maumetum, & Gentiles, qui plures Deos colunt. Contra ſecundam faciunt Hæretici, qui non credunt de Deo, niſi, quod imaginatione ſua, & phantaſia confingunt. Contra tertiam faciunt mali Chriſtiani ſuperbi, qui colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt ſuper terrã, Auari, qui colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in terra, ideſt, diuitias, Voluptuoſi, & carnales, qui colunt ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in aquis, ideſt, delicias, & voluptates, quorum Deus venter eſt.

S. Io. Dam. Nota, quòd ſcriptum eſt. *Non facies tibi ſculptile*. Ideò inquit Damaſcenus. Antequàm Deus eſſet incarnatus, facere Deo imaginem erat impietatis, cum eſſet inuiſibilis, incorporeus, incircumſcriptibilis. Summæ impietatis, ergo erat, figurare quod Diuinum eſt. Hinc eſt, quòd in Veteri Teſtamento non erat in conſuetudine vſus imaginum Deum figurantium.

Septima. Synodus. Sancta Synodus Septima, Actione 3. Tomo 3. Concil. pag. mihi 389. exclamauit. Quicumq; ſententias Sacræ Scripturæ de idolis contrà venerandas imagines adducunt. Anathema. C Qui venerandas imagines idola appellant. Anathema. Qui dicunt, quòd imagines, Chriſtiani, vt Deos adorant. Anathema. *D. Baſil.* Quia (ſicut a Baſilio, in lib. de Spiritu ſancto. Annotatum legimus c. 18.) honos, qui tribuitur imagini, non aliò, quàm ad prototypum refertur, cum nemò tàm ſit lapis, vt lapidibus, & lignis ineſſe putet ſenſum.

Octaua Synodus. De Sacris imaginibus idem decretum eſt in Synodo Octaua, Actione decima can. 3. tom. 3. Concil. p. 2. pagina mihi 896. his verbis. Sacram Domini Noſtri Ieſu Chriſti effigiem eàdem, qua Euangelia

vene-

Digitized by Google

veneratione colendam ſtatuimus; Quemadmodum enim per ſillabas ex Euangelio pronunciatas ſalutem conſequimur omnes, ità per imagines arte, coloribuſque pictas, & expreſſas docti, iuxtà ac indocti ex obiecta re vtilitatem capiunt; Quæcumque enim in ſillabis oratio, hæc in coloribus pictura docet, & repreſentat; Ergo quicumque Saluatoris Chriſti imaginem non adorat, is in ſecundo Chriſti aduentu, non videat ipſius faciem. Eadem ratione intemeratæ Genitricis illius effigiem, Sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos Sacrarum litterarum paginæ deſcribunt, ac Diuorum omnium veneramur, & adoramus. Qui aliter ſentiunt, Anathema ſunto. Hæc ſunt verba formalia dicti Canonis. A

De Adoratione. Cap. II. B

§ *Primus. Quid ſit Adoratio?*

NON poſſumus exactè quid Adoratio ſit, diffinire, niſi intelligamus prius, quòd iſta ſe habent per ordinem, licèt nonnũquàm confundantur, Reuereri, ſcilicet, Honorare, Laudare, Glorificare Adorare. Reuereri aliquem, ſecundùm doctrinam Scoti 3. ſent. d. 9. art. 1. eſt bona propria reputare parua reſpectu illius, quem reueretur, cuius bona reputat magna, & eſt actus virtutis; Ità extollere in corde bonitatem alterius tamquàm ſummam reſpectu bonitatis ſuæ, & à quo ipſe magnificans habet totam bonitatem ſuam, eſt actus quidam laudabilis, dummodò habeat obiectum ſibi conueniens, illud ſcilicet, cuius bonitas excedit bonitatèm illius reuerentiæ, & à quo ipſe reuerens habet bonitatem ſuam; Hęc bonitas in actu interiori reſpicit ſolum Deum pro obiecto conuenienti, vt ſummum bonum, vel ſummũ dominum. Huic actui interiori correſpondent aliqui actus exteriores, qui ſunt ſigna huius actus interioris, puta, in quacumq; lege aliqua ſacrificare, vel aliqui ritus, vel genuflexiones proteſtantes iſtam reuerentiam ſummo domino exibendam, & ſummam eſſe dominationem in eo, cui talia exibentur, & ſubiectionem eſſe ad illam in exibente. Hæc Scotus. Honorare eſt, reuerentiam interiùs exiſtentem in animo, opere exteriori indicare, Vnde honor eſt exibitio reuerentiæ in teſtimonium excellentiæ illius, quem quis reueretur. Laudare eſt, honoratum pro bonis, quæ in ſe habet, alijs commendare. Glorificare, C

Scotus.

Adorare, glorif. laud. honor. & reuereri quomodo differant.

A ſeu magnificare eſt, laudes honorificati longè, lateq; præconizare, gloria enim eſt frequens fama cum laude. Adorare eſt, in id, quod eſt reuerendum, honorandum, laudandum, magnificandũ propter ſuæ ſanctitatis, & virtutis eminentiam, totam ſpem, atq; fiduciam ſe ſubijciendo proij-

D.Io.Dam. cere; Vndè Adoratio, ſecundùm Damaſcenum Orat. I. de Imaginibus, eſt ſummiſſionis, & humilitationis nota, Et orat. 3. eſt animi cedentis, ſubmiſſi, atq; humilis ſignificatio; Significat ergo Adoratio actum, quo vnus alteri ſe ſubmittit, vel illum honorat in recognitionem excellentię eius. Vel Adorare eſt, eum, qui adorandus eſt, tota mentis intentione

Vorilong. quærere. Vorilong. in 3. d. 9. & D. Bonauent. 3. ſent. 5. 9. q. 3. num. 53.

S.Bonauent. ex Rabano.

Rabanus. Alij ſic explicant. Reuereri eſt ſecum reputare, & in honorem habere bonum alicuius. Honorare eſt aliquo ſigno exteriori illam reuerentiam exprimere nunc quidem factis, nunc verbis, nunc geſtu, nunc capitis

B aperitione, nunc aliquo munere &c. Laudare eſt coram alijs probare bonum, quod in aliquo eſt. Glorificare eſt illius laudes prædicare, &

Nauarrus. quaſi præco publicare. Nauarr. to.n. 1. Con. 4. num. 14. Cap. Inter verba. pag. mihi 42. Adorare eſt actus honorandi aliquem, ſe illi

Clauis Reg. tamquàm Superiori, & Excellentiori ſubmittendo. Clauis Reg. pag. mihi 223.

Adorationis diuerſa nomina. Multis autem nominibus appellatur Adoratio, dicitur enim, Cultus; Seruitus; Theoſebia; Religio. Dicitur Cultus propter diligentem intentionem circa illud, quod adoratur, illud namq; dicitur coli, cui quis ſtudioſè intendit, operã ſuam exibendo; Dicitur Seruitus, quia huiuſmodi opera exibentur adorato in recognitionem ſui dominij; Dicitur Theoſebia, ideſt, Dei cultus, quia in ipſa ſingulariter colitur Deus; Dicitur Religio, quando ad huiuſmodi adorationem homo ſpecialiter ſe obligat.

Socrates. Notandum tamen eſt, quòd triplex cultus Deo debetur. Imitatio, Honor, & Inuocatio. Præcipuus eſt Imitatio, Vndè dicebat Socrates,

C Vis, Deum tibi propitiari? bonus eſto. Et Chriſtus dominus non tantùm incarnari voluit, vt eſſet vita noſtra, ſed, vt ſeipſum nobis exemplum viuendi proponeret, vt, ſcilicet, ſicut ipſe ambulauit, & nos ambu-

Ad Eph. 5. lemus. Ad hunc cultum nos incitat Apoſtolus ad Epheſ. 5. num. 1. Eſtote imitatores Dei, ſicut filij Cariſſimi. Poſſumus etiam hunc cul-

1.Corint. tum ad homines transfarre, nàm idem Apoſtolus 1. Corint. 4. Imitatores (inquit) mei eſtote, ſicut, & ego Chriſti; Voluit enim ab alijs imitari, quatenùs ipſe imitatus eſt Chriſtum, non ſub ea ratione qua perſecutor, vel blaſphemus, ſed quatenus Dei miſericordiam conſecutus erat, & vt iàm in ſe ipſo non viuebat, ſed Chriſtus in eo; Ità vt imitari

Paulum,

Paulum, nihil aliud ſit, quàm imitari Chriſtum viuentem in Paulo; Nihil ergo detrahitur perfectiſſimo exemplari, Sanctos imitando, ſed augetur potiùs illius gloria, quia cum Sanctos imitamur, nihil aliud facimus, quàm Chriſtum in Sanctis imitamur. Secundus cultus Deo debitus eſt Honor, iuxta illud. 1. ad Thimot. 1. Soli Deo honor, & gloria; Quod non contrariatur eidem dicenti ad Rom. 2. Gloria, & honor omni operanti bonum; Sciebat namq; Apoſtolus, quòd ſummus honor, & gloria ſoli Deo conuenit, ſed non propterea ſua gloria, & honore fraudandi ſunt, qui bonum operantur per quos nomen Dei ſanctificatur. Quid enim aliud veneramur in Sanctis, niſi Dei donum? Vnde Nazianzenus laudans Athanaſium in quadam Oratione in ipſum Athanaſium. Cum Athanaſium laudo, virtutem (inquit) laudo, virtutem autem laudans, Deum laudo, Dei nàmque donum eſt omnis virtus, à quo proficiſcitur omne datum optimum, & omne donum perfectum Iacobi 2. Et qui vos audit, me audit. Et Sanctus Epiphanius Hæreſi. 6. Honorat Dominum (ait) qui honorat Sanctum, qui ignominia afficit Sanctum, ignominia afficit Dominum. Et D. Aug. in Pſal. 44. In Petro, quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani, non Petriani; Tolle à Petro, tolle à Paulo, &c. Quòd Apoſtoli, & Martyres Chriſti fuerunt, non plùs eis honoris, debebitur, quàm, vel Ariſtidi iuſto, vel Phocioni, vel Zenoni, quorum vitæ ſanctimoniam, ab ijs, qui Græcorum hiſtorias conſcripſerunt, plurimùm legimus, eſſe commendatam. Tertius cultus Deo debitus, eſt inuocatio. Cultus hic etiam Sanctis conuenit, non enim tamquàm largitores, quia hoc ſolius Dei eſt proprium, ſed tamquàm deprecatores Sancti inuocantur. Patet, cum de oratione. In quam ſententiam Concil. Conſtantinopolitanum c. 7. tom. 2. Conc. Cum præſcripſiſſent patres, quibus eſſet Deus adorandus, mox ſubiunxerunt. His actis, & creatore Deo adorato, inuocent Sanctos, vt pro ſe intercedere apud Diuinam maieſtatem dignentur.

Marginal notes: A — *1. ad Thim.* — *Ad Rom.* — *S. Greg. Nazianzenus.* — *S. Epiphan.* — B — *S. Auguſt.* — *Concil. Conſtantinop.* — C

Reſolutio Queſiti.

Eſt igitur adoratio exhibitio reuerentiæ alicui propter eius excellentiam. Patet ex dictis.

Obſeruandum eſt autem pro completa huius rei notitia, quòd in adoratione ſunt tres actus, Vnus eſt intellectus, quo cognoſcimus Excellentiam, & Superioritatem illius, quem adorare debemus. Secundus eſt Voluntatis, quo nos ei ſubijcimus, & ſubſternimus. Tertius actus eſt exterior, quo talem ſubiectionem ſignificamus, vt genuflexio, capitis nudatio, &c. Primus, non eſt Adoratio quia dæmones cognoſcunt, Deum eſſe ſuper omnia amandum, & Adorandum, non tamen Deum amant, nec Adorant; Eſt benè talis actus neceſſarius in Adoratione, quia volun-

A tas non ſe ſubdit, niſi præcognoſcat Excellentiam eius, cui ſe ſubdit, quia, qui adorat aliquem, præſupponitur habere cognitionem excellentiæ illius, cui Adoratio exhibenda eſt; Secundus eſt ipſa interna Adoratio, quæ eſt actus Religionis; Tertius eſt actus Adorationis, intantùm enim iſte tertius actus pertinet ad Adorationem, inquantùm procedit ab interiori, aliàs eſſet illuſio, & irriſio. Vt igitur Deus adoretur, iſti actus ſunt neceſſarij, Primus eſt intellectus, quo debemus cognoſcere Deum, vt ſummum bonum, ac totius eſſe principium, Secundus eſt voluntatis, quo illi, vt tali nos debemus ſubijcere, Tertius eſt quo iſtam ſubiectionem & proſtrationem exprimimus, quòd maximè fit per Miſſę Sacrificium, totus enim populus Chriſtianus, cum Miſſam offert, per Sacerdotem, & per Sacrificium, quod ſoli Deo debetur, ſuam exprimit internam Adorationem; Similiter per alias humiliationes exteriores. Toletus l. 4. c. 12. *Toletus.* Actus primus eſt fidei, & hic ſupponitur. Actus ſecundus eſt vera adoratio, & hic præcipitur. Similiter & exterior hanc exprimens; Quæ duo ad Religionem pertinent.

B

§ Secundus. Quotuplex ſit Adoratio? Et primò de Latria.

COmmuniter ponuntur tres ſpecies Adorationis largè acceptæ, ſiue venerationis, quæ Græcis frequenter vocabulis nominantur ſcilicet, Theoſebia, ſeu Latria, Dulia, & Hyperdulia. Latria eſt cultus ſoli Deo debitus, qui & Adoratio (ſtrictè ſũpto vocabulo) dici ſolet; Quoniã autẽ Deus colitur actu Sacrificij (eſt autem Sacrificiũ omne opus, quod agitur, vt ſancta ſocietate inhęreamus Deo relatũ ad illũ finem boni, quo veraciter boni eſſe poſſimus) ſequitur, quòd omni actu in Deum rationabiliter ordinato, Deus ipſe colatur. Huiuſmodi verò eſt duplex, Interior, & Exterior, & ſecundùm hoc duplex eſt Latria, Interior, & Exterior; Interior dicitur actus Fidei, Spei & Charitatis, harum námque Virtutum actibus debita Deo reuerentia exibetur. Vndè quotiès elicit quis actum fidei, ſpei, aut charitatis, totiès Deum colit, veneratur, adorat. Hinc ſecundùm D. Auguſt. Adorare, & colere Deum, eſt, fide ſpe, & charitate Deo adhærere, hic enim verus Dei cultus inchoatur fide, ſpe tenetur, charitate perficitur, nec tamen, quatenùs perfectæ ſunt, ſeparantur ab inuicem hæ virtutes. Latria exterior eſt ſignum aliquod ſenſibile exibitum in proteſtationem latriæ interioris, cuiuſmodi ſunt actus, & geſtus exteriores, quibus profitemur, nos, intrà, credere, ſperare, & amare eum, cui foris ſigna illa, & actus exibe-

Adoratio triplex.

C

S. Auguſt.

exibemus, vt ſummum bonum, omnium creatorem, ſalutis, & omnis boni cauſale principium, & finem. Sunt autem huiuſmodi actus, Ritus quidam, qui ſecundùm Chriſtianæ Religionis pietatem obſeuantur, vt oblatio ſacrificij, laudum, & canticorum vocalis prolatio, manuum compoſitio, aut extenſio, pectoris tunſio, capitis nudatio, genuflexio, corporis totius proſtratio, thurificatio, candelarum accenſio, campanarum pulſatio, & cætera huiuſmodi. Cum ergo huiuſmodi ſigna exibentur in proteſtationem ſummæ maieſtatis, potentiæ, & bonitatis diuinæ, per ea Deus adoratur adoratione latriæ, quia, vt ſic nulli creaturæ ſunt exibenda, nàm, ſi hæc adoratio interior, vel exterior hac intentione facta exibetur alicui, quod non eſt verè, & eſſentialiter Deus, non erit latria, ſed Idolatria. A

De actibus autem fidei, ſpei, & Charitatis, quibus Deus adoratur egregiè Gabriel Biel De Canone Miſſę lectione 49 Cum Deum (inquit) ſummum dominum credo, meditor, agnoſco, ipſumq; vniuerſale principium, creatorem, gubernatorem, & principem. In ipſo conſiſtere ſummum dominium, omniſque poteſtatis plenitudinem, ſine cuius nutu nec folium cadit de arbore. In cuius manu omnia ſunt poſita, cuius voluntati reſiſtere nullus poteſt, cuius ſapientiam nil latere: prouidentiam cuncta diſponere credo. Eius bonitatem liberaliſſimè communicare: à quo omnibus donatum eſt eſſe, viuere, creata conſeruare: conſeruata in ſuos proprios fines fortiter, ſuauiterq; ordinare, ſuæq; beatitudinis rationalē creaturam participem facere; lapſa reparare: perpetuæ captiuitatis filios præcioſo ſanguine redimere, redemptos glorificare: nulla ſui vtilitate, aut neceſſitate: ſed miſericordiſſima, ac perpetua, qua nos dilexit, charitate: ac cetera innumera infinitæ ſuæ perfectionis opera mente profiteor. Hæc credendo, ac meditando actu fidei Deum adoro, atq; colo.

Biel. B *Deus quomodo actu fidei adoretur.*

Cumq; ex horum pertractatione agnoſco ipſum deum eſſe rationalis creaturę bonum, quàm ad ſe beatificè poſſidendum, ac fruendum creauit, in quo tamquàm in ſummi boni poſſeſſione quicquid deſiderari poteſt, ſummè habetur. Ac per hoc aſſurgo ad concupiſcendum ipſum mihi plùs omnibus: tamquàm ſummum mihi bonum, & commodum: & propter eum ſic poſſidendum, perpetuò omnia alia paruipendo. Incipio eum diligere amore concupiſcentię, quoniam eſt proprius actus ſpei. C

Cum veró vltra progredior meditando omnem hanc ſuam liberaliſſimam diffuſionem, non ex præuenientibus creaturæ meritis, ſed intrinſeca, ac naturali bonitate ſua, liuore carens (vt Boetius loquitur me. 5. 3. de conſo.) procedere, ac per hoc ſolum ipſum eſſentialiter bonum

ſibi

Digitized by Google

A ſibi ſolum ſufficientiſſimum: ac ſummè perfectum: & propterea ab omni ſua creatura coli, vereri, honorari, timeri, propter ſe, & ſuper omnia amari, ſibique ſeruiri, & ſubijci debere digniſſimum eſſe debitum, & iuſtiſſimum. Et idcirco actum perfectæ dilectionis, quo ipſum non propter communicata beneficia; ſed propter ſeipſum elicio. Sint quoque mihi creationis, conſeruationis, redemptionis, iuſtificationis, gratificationis, beatificationis, beneficia viæ quædam, & effectus excitantes, & ducentes ad diligendum, qui omnium horum eſt cauſa. Diligendum dico in ſe, & propter ſe finaliter, meq; totum ſibi per obedientiam perfectam ſubijciendum. Hic actus dilectionis perfectus eſt, & amor amicitiæ, ac fruitio, propriuſq; effectus charitatis, quo Deum colo theologica charitate. Hi ſunt actus interioris reuerentiæ, honoris, ac cultus latriæ, quibus Deum extollo, magnifico ſuper omnia, tamquam vnicum ſummum bonum adoro. Quippe nihil aliud eſt Deum adorare, magnificare, extollere, revereri, niſi Deum talem credere, vt talem deſiderare, ac ſuper

B omnia diligere, quod eſt ipſum talem, ſummum ſcilicet eſſe, & ſibi, & omnibus dominari velle, ac per hoc omnia alia æſtimare tamquam nihilum coram eo. Nec ſe, nec aliud velle ſibi præponere, nec amare. Eſt ergo Adorare, in Deum tota mentis intentione tendere; Eſt, Deo, fide, ſpe, & charitate adhærere.

§ *Tertius. De ſecunda ſpecie Adorationes, quæ eſt Dulia.*

Dulia quotuplex. DVlia dicitur à dulos græcè, quod eſt ſeruitus latinè. Dicitur autem Dulia tripliciter, Propriè, Communiter, Communiſſimè. Propriè.

Propr. quid ſit. eſt ſeruitus, ſiue reuerentia, quam ſerui, & ſubditi impendere debent Dominis ſuis, & Superioribus, iuxtà illum. 1. Petri 2. Serui ſubditi eſtote in

1. Petri 2. omni timore dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Ita in Veteri Lege ſecundògeniti Primogenitos, vt ſuos dominos, & ma-

C iores adorabant, vndè dixit Iſaac ad Iacob filium ſuum, Eſto dominus

Geneſis. fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Gen. 27.

Quid Cõmuniter. Dulia Communiter ſumpta dicitur ſeruitus quædam reuerentialis, ſecundùm quam rationales creaturæ ſe mutuo honore præueniunt, & venerantur, propter quaſdam rationes, propter aliquod diuinum, vel virtuoſum in ipſis repertum, vel ſaltem ab eis non excluſum, & ſecundùm hoc legimus, homines alios quoſdam adoraſſe, qui tamen non erant ipſorum domini, nec rectores, ſed ad captandam beneuolentiam, vel mitigandam iram, aut ad deſignandam aliquam virtutem, ſeu in ſignum ſpecialis amoris, & amicitiæ; Sic Moyſes egreſſus in occurſum Ietro Soceri ſui,

ſui, ipſum adorauit. Exod. 18. Iacob progrædiens de Meſopotamia in terram ſuam pronus adorauit ſeptiès fratrem ſuum Eſaù, Gen. 33. Dauid adorauit Ionatham filium Saul. 1. Reg. 20. Dixi *propter aliquid Diuinum repertum in ipſis* propter creaturas irrationales. Hinc ſciendum, quòd hoc Diuinum eſt Dei imago. Vndè dicit Damaſcenus. Cuius gratia nos inuicem honorâmus? niſi, quia ad imaginem Dei, facti ſumus? propter quod dicitur 1. Petri 2. Omnes honorate; Nàm ſicut charitas, & dilectio extendit ſe ad omnes Dei imagine inſignitos, & beatitudinis capaces, ità Adoratio. Dixi *vel ab eis non excluſum* quia non extenditur ad creaturas rationales, ſiue intellectuales damnatas, ſiue Angelos, ſiue homines, propter damnationis ſententiam à beatitudine perpetuò excluſos, in quibus, etſi Dei imago, quantùm ad naturalia perſeueret, nec deleri poteſt, quia tamen à Deo perpetuò ſeparati, beatitudinem, ſecundùm ordinatam Dei potentiam, adipiſci non poſſunt, tamquàm inimici à Deo præſcripti, à nobis nullatenùs ſunt adorandi.
A
Exod.
Geneſis.
1. Reg. 20.
S. Io. Dam.

Dulia Communiſſimè ſumpta, extenditur etiam ad latriam, ſic enim dicit honorem, & reuerentiam exhibitam, nedùm creaturis, verùm etiam creatori.
B
Quid Communiſſimè.

Notandum eſt autem. Primò, quòd Dulia propriè, & Communiter (vt ſcilicet tantùm creaturæ debetur) diuiditur in maiorem, & minorem. Maior eſt tertia ſpecies diuiſionis principalis, quæ dicitur Hyperdulia, ideſt Excellens Dulia, & eſt ſeruitus quædam reuerentialis exhibita alicui ratione Excellentię ſingularis, & eminentis repertæ in eo, cui exhibetur. Dulia minor ſimpliciter obtinet nomen duliæ generale ſine addito, & eſt ſeruitus conueniens cuilibet alteri creaturæ rationali ſecundùm rationem Excellentiæ communem multis, ideſt, quibuſcumque creaturis rationabilibus beatitudinis capacibus, ſecundùm Dei potentiam ordinatam. Conuenit etiam viatoribus ſuo modo.

Notandum ſecundò, quòd quælibet harum ſpecierum poteſt tripliciter accipi. Pro actu interiori. Pro actu exteriori; & Pro habitu ex actibus generato, inclinante ad talem actum; Et ille actus, cum ſit rationi rectæ conſonus, virtus eſt, non theologica, quia non habet Deũ pro obiecto immediato, ſed honorem deferendum Deo; Erit ergo virtus moralis contenta ſub iuſtitia, qua redditur Superiori, quod ſibi debetur, Scotus in 3. ſent. diſt. 9. quæſt. vnic. art. 1.
C
Scotus.

Digitized by Google

A

§ *Quartus. De Obiecto Adorationis, & primò de Sanctiſſima Trinitate, & Chriſto Domino.*

CVM ſermo eſt de latria, dupliciter cultus latriæ alicui dari poteſt, Vno modo per ſe, & propter ipſum, quia videlicet in eo ineſt Diuinitas, & ſumma maieſtas, poteſtas ſupræma, & virtus; Alio modo non per ſe, ſed quia eſt res cum Diuinitate, & ſumma poteſtate, & virtute coniuncta verè, & re ipſa, vel ſaltem cogitatione, & repræſentatione, & ea res colitur honore, & veneratione latriæ, non propter ſe ipſam, quaſi in ea ſit Diuinitas, ſed, quia cum Diuinitate coniuncta verè, & re ipſa, vel cogitatione, & repræſentatione. Quò ſtante pono duas Concluſiones.

1. Concluſ. Prima. Toti Trinitati, & cuilibet perſonæ Diuinæ, debetur per ſe cultus, & honor latriæ. Nàm tribus vnica tantùm Adoratio tribuitur, quatenùs Tres Perſonas veneramur, vt vnum Deum rerum omnium conditorem, & Summum earum Dominum, & moderatorem, cui noſmet ſubijcimus, & in eo ſpem noſtram, & fiduciam ponimus.

B

2. Concluſ. Secunda. Chriſto Domino latriæ cultus debetur, quoniam, etſi homo ſit, eſt etiam Deus, ità quòd eſt vna, & eadem perſona in duabus naturis, Diuina, ſcilicet, & humana, ſubſiſtens; Et cum Chriſtum veneramur, cultus noſter, in perſona, non in natura humana, abſq; perſona terminatur, aut terminatur quidem in natura humana, ſed vt à Verbo Diuino aſſumpta, & ei mirabili nexu, & vinculo coniuncta.

§ *Quintus. Vtrum humanæ naturæ Chriſti tribuendus ſit cultus latriæ?*

REſpondetur quòd adoratio humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi, Vno modo, vt ſit eius, ſicut rei adoratæ; Alio modo, vt ſit ratione humanitatis perfectæ omni munere gratiarum. Primo modo adorare carnẽ Chriſti, nihil aliud eſt, quàm adorare Verbum Dei incarnatũ; Sicut adorare veſtẽ Regis, nihil aliud eſt, quàm adorare Regẽ veſtitum, & ſecundùm hoc Adoratio humanitatis Chriſti, eſt Adoratio latriæ. Secundo modo Adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio Latrię, ſed Duliæ; Vndè humana natura Chriſti per ſe, & ſeorsùm ſumpta, non vt Verbo Diuino vnita, coli debet, non cultu latriæ, ſed Superhyperduliæ ideſt, Duliæ eximiæ, & præcellentis, quia cultus, tunc temporis, in ipſa natura humana, non autem in Verbo diuino, terminatur. D. Bonauent. 3. ſent. diſt. 9. Scotus ead. diſt. q. Vnica.

C

S. Bonauent.
Scotus.

§ Sextus.

Digitized by Google

A

§ *Sextus. Quidnàm dicendum de Imagine Chriſti, de Cruce, de Membris?*

DIcimus, quòd ille cultus eſt exibendus Imagini, & Cruci, qui imaginato, & Crucifixo, & iſte non propter ſeipſam, ſed propter id, cuius ſimilitudinem refert, ac repræſentat. Vndè.

Obſeruandum eſt, quòd, cum rem aliquam, vitæ, & animæ expertem piè, & religioſè veneramur, & colimus, vt ſacram honoramus, ſacra verò eſt, aut quia continet rem ſacram, vt Vaſa, Altaria, Templa, aut quia memorat res ſacras, vt Codex Euangeliorum, aut quia refert, & repręſentat rem ſacram, vt Effigies, & Imago, aut quia eſt pars rei ſacræ, aut cum re ſacra, re, vel cogitatione coniungitur, aut aliqua ratione ad rem ſacram pertinet, Vnde fit, vt ſimul cum re ſacra eodem honore, & veneratione colatur, vndè imaginem vno tantùm cultu, & honore colimus, & eum ipſi tribuimus propter eum, cuius eſt effigies, & ſimilitudo; Is verò cultus vel eſt Latriæ, ſi imaginem Chriſti colamus, vel Hyperduliæ, ſi ſit imago Deiparæ, vel Duliæ, ſi aliorum Sanctorum imagines veneramur, quia hic cultus terminatur, & ſiſtit in prototypo. B

Dubium verò eſſe poteſt, Vtrum terminetur etiam in imagine?

Reſpondetur, quòd etiam imago eſt ſua ratione terminus, nàm ſacram imaginem verè, & reipſa oſculamur, amplectimur, honorificè tangimus, & tractamus, & coram ipſa caput aperimus, genuflectimus, procumbimus, eam ſalutamus. Iſti, religioſi ſunt cultus, & honores, quos imagini damus ex religioſo animi, & voluntatis affectu, per quem imaginem cum exemplari, non re, ſed cogitatione coniungimus; Et ſicut purpuram Regis honoramus cum Rege ipſo reipſa coniunctam, ſic imaginem cum ſuo exemplari; Non igitur imago eſt id, in quo cultus vltimò quieſcit, & ſiſtit ſed eſt id, per quod cultus in prototypum tranſit, & quo cultus ad exemplar traducitur. C Conc. Trident. Seſſ. 25. *Concil. Tridentinum.* Decreto de Inuocatione, Veneratione, & Reliquijs ſanctorum, & Sacris Imaginibus circa medium ſic habet. Non quod credatur ineſſe aliqua in ijs diuinitas, vel uirtus, propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ità vt per imagines, quos oſculamur, & coram quibus caput operimus, & procumbimus, Chriſtum ado-

Digitized by Google

A ramus, & Sanctos, quorum illę ſimilitudinem gerunt, veneramur. Id,
2 Nic. Syn. quod Conciliorum, præſertim verò Secundæ Nicenæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Hæc Conc. Trid. ad verbum.

S. Bonauent. De Imaginibus loquitur Seraphicus Doctor S. Bonauentura lib. 3. ſent. d. 9. q. 2. Vbi ait, quòd Imaginum introductio in eccleſia non fuit abſque rationabili cauſa. Introductæ enim fuerunt propter triplicem cauſam, videlicet propter ſimplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem, & propter memoriæ labilitatem. Propter ſimplicium ruditatem inuentæ ſunt, vt ſimplices, qui non poſunt legere, in huiuſmodi ſculturis, & picturis tanquam in ſcripturis apertius poſſint ſacramenta noſtræ fidei legere. Popter affectus tarditatem ſimiliter introductæ ſunt, videlicet vt homines, qui non excitantur ad deuotionem in his, quæ pro nobis Christus geſſit, dum illa aure percipiunt, ſaltem excitentur dum eadem in
B ſcripturis, & picturis tamquàm præſentia oculis corporeis cernunt. Plùs enim excitatur affectus noſter per ea, quæ videt, quàm per ea, quæ audit. Vnde Horatius de arte poetica. Segniùs irritant animos demiſſa per aures, Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & Ipſe ſibi tradit ſpectator: &c. Propter memoriæ labilitatem: quia ea quę audiuntur ſolùm, faciliùs traduntur obliuioni, quàm ea quę videntur. Frequenter enim verificatur in multis illud, quod conſueuit dici, verbum intrat per vnam aurem, & exit per aliam. Præterea non ſemper eſt præſto, qui beneficia nobis præſtita ad memoriam reducat per verba: ideo diſpenſatione Dei factum eſt, vt imagines fierent præcipuè in eccleſijs, vt videntes eas recordemur de beneficijs nobis inpenſis, & Sanctorum operibus virtuoſis.

S. Bonauent. De Cruce. S. Bonauentura 3. ſent. d. 9. q. 4. obſeruat, quòd duplici modo exibetur alicui honor; Aliquando in obſequium reuerentiæ; Aliquando in teſtimonium virtutis, & famulatum complacentiæ. Primo modo eſt honor venerationis. Secundò modo eſt honor adorationis.
Crux quare veneranda. Vterque honor datur Cruci, nàm Crucem adoramus, & veneramur; Sed in hoc eſt differentia, quòd honor venerationis exhibetur Cruci tam-
C quàm inſtrumento noſtræ ſalutis, Vndè ſicut exhibemus reuerentiam Sacramentis, quia eſt in eis aliquo modo noſtræ ſalutis cauſalitas, ità Cruci Chriſti, & Clauis eius aliqua reuerentia exhibenda eſt, & reſpectu iſtius
Crux quare adoranda. honoris habet Crux in ſe aliquid, propter quod debet honorari. Honor Adorationis offertur Cruci ratione Crucifixi, nemo enim intendit, ei, ſcilicet Cruci, placere, vel aliquid ab ea impetrare, ſed ei, qui in ea cru-
Cruci dupl. honor debet. cifixus eſt. Sic itaque Cruci duplex honor debetur, Vnus quidem eſt Latriæ, Aliùs non debet dici nec Latria, nec Dulia quia non eſt ſpecies adora-

Digitized by Google

adorationis, ſed vocari poteſt honor Venerationis. Aliæ Cruces nonniſi Latria tantùm, vt ſigna, ſic etiam Claui, quibus affixum fuit corpus Ieſu. A

De Membris Chriſti ideſt, fidelibus idem Seraph. Doctor, vbi ſupra q. V. docet, quòd abſque dubiò Membris Chriſti cultus Latriæ non eſt exibendus pro eo, quòd membra Chriſti ſumus ſecundùm humanam naturam, & ſic ſumus membra, vt tamen ratio membri non tollat rationem ſeruitutis, nec ponat æqualitatem dignitatis; Et quoniam Latria debetur Creatori ratione ſuę maieſtatis, & excellentiæ, hinc eſt, quòd mēbris Chriſti non competit cultus Latriæ, multa enim diſtantia diſtat caput à corpore ratione diuinitatis vnitæ. Non eſt eadem adoratione, & honore venerandus Dominus, & ſeruus; Sed membra Chriſti ſunt ſubiecta ſeruituti Chriſti, & Dei; Ergo.

B

§ *Septimus. Quiſnam cultus debeatur puriſſimę Virgini Deiparæ?*

BEatiſſima Virgo Maria pura creatura eſt, & ideò ad honorem, & cultum latriæ, non aſcendit, ſed quoniam Excellentiſſimum nomen habet, ità quòd excellentius puræ creaturæ conuenire non poteſt, ideò non tantùm debetur ei honor Duliæ, ſed Hyperduliæ; Hoc autem nomen eſt, quòd Virgo exiſtens, Dei mater eſt, quod quidem tantæ dignitatis eſt, quòd non ſolùm viatores, ſed etiam comprehenſores, non ſolùm homines, verùm etiam Angeli, eam reuereantur quadam pręrogatiua ſpeciali, ex hoc enim, quòd Dei mater eſt, prælata eſt cæteris creaturis, & eam præ cęteris, decens eſt honorari, & venerari. Hic autem honor conſueuit à magiſtris hyperdulia vocari. D. Bonauent. in 3. d. 9. q. 3. *S. Bonauent.*

C

Obſeruandum autem eſt, quòd honorem referri ad aliquem ſtat dupliciter, aut, ſicut ad ſubiectum, aut ſicut ad finem. Honor, qui exhibetur Matri, refertur ad filium, ſicut ad finem. Honor, quo honoramus Chriſti Imaginem, refertur ad ipſum Chriſtum, ſicut ad ſubiectum. Vndè, qui Adorat Chriſti Imaginem, adorat Chriſtum, non imaginem. qui autem adorat Chriſti Matrem, adorat Chriſtum vtiq; ſed adorat etiam matrem, quia Matri debetur adoratio propria, cum ipſa ſit rationis capax. Cruci vero non debetur adoratio propria, quia in ſe eſt res inſenſibilis.

§ *Octauus*

Digitized by Google

A

§ *Octauus. Quid dicendum de eo, qui adorat Diabolum, putans eſſe Chriſtum?*

Sic abſolutè adorans peccat.

S. Matth.

S. Marcus.

B

1. Ioannis.

PRæmictenda eſt hæc diſtinctio. Honor latriæ, poteſt exhiberi alicui dupliciter, ſimpliciter, ſcilicet, & ſub conditione. Si ſimpliciter, dicendum eſt, quòd non poteſt eſſe ſine peccato, offertur enim cultus latriæ alteri à Deo, & ideò eſt ibi peccatum Idolatriæ; Nec excuſatur ratione ignorantiæ, habet enim triplex adiutorium, per quod poteſt errorem euitare. Primum eſt præmonitionis Sacræ Scripturæ, in qua multotiès dicitur, quòd multi, in nomine Chriſti venturi ſunt mendaciter; Matth. 24. & Marci 18. Secundum eſt orationis internæ, qua homo debet ad Deum recurrere, vt cor eius dignetur illuminare. Tertium eſt ſuſpenſio credulitatis ſuæ, non enim debet homo omni ſpiritui credere, ſed probare vtrum ex Deo ſint. 1. Ioannis 4. Qui enim citò credit, leuis eſt corde, & fortaſſis etiam inflatus corde, dum ad tales viſiones, & reuelationes idoneum ſe eſſe æxiſtimat. Vndè tales viſiones, vel apparitiones potiùs ſunt formidandæ, quàm deſiderandæ. Narratur de quodam Sancto Patre, quòd cum ei Diabolus in ſpecie Chriſti appareret, ille clauſis oculis dixit, Nolo Chriſtum in hac vita videre, Et Diabolus, humilitate eius confuſus euanuit.

Sic adorans ſub cõditione, quando peccat, & quãdo non.

Si autem adorat ſub conditione, hoc poteſt eſſe dupliciter, Habitualiter, & Actualiter. Si Actualiter, ſic non adorat diabolum, ſed magis Chriſtum, quia non ſtat adoratio, non ſtante conditione, & ad eum refærtur adoratio, ad quem refærtur adorationis implicatio. Si habitualiter, hoc modo, non ſufficit ad vitandum peccatum Idolatriæ reſpectu huius apparitionis.

C

§ *Nonus. Quid dicendum de adoratione reſpectu Sacramenti Eucharistię?*

REſpondeo, quòd ſufficit conditio habitualiter appoſita. Ratio quare hìc ſufficiat, in apparitione veró (vt Superiori §. dictum eſt) non, ea eſt, quia, cum talis transfiguratio ſit inſolita, ideò non debet præcipitanter ſequi adoratio, ſed cum maturitate, & præuia oratione. Sed conſecratio hoſtiæ, quia eſt conſueta, ideò ſufficit, quòd adorans in habitu hanc habeat conditionem, ſi conſecratio videlicet,

delicet, debito modo facta eſt. Vndè pauci, vel nulli fideles in hac adoratione peccant, omnes enim accedunt cum conditione iſta. Vndè, ſi Sacerdos non conſecret, & tamen oſtendat adorandum, quod adorandum non eſt, non peccant, ſi adorant, quia ſufficit eis conditio habitualis, non enim tenentur ſcire, quod ſcire non poſſunt, prauam, ſcilicet, mentem Sacerdotis non conſecrantis. Ideò etſi Sacerdos non conſecrans faciat Idolatrare, quantùm in ipſo eſt, illi tamen non ſunt Idolatræ. A

B

C

F.VIN-

A

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Tractatus Quartus.

De Secundo Decalogi Prȩcepto.

De Secundi Decalogi Præcepti intelligentia. Cap. I.

B

Exod. SEcundum Decalogi Præceptum eſt *Nec iures vana per ipſum*, quod his verbis Exodi 20. num. 7. exprimitur *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà.* Pro cuius intelligentia.

Notandum eſt primò, quòd cum aliqua lex prohibet ne aliquid fiat, ſimul etiam præcipit ea, quæ quiſque facere debet; Vndè, quia in hoc ſecundo præcepto prohibetur, ne Dei nomen in vanum vſurpetur, præcipitur etiam, vt Dei nomen honoretur, & per illud ſanctè, & religiosè iuretur.

Secundò Nontandum, quòd cum præcipitur, vt diuino nomini debitus honor tribuatur, non præcipitur, vt tantùmmodo attendantur ipſius nominis litteræ, & ſillabę, ſed, vt mens, & animus in eam cognitionem

C conijciatur, quidnàm valeat illa vox, quid contineat, quid ſignificet.

Tertiò Notandum, quòd tunc diuinum nomen veneramur, honoramus, & colimus, primò, cum Deum laudamus, ſecundò, cum in hominum conſpectu ipſum Deum, & Dominum noſtrum confitemur, tertiò, cum eum ſicut bonorum noſtrorum auctorem cognoſcimus, ſic etiam prædicamus, quartò, cum eius ſermones, & verba ſtudiosè addiſcimus, legimus, audimus, & religiosè, ac honorificè tractamus, quintò, cum de omnibus rebus, & proſperis, & aduerſis Deo ſingulares gratias agimus dicentes cum Iob, Sit Nomen Domini benedictum, ſextò, cum fidenter eius opem, & auxilium inuocamus, quo nos ab aduerſis liberet, aut ad ea fortiter, & conſtanter perferenda vires largiatur, & conſtantiam, ſeptimò

nomen Dei honoramus, cum fidei faciendæ gratia Deum quaſi teſtem aduocamus; Vndè ſic Deum aduocare, eſt, per Deum ſanctè, & religioſè iurare. A

Quartò Notandum, quod hoc præceptum prohibet ea omnia peccata, quibus Dei nomen polluitur, ea ſcilicet, quæ committuntur contra Religionem; qua, ſcilicet, Religione Dei nomini debitum honorem, & cultum deferre debemus. Quæ omnia redigi poſſunt ad hæc capita. Primò, cum quis malè iurat; Secundò, cum promiſſionem iureiurando firmatam non ſeruat; Tertiò, cum quis Votum malè facit; Quartò, cum Vota facta violat; Quintò, cum quis maledictis, & conuicijs nomen Dei inſectatur; Sextò, cum quis diuinis verbis in Concionibus habitis abutitur; Septimò, cum quis præcationibus ad Deum, vel Sanctos effuſis malè vtitur.

Pecc. quib. Dei nomen polluitur.

Quintò Notandum quod ſenſus huius præcepti *Non aſſumes nomen Domini Dei tui vanum* eſt triplex. Primus, *Non aſſumes in vanum* ideſt pro re nullius momenti, pro re futili, & inani. Secundus, *Non aſſumes in vanum* hoc eſt, fruſtrà, quaſi dicat, ne iures in eius nomine, niſi neceſſitate compulſus. Tertius, *Non aſſumes in vanum* hoc eſt mendaciter, ideſt, Ne iures mendaciter per nomen Dei, quia mendacium, & quicquid eſt falſum, & fictum dicitur vanum, ideſt, Nihil falſi Deo teſte aduocato iureiurando confirmabis; *In vanum* hoc eſt pro vano, pro falſo. B

Tripl. ſeſus ſecundi pręcepti.

S. Antoninus p. 2. tit. 14. cap. 4. §. 3. Sicut per primum præceptum (ait) excluditur vitium ſuperſtitionis, quod opponitur Religionis virtuti ſecundum exceſſum, ne ſcilicet cultus diuinus alteri tradatur, quàm vero Deo, ita per ſecundum præceptum, excluditur vitium irreligioſitatis, quod opponitur Religioni ſecundùm defectum, ne ſcilicet Deus contẽnatur per defectum reuerentiæ; Priùs autẽ eſt, Deum ſuſcipere ad colendum, quàm eum ſuſceptum honorare, & ideo rationabiliter pręmittitur primum pręceptum, quo prohibetur ſuperſtitio, ſecundo, quo prohibetur periurium, & alia pertinentia ad irreligioſitatem, ſeu irreuerentiam Dei. C

S. Antonin.

D. Thomas 22. q. 122. art. 3. docet, quòd quamuis per hoc præceptum propriè, & principaliter, prohibeatur aſſumptio nominis Dei, illa, qua aſſumitur ad confirmationem verbi per modum iuramenti, ex eo quòd illa eſt frequentior apud homines, & præcepta decalogi ſunt de ijs, quæ priùs in occurſum humani generis ſolent accidere, tamen poteſt ex conſequenti intelligi prohibita omnis inordinata aſſumptio Diuini nominis, & ſecundùm hoc reperiuntur diuerſæ expoſitiones huius præcepti. Item quamuis nomina Dei ſint multa, tamen quia reuerentia debetur

V nomini-

A nominibus Dei, ratione rei ſignatæ, quæ eſt vna, ſcilicet, Diuinitas, non ratione vocum ſignificantium, quæ ſunt multæ, ideò ſignanter dicitur in ſingulari.

Vanum dicitur quatuor modis. Primò, Vanum, ideſt falſum iuxtà illud Pſal. vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum, *Vana*, ideſt falſa locuti ſunt. Secundò dicitur vanum, quod eſt iniuſtum, ſeu illicitum, *Eccleſiaſt.* iuxtà illud Eccleſiaſtæ vltimo. Adoleſcentia, & voluptas vana ſunt, ideſt, Adoleſcens voluptuoſus illicita committit. Tertiò, Vanum dici- *Hierem.* tur illud, quod eſt inutile, ſeu indiſcretum, ſecundùm illud Hierem. 5. num. 18. Vana ſunt opera eorum, & riſu digna. Quartò dicitur vanum, *Sapientia.* quod non conſequitur finem ſuum, ad quem ordinatur, iuxtà illud Sapientiæ 13. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, quia non pertingunt ad primam veritatem, ad quã ordinatur omnis ſcientia; Et illud Pſal. Niſi Dominus ædificauerit domũ ſcilicet animæ, & conſcientiæ ædificio virtutum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam, B quia non requirunt eas.

Ad quatuor autem aſſumitur nomen Dei. Primò ad Sanctificationem. Secundò ad confeſſionem. Tertiò ad auxilij impetrationem. Quartò ad dicti ſui confirmationem. Primò modo, cum ſcilicet nominatur ad hoc, vt ſanctificet, ideſt, purificet hominem à peccatis, quod præcipuè fit in Sacramento Baptiſmi, & Pænitentiæ, quæ ordinata ſunt ad purgationem peccatorum, tàm originalis, ſcilicet, quàm actualium. Primo Corint. cap. 6. abluti eſtis, ſcilicet per Baptiſmum, ſanctificati eſtis in nomine Domini, dicit enim baptizans. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vndè Dominus dixit Sacerdotibus Veteris Teſtamenti, Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſrael, ſcilicet inuocando, in collatione Sacramenti eorum, & ego Dominus benedicam eos, ſcilicet conferendo virtutem, & effectum eorum; Sed in vaC num aſſumit in hoc, nomen Domini, qui malè vtitur Sacramentis conferendo, vel accipiendo ea in peccato mortali, quia talis non conſequitur ſanctificationem, ad quam ordinantur Sacramenta, & ſaluationem, ſed culpam mortalem, & damnationem, & ſic in vanum aſſumit nomen Dei *S. Auguſt.* inuocatum. Vndè D. Aug. & refertur 1. q. 1. c. Quod quidam 47. in ord. *1. q. 1. cap.* Sacramenta talia fiunt vnicuiq;, cum quali conſcientia quis accedit. Se*Quod quidã* cundo modo, ſcilicet ad confeſſionem ſumitur nomen Domini, & hoc vel prædicando, vel docendo, vel laudando Deum. Vndè dicitur in pſalmis Cõfitemini Domino, & inuocate nomen eius, & iudicate inter gentes opera eius ſcilicet prędicando, ſicut Paulus, de quo dicit Dominus, vt por*Act. Apoſ.* tet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael. Act. 9. In vanum

num ſumit, qui falſa prædicat, vel docet, vt hæretici, quia non ſequitur fructus ſalutis indè, ad quem ordinata eſt prędicatio. Vndè vna Gloſſa ſuper hoc præcepto, dicit Non dicas, creaturam eſſe, ſcilicet puram, Chriſtum filium Dei, quod Iudæi faciunt. Et talis peccat mortaliter falſa ſcienter prædicans. Sumitur etiam ad laudandum, iuxtà illud Iſaiæ 43. num. 7. Omnem, qui inuocat nomen meum in gloriam meam, creaui eum, formaui eum, & feci eum. Et illud Pſalmi Laudate nomen Domini. In vanum aſſumit, qui illud nomen in cantilenis mundanis, vel (quod peiùs eſt) blaſphemando, & maledicendo. Quòd eſt peccatum mortale, & contra hoc præceptum. Tertiò ſumitur ad auxilij implorationem; Prou. 18. num. 10. Turris fortiſſima nomen Domini, ad eam confugiet iuſtus, & ſaluabitur. Et Hierem. 14. num. 1. Nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. Et ad hoc, vt citiùs aliquis obtineat auxilium, in oratione adiungit votum aliquod. In vanum aſſumit, qui in oratione voluntariè diſtrahitur ad alia, & contra hos dicitur Matth. 15. nu. 8. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, ſine cauſa colunt me. *Sine cauſa*, ideſt, ſine vtilitate; Multò magis in vanum aſſumit, nomen Dei, qui vota facit pro illicitis, vel licita non implet. Quartò ſumitur ad confirmationem dictorum per iuramentum, quãuis enim aliquando iuretur per creaturas aut per Euãgelium, per Fidem, per Sanctos, per corpus ſuum, & huiuſmodi, implicitè tamen aſſumitur nomen Dei, per illa enim iuratur, in quantùm veritas, vel bonitas, aut virtus Dei in illis manifeſtatur. Eſt enim iurare, ſecundum D. Aug. Deum in teſtem inuocare ſuorum dictorum.

A — *Gloſſa.* — *Prouer.* 18. — *Hierem.* — B — *S. Matth.*

Magiſter Sent. in 3. d. 37. Secundum præceptum eſt *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, quod eſt dicere ſecundum literam Non iurabis pro nihilo nomen Dei. Allegoricè verò præcipitur, vt non pures creaturã eſſe Chriſtũ Dei filiũ, quia omnis creatura vanitati ſubiecta, ſed æqualẽ patri.

C

S. Bonauent. ibidem dub. 2. literali. Sicut (ait) per primum mandatum ordinatur homo reſpectu ſummæ maieſtatis, quæ appropriatur patri, ſic etiam per ſecundum ordinatur homo reſpectu ſummæ veritatis, quæ appropriatur filio. Ordinatio autem iſta attenditur in ipſius veritatis confeſſione ſine alicuius falſitatis admixtione, ita quòd nec de ipſa falſum credatur, nec ipſa ad confirmandum falſum aſſumatur. Vndè prohibetur in mandato illo ſecundum literalem ſenſum falſitas inſtationis per nomen Dei, ſecundùm ſpiritualem verò prohibetur falſitas erroris circà fidem veritatis. Et his duobus modis Magiſter in litera exponit ſecundùm literam, & ſecundùm allegoriam. Ad illud, quod objici

V 2 poteſt

Digitized by Google

A poteſt, quòd periurium eſt contra mandatum quintum ſecundæ tabulæ. Dicendum, quòd duo eſt conſiderare in falſo teſtimonio. Vnum videlicet quòd fit iniuria ſummæ veritati, quæ in falſum teſtimonium aduocatur: aliud quòd fit iniuria proximo, qui ex falſo teſtimonio damnificatur. Et ratione primi prohibetur periurium in ſecundo mandato primæ tabulæ: ratione ſecundi in quinto mandato ſecundæ. AD illud quod obijci poteſt quòd vanum eſt illud, quod fruſtra fit. Dicendum, quòd aliquando eſt quid vanum quantum eſt de ſe, & de propria intentione, aliquando eſt aliquid vanum ex accidenti. Tunc autem nomen dei aſſumitur in vanum, quando aſſumitur ad confirmationem alicuius ſermonis falſi: & qui hoc modo aſſumit, peccat contra illud mandatum. Quando vero aſſumitur ad confirmationem alicuius veri, quamuis ſermo ille ſit ociosus, tamen aſſunptio illa non eſt vſquequaque in vanum, quia ordinatur ad hoc, vt quis adhibeat fidem verbo loquẽtis; quam & ſi quis non aſſequatur in al-

B tero, non tamen omninò operatur fruſtra: ſicut nec orator, ſi per compoſitos, & ordinatos ſermones non ſemper perſuadeat verum: tamen frequens iuratio nominis dei, vbi nulla eſt neceſſitas, vel vtilitas expreſſa, nõ omninò caret culpa, immo valde eſt reprehenſibilis, maximè in viris perfectis, ſicut melius patebit infra, cum agetur de iuramento, & periurio vbi clarius manifeſtatur intelligentia huius ſecundi mandati.

Scotus. Scotus in 3. 6. 37. § Ad Quæſt. dico. docet, quod hoc præceptum eſt ſtrictè de lege naturæ, ſicut primum, quia ſequitur neceſſariò, Si eſt Deus, eſt amandus, vt dominus, & nihil aliud eſt colendum tamquàm Deus, nec Deo facienda eſt irreuerentia, & per conſequens in iſtis non poterit diſpenſari, vt, aliquis poſſit licitè facere oppoſitum illius, quod prohibetur; Conſtat autem per Scripturas præceptum expræſſè eſſe, primò, non aſſumere, ſeu vſurpare nomen Dei in vanum, vel fruſtrà, ſecundò non polluere nomen Domini, tertiò non peierare in nomine Domini. Le-

C uitet xix. num. 12. *Non peierabis in nomine meo, nec polllues nomen Dei tui. Ego dominus.* Secundùm Philoſophum autem, Vanum eſt, quod nihil in ſe habet, vndè poſſit rationabiliter referri in aliquem finem honeſtum, & vtilem; Fruſtrà dicitur, quidquid præter neceſſitatem eſt, & fructu caret vtilitatis, nec vllum habet honeſti officium.

D. Thom. D. Thomas 2. 2. q. 89. Obſeruat, quòd nomen diuinum aſſumitur tripliciter ab homine. Per modum iurandi ad propria verba confirmanda; Per modum adiurationis ad alios inducendos; Et per modum inuocationis ad orandum, vel laudandum. De quibus infrà.

Alexander de Aleſ. Alexander de Aleſ. 3. p. q. 31. membro 1. art. 2. Cum dicitur (inquit) *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, Nomen accipitur hic illud,

quo id, quod eſt deus, rationali menti innoteſcit. Vnde. Pſal. 28. Aſferte domino gloriam nomini eius. Gl. Afferat.s, vt ſcilicet, per vos glorioſè innoteſcat. Sed nomen poteſt aſſumi, ſecundum quòd iſtud mandatum ducit ad legem gratiæ: & ſic dicitur hic nomen perſonaliter: & ſic illud nomen eſt filius, per quem innoteſcit tota diuinitas. Vnde Matth. 11. Nemo nouit filium niſi pater, nec patrem quis nouit, niſi cui voluerit filius reuelare; hoc modo dicit Pſal. 71. Ante ſolem permanet nomen eius. Gl. nomen eius filius regis: & illa expoſitio myſtica (non credes Chriſtum eſſe puram creaturam. Vel poteſt nomen accipi, ſecũdum quod hoc mandatum educitur à lege naturæ: & tunc nomen accipitur eſſentialiter: & ſic nomen dei dicitur ipſa veritas, vt eſt nota; quia hæc eſt ratio nominis: nomẽ .n. dicitur, eò quod nota, & ſic accipitur nomen dei in Gl. ſuper illud Exo. 8. Percutiam omnes terminos tuos ranis, &c. nomen domini veritas eſt: ipſe enim dicit, Ego ſũ veritas: qui loquitur veritatem, de deo loquitur: qui autem loquitur mendacium, de ſuo loquitur. A Pſal. 28. Matth. 11. Pſal. 71. Exod. 8.

B Nomen autem in diuinis accipitur, aut ſecundum potentiam, aut ſecundum veritatem, vel bonitatem. Nam ex parte potentiæ eſt ratio vel principium efficientiæ: ex parte veritatis eſt principium certitudinis: ex parte bonitatis principium beatitudinis. Sicut ergo dicimus, quòd efficiẽtia vel cauſalitas eſt ex parte potentiæ: & hæc eſt veritatis, & bonitatis, hoc eſt, inquantùm intentio poteſtatis intrat bonitatem & veritatem: ſicut etiam dicimus, quod bonitatis per ſe eſt allicere; & quicquid allicit, eſt in rationem bonitatis: vndè poteſtas non allicit, niſi quia eſt bona: nec veritas, niſi quia eſt bona. Sic dicimus, quòd intentio nominationis per ſe eſt veritas, quia nominare eſt notum facere, ſeu certificare. Ideo ad veritatem, reſpectu cuius eſt certitudo; pertinet ſe, & potentiam, & bonitatem nominare: vnde eius intentio ſe manifeſtat, & potentiam, & bonitatem. Et ſic licèt ſint nomina potentiæ, & bonitatis; tamen illud præceptum ſolum ad veritatem pertinet: quia nomen non eſt potentiæ, nec bonitatis: niſi inquantùm habent rationem veritatis in ſe.

C Vndè quærenti fortaſsè, An nomen accipiatur ibi perſonaliter, vel eſſentialiter. Patet ſolutio ex dictis: quia prout ducit ad legem gratiæ, perſonaliter accipitur, pro filio: prout verò educitur à lege naturæ: accipitur eſſentialiter pro veritate: debitum enim honoris ipſius veritatis naturaliter eſt inſcriptum menti rationali.

Propriè itaque Nomen Dei in vanum aſſumere nihil eſt aliud, quàm veritatem ipſam in ſuas aſſertiones, & in earum teſtimonium vanè aſſumere. Dupliciter autem eſt aſſumere nomen Dei, eſt enim aſſumere nomen vt nomen, hoc eſt nomen vt veritatem: & eſt aſſumere nomen

A vt virtutem. Ille ergo, qui adiurat, accipit nomen vt virtutem ſcilicet vt aliquid per ipſum agat: ille autem, qui conſecrat, accipit nomen vt bonitatem & gratiam, per quam ſanctificet, ſicut baptizans. Solum autem ille, qui iurat accipit nomen vt nomen, vel vt veritatem: quia ipſum inuocat in teſtimonium ſuæ aſſertionis. Secundum autem propriam intentionem huius præcepti, nomen dei aſſumere eſt, ad aſſertiones ipſam veritatem adducere, ſeu in teſtimonium aſſertionum.

Omnia igitur, quæ ad primum hoc Cap. ſpectant breuiter epilogando dicendum eſt, quòd quàmuis forma huius præcepti ſit negatiua, includit tamē affirmationem, qua iubemur Diuinum nomen religiosè aſſumere. Ly *Vanum* ſumitur quadrupliciter, pro falſo, pro inutili, pro iniuſto, pro ſtulto, ideſt, abſq; conſideratione. Omnibus his modis prohibemur aſſumere nomen Dei. Falsò aſſumit, qui falſum iurat; Inutiliter, qui ſine
B cauſa; Iniuſtè, qui iurat peccare; Stultè, & iniquè, qui blaſphemat, vel ſine
S. Thom. reuerentia nominat. Vide D. Thom. Opuſc. 7. in expoſitione Secundi præcepti. Sed pro plena eiuſdem ſecundi præcepti explicatione, videndum eſt in hoc ipſo Tractatu quæ ad Iuramentum pertinent.

De his, quæ ſpectant ad quidditatem, & eſſe iuramenti.

Cap. II.

C AD dignoſcendum naturam, & quidditatem alicuius rei, noſſe, primum oportet, quid illa res ſit, & quotuplex ſit, ſicut enim quidditas intrinſecum eſſe explicat rei, cuius eſt quidditas, ita & eiuſdem rei diuiſio diſtinctam illius parit notitiam. Cum ergo de ijs, quæ ad quidditatem naturam, & eſſe iuramenti agamus primò videndum eſt de ipſius Iuramenti quidditate, Deinde de illius diuiſione, vt habita ex his clara ſuæ naturæ cognitione, ad ea poſtmodum in ſequētibus Capitibus deueniamus, quæ à Doctoribus diſcutiuntur circa vſum illius, circa obligationem, circa diſpenſationem, & alia omnia, quæ ad huius materiæ plenam notitiam conferunt.

A

Articulus Primus.

Quid ſit Iuramentum.

§ *Primus. De quid nominis Iuramenti.*

VNdè dicatur Iuramentum variæ ſunt Scriptorum rationes, dicunt enim nõnulli, quòd Iuramentum quantùm ad quid nominis, ſiue ethimologiam, dicitur à iure, vel (vt ait D. Aug. ſuper illud Iacobi. 5. *Nolite iurare*) eſt ius reddere deo, quando per deum iuratur, quia, qui vtitur iuramento, ius veritatis reddit deo, cui propriè competit patrocinium ferre veritati, & ſuo teſtimonio veritatem ſtabilire. Vel quia iure introductum eſt, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. vt dicta ſua, & facta homines teſtimonio diuino confirment, quia id, quod iuratur, pro lege habendum eſt, & veluti ius ſanctè ſeruandum; Id, quod etiam Apoſt. ad Hebr. 6. denotare videtur dicens, Iuramentum eſt omnis controuerſiæ finis, ac ſi lege ſancitum eſſet. Quare Iura poſt præſtitum iuramentum, nullam aliã inquiſitionẽ permittunt, quia iniuria alioqui Deo irrogaretur.

5. Iacobus. *S August.* B *S. Thomas.* *Ad Hebr.*

Dicitur etiam Sacramentum, Vnde præcipitur in Iure Ciuili, vt Sacramenta, ideſt, iuramenta puberũ ſpõtè facta inuiolabiliter cuſtodiãtur. Idem præcipitur in Iure Canonico, vt patet 22. q. 4. c. Qui Sacramento, 11. in ord. quia iuramentum, aliquid Religioſum eſt, & actus latriæ, ſiue Religionis, (D. Th. 22. q. 89. art. 4) quo Deo honorem deferimus, quem tamq; veritatem infallibilem adducimus in alicuius rei confirmationem; Iuxtà illud Deut. 6. nu. 13. & 14 *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis*. Et Pſal. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Et Tullius lib. 3. de officijs Iuſiurandum (inquit) eſt affirmatio Religioſa.

22. q. 4. cap. Qui Sacram. *S. Thomas.* *Deuteron.* *Pſal. 62.* *Tull. de offic.*

C

§ *Secundus, De quid rei Iuramenti.*

IVramentum eſt inuocatio Diuini nominis in teſtimonium. Quæ inuocatio in eo conſiſtit, vt iurans quantùm in ſe eſt, velit & cupiat, Deum manifeſtare id, quod iuramento confirmat, tamq; id, quod eſt ab ipſo Deo ſcitum, ac verum, ſiue in hac vita, ſiue in alia.

Dupli-

A Dupliciter autem dici poteſt iuramentum Diuini nominis inuocatio, ſcilicet expreſsè, & tacitè. Expreſsè, vt cum per Deum ipſum expreſsè iuratur; Tacitè cum iuratur per creaturas, quatenùs in ipſis Deus relucet.

Alij ſic diffiniunt. Iuramentum eſt affirmatio, vel negatio affirmata atteſtatione ſacræ rei. Vel eſt actus, quo Diuinum nomen adhibemus cauſa faciendi fidem, nam cum iuramus, Deum inuocamus, quaſi teſtē eius, quod dicimus. Ideò ad iuſiurandum ſufficit atteſtatio rei, quæ verè ſit ſacra, aut quæ apud homines talis habeatur, hoc eſt, quæ reuera, vel hominum opinione ſit ſacra; Vndè cum homines Ethnici per idola, & falſos deos iurant, verè iurare cenſentur, quia apud eos pro veris dijs habentur; Et licèt creatura res ſacra non ſit, per eam tamen iuramus, quia eam adhibemus in teſtem, tamq; aliquid, in quo Dei veritas relucet. Vndè, cum iuramus per creaturas, non iuramus propter ipſas, ſed
B propter Deum, qui in ſuis creaturis relucet, & ita creaturam teſtem aduocamus, tamquàm aliquid Dei. Omne igitur iuramentum habet Deū, vt teſtem expreſsè, vel tacitè, ſeu occultè, & implicitè.

Nonnulli hoc modo explicant, quid ſit Iuramentum. Iuramentum eſt alicuius rei affirmatio, vel negatio adducendo Deum, quantùm in ſe eſt, in teſtem, tamq; infallibilem veritatem. Vndè habemus, quòd ad eſſentiam iuramenti requiritur, vt Deus inuocetur, vel expreſsè, vel tacitè, ideo non eſt iuramentum, niſi Deus ſic, vel ſic inuocetur.

Sunt etiam aliqui, qui talem aſſignant diffinitionem. Iuramentum eſt dictum, per Diuinam atteſtationem confirmatum. Quare iurare eſt Deum in teſtem aſſumere, & hoc fit dupliciter, vel expreſsè, cum ſcilicet per Deum iuramus, vel tacitè, vt cum iuramus per creaturas, in Deum relatas, vt per Euangelia, &c. Vndè habemus, quòd iuramentū fuit introductum ad confirmationem veritatis, nàm humanum teſtimonium eſt inſufficiens, tùm defectu ſcientiæ, tùm veritatis, Deus autem
C non poteſt mentiri, & omnia nouit.

Toletus. Toletus libro 4. capite 20, Iuramentum (ait) eſt inuocatio Diuini teſtimonij, in dicti alicuius confirmationem. Homines non ſemper fidem adhibent dictis, & promiſſionibus aliorum hominum ſimplici verbo affirmantium, negantium, aut promittentium, ob id, ſi Deum in teſtem eorum, quæ affirmant, vel negant, & in fideiuſſorem eorum, quæ promittunt, adducunt per ipſius inuocationem, talis inuocatio dicitur iuramentum. Fuit autem iuramentum hoc neceſſarium homini propter malum pænę, quod per peccatum incurrit, quia enim peccauit homo, perdidit creditum, & fidem, quæ ſimplicibus dictis ſuis adhibebatur, ob

id

Digitized by Google

A

ſed Deus prouidit illi iuramenti remedium, vt quod ei ablatum erat per peccatum ſuppleretur per iuramentum, in quo vnà cum homine Deus inuocatur in teſtimonium veritatis eius, quæ profærtur. Sic intelligitur illud Matt. 5. *Sit Sermo veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*, ideſt, quod additur ſimplici affirmationi, vel negationi, puta iuramentum, à malo pænæ eſt, quam homo per peccatum incurrit, vt ibi D. Aug. interpretatur. Meritò ergo Deus inuocatur in Iuramento, quia Deus eſt ſumma veritas, quæ nec fallet, nec fallitur, nec poteſt fallere, aut falli.

Matth. 5.

S. Auguſt.

Articulus Secundus.

Quotuplex ſit Iuramentum?

B

EMinentiſs. Cardinalis Caietanus 22. quæſt. 89. articulo primo. De Iuramento loquens, dupliciter (inquit.) poteſt conſiderari iuramentum, formaliter ſcilicèt, & materialiter. Formaliter omne iuramentum vnius modi eſt, nec per conſequens multiplex eſt, quia in omni iuramento Diuinum teſtimonium inuocatur, in quo ratio formalis iuramenti conſiſtit. Ita quòd ſi formaliter conſideretur fruſtrà quæritur, quotuplex ſit iuramentum, cum in omni eadem formalis ratio reperiatur. Materialiter verò, ſecundùm varios reſpectus vti quemultiplex eſt.

Caietanus.

§ *Primus. De varijs diuiſionibus Iuramenti.*

C

PRima ſui diuiſione, diuidi poteſt iuramentum in Iudiciale, & Extraiudiciale. Iudiciale eſt quod deſærtur in iudicio, & hoc aliquando dicitur iuramentum de calumnia, quo ſcilicet quis iurat pro bona fide, non autem animo calumniandi, cauſam mouet, vel reſpondet, ſeu aliquid proponit; Vndè calumnia eſt falſa petitio, vel iniuſta repulſa facta ſcienter. Quod iuramentum non ſolùm debet eſſe de præterito, ſed etiam de futuro. Aliquod dicitur ſolùm iudiciale, & dicitur quis iurare litem, ex eo ſcilicet, quòd propter litem, ſiue propter rem in lite, ideſt in iudicio petitam, præſtatur; Hinc eſt, quòd aliquando datur a iudice, quando deficientibus probationibus, habens alijs præcedentibus

Iuramentū iudiciale.

Calumnia. quid ſit.

A vnum teſtem, vel famam pro aliquo compellit cum iurare ſuper quo eſt fama. Iuramentum hoc dicitur neceſſarium quia pars cui defertur à Iudice, ſine cauſa illud non poteſt recuſare. Cap. fin. de Iureiur. Aliquãdo dicitur Deciſorium, quia præſtatur ad deciſionem litis, & aliquando iſtud deciſorium datur à parte parti, & tunc recuſari poteſt, dicto Cap. fin. delatum verò à Iudice, ſine iuſta cauſa recuſari non poteſt. Extraiudiciale, ideſt extraiudicium præſtitum dicitur volũtarium, quia voluntariè fit; Hoc eſt duplex, Aſſertorium, & Promiſſorium. Aſſertorium eſt, quod aſſumitur ad aſſerendum, vel negandum prætetita, & præſentia. Promiſſorium, quod aſſumitur ad confirmandum aliquid futurum, & hoc fit dupliciter, Simpliciter videlicet, & Execratoriè.

Cap. fin. de iurieur.

Iuramentũ extraiudiciale.

Poteſt enim dupliciter conſiderari Iuramentum, ſeu reſpectu duorum, Vno modo reſpectu veritatis, ſiue enunciationis, ad quam confirmandum adhibetur, ſecundò reſpectu modi proferendi, ſeu exteriùs ſignificandi inuocationem illius diuini teſtimonij. Si primo, ſcilicet reſpectu Veritatis eſt duplex. Promiſſorium, & Aſſertorium. Dicitur Aſſertorium reſpectu veritatis præſentis in promiſſione incluſæ, quæ eſt, quòd promittens habeat verum animum implendi iuramentum; Promiſſorium autem eſt reſpectu veritatis futuræ, & quia ad hanc promiſſionem ſtabiliendam potiſſimùm ordinatur, dicitur potiùs, & abſolutè Promiſſorium. Si ſecundo modo ex parte, ſcilicet modi proferendi eſt duplex, quoddam dicitur Conteſtatorium, ſeu ſimplex, quod per ſimplicem conteſtationem fit, nempè, cum ſimpliciter vocatur Deus in teſtem, Exemplum, vt cum dicitur, Teſtor Deum, Iuro per Deum, per Euangelia, &c. Alterum dicitur Execratorium, ſeu Impræcatorium, & eſt tunc, quando verba iuramenti non immediatè ſignificant inuocationem Dei in teſtem, ſed voluntatem, quia iurans, ſe, vel ſua diuino iudicio offert, vt in eis Deus iniuriam ſibi illatam vlciſcatur, ſi falsò illius teſtimonium inuocatur, & ita Deus in hac forma iurandi adducitur pariter in teſtem veritatis, & in iurantis vindicem, ſi ita non fit; Vndè in hoc iuramento inuocatur officium iudicis, ſeu vindicis ſub ratione teſtis, quippè ad hoc imploratur punitio, vt teſtetur. Ad veritatem autem, aut falſitatem huius iuramenti Execratorij nihil refert, quod iurans credat, ſiue non, quòd Deus ſumat vindictam, cui ſe offert, & ſiue velit, vel nolit ſumere, quia diuinum teſtimonium non adducitur ad confirmationem veritatis, vel voluntatis de ſumenda illa vindicta à Deo, ſed in confirmationem alicuius alterius veritatis, quam quis per illius vindictæ impræcationem confirmat. Cæterùm, quando falſa eſt aſſertio, in cuius confirmationem iuratur, non admictitur duplex culpa, periurij ſcilicet, & execrationis,

B

Iuramẽtum Aſſertoriũ Promiſſoriũ

Cõteſtatoriũ

Execratoriũ

C

tionis, ſed eſt tantùm vna culpa periurij. Nauarrus cap. 12. num. 1. A

Iſta duo tamen iuramenta, Aſſertorium, ſcilicet, & Promiſſorium nullo pacto ſpecie differunt inter ſe, quandoquidem ad ſpecificam iuramenti rationem intrinſecam, formalem, quidditatiuam, & eſſentialem ſolummodo ſpectat (vt iàm innuimus) quòd Deus in teſtē adducatur, quod autem teſtetur ſuper prçterito, prçſenti, vel futuro, ex quo ſumitur differentia materialis, & accidentalis iuramenti Aſſertorij, & Promiſſorij, prout dictum eſt, ſpecificam iuramenti naturam non mutat, nec variat; Sunt enim huiuſmodi conditiones præter intrinſecam, formalem, & eſſentialem eius naturam, & quidditatem, ſed accidentia tantùm, ſeu etiam modi, quæ omnia, talia ſunt, vt nullo pacto naturam, & quidditatem rerum variare poſſint. Quæ eſſentialiter, & quidditatiue conſtituunt, ea ad formalitatem, & intrinſecam ſpectant rationem, & ea ad ſpeciei conſtitutionem, & diffinitionem pertinent, ſæcus verò, quæ alio pacto ſpeciei, aut diffinito conueniũt. Ita ſecundùm proportionem in alijs diuiſionibus. *Nauarr.*

B Item Iuramentum eſt duplex, Simplex, & Solemne. Solemne quod certa iuris forma præſcripta adhibetur, vt fiat coram teſtibus, tacto Euangeliorum libro, &c. Simplex, quod caret omni ritu, & formula ſolemni iuris. Omne autem iuramentum, quibuſcumq; verbis fiat, & quocumq; modo, ſiue per execrationem, ſiuè per ſimplicem conteſtationem, ſiuè aſſertorium ſit. ſiue promiſſorium, ſiue iuretur per Deum, ſiue per creturas, ſiue tactis Euangelijs, ſeu Altari, ſiue non tactis, eſt eiuſdem ſpeciei in ratione iuramenti. Dixi *in ratione iuramenti*, quia, ſi iuramentum ſit ſimul blaſphemia, vt per Vitam Dei, tunc erit alia ſpecies blaſphemię neceſſariò aperienda in Confeſſione; Similiter ſi periurium ſit iudiciale, erit neceſſariò fatendum. *Solemne. Simplex.*

Poſſunt etiam Iuramenti differentiæ ex quinque capitibus ſumi Primò ex parte obiecti, & ſic diuiditur in Aſſertorium, & Promiſſorium. Secundò ex parte illius, per quem iurantur, & ſic diuitur in Iuramentum per Deum, & Iuramentum per creaturas in Deum relatas; Et hoc dupliciter fit, vel per ſimplicem atteſtationem, vel per execrationem, quod, ſi non referatur in Deum, ſed per ipſas creturas aliquis iuret, tamquàm per Deum, eſt blaſphemum iuramentum, & Idolatria, vt per Solem, Lunam, Iouem, &c. Tertiò ex modo iurandi, & hoc modo diuiditur multipliciter ſecundùm quod variæ ſunt formæ iurandi, de quibus in ſequenti §. Quartò diuiditur iuramentum ex parte cauſæ, ideſt, eius, qui iurat, & hoc modo diuiditur in liberum, & coactum, in prudens, & incautum, in ſincerum, & doloſum Quintò diuiditur in iudiciale, & extraiudiciale, de quibus dictum eſt ſuprà. C

Digitized by Google

A

§ Secundus. *De Formulis Iurandi.*

QVàmuis iurandi formulę tot eſſe poſſint, quot reperiri valent ab
his, qui iurant, iiſq́ue vtuntur, vt tamen ad methodum aliquam
omnes, quantùm fieri poteſt, reducamus ſecundùm Doctorum, &
Summiſtarum animaduerſiones, in ſex potiſſimùm capita huiuſmodi
iurãdi formulas reijcere conabimur, quatenùs his inſpectis capitibus, de
omnibus ritè, rectèq; Confeſſarius iudicare queat. Primò igitur iurat, qui
dicit Viuit Deus, vel dominus, & Deus ipſe iurat *Viuo ego*. Ad hanc for-
mam reducitur illud, coram Deò loquor, & Deus ſcit. Hæc autem
verba poſſunt ſumi vel enunciatiuè, vel inuocatiuè; Si enunciatiuè, non
ſunt iuramenta, ſed ſenſus eſt, ita dico verba mea, quæ Dei ſcientię ſub-
B micto, qui nouit, quid verum ſit; Si inuocatiuè, ideſt vocando ſcientiam
S. Ioann. Dei in teſtimonium, tunc ſunt iuramenta, quà propter Ioannis 21. cum
Petrus dixit, Tu ſcis domine, quia amo te, iurauit, ſed, ſi enunciatiuè
dixiſſet, non iuraſſet. Secunda forma iurandi expreſsè eſt, Teſtor Deum,
Teſtis eſt mihi Deus, & ad hunc modum reducitur illud, Veritatem dico
Ad Rom. in Chriſto Ieſu ad Rom. 9. Tertia forma eſt, expreſſo verbo iurandi, vt
Geneſis. iuro Deum, per Deum. Gen. 22. Per memetipſum iuraui, ſimiliter,
ſi quis dicat Per Deum, per Sanctos, per Euangelia, ommiſſo ver-
bo iurandi, immò, etiam forma verborum ſeu prolatione, quando
quis rogatus, vel iuſſus tangit manu Crucem, vel librum Euange-
Silueſter. lij, vel ex vſu Italorum quemlibet librum, vel pectus & intendens iura-
re, vel annuens, verè iurat. Silueſter. verbo. Iuramentum. Quarta
Sotus. forma, eſt potius blaſphemia, vt Voueo Deo, non credo, discre-
do, nego. Sotus. Similiter per modum iurandi, vt per Vitam Dei,
corpus, & per corpus, & eius membra. Silueſt. vbi ſupra. Quinta forma
C eſt, Per fidem meam, In Veritate dico; & tunc ſi intelligit fidẽ humanam,
non eſt iuramentum, ſi autem fidem Chriſtianam, & Veritatem Dei, eſt
iuramentum; Similiter, cum dicitur, in fide boni Chriſtiani, vel religioſi.
Nauar. cap. 12. num. 2. Sic perpendenda eſt intentio iurantis; Similiter
per habitum Sancti Franciſci. Sunt tamen vitanda huiuſmodi iuramenta.
Sexta forma, In Conſcientia Ita eſt; Si teſtificatur per animam ſuam eſt
iuramentum, ſi verò intelligat profærens ſe ita ſentire in animo, non eſt
Sotus. iuramentum, propterea rectè dicit Sotus, quòd per conſcientiam aſſerere
eſt iuramentum, non autem, in conſcientia. Septima forma eſt, Per

vitam meam, per vitam domini mei, vt Ioſeph Gen. 42. & hoc eſt iuramentum execratorium. A

Huiuſmodi verò iurandi formulæ ſunt triplicis generis; Aliæ ſunt, quæ ſecundùm omnes habent vim, & rationem iuriſiurandi; Aliæ ſunt, de quibus dubitatur, an contineant iuſiurandum; Aliæ ſunt, quæ ſunt coniunctæ cum maledicto Dei, ideſt cum blaſphemia.

Formæ primi generis, ideſt certæ, & exploratæ iurandi ſunt, quibus aliquid aſſerimus, negamus, vel promittimus Dei teſtimonium tacitè, ſiue occultè, vel expreſsè adducendo; Item illæ, quibus per execrationem aliquid affeueramus, habent certam formam iurandi. Formę ſecundi generis, ſcilicet, de quibus dubitatur an contineant iuſiurandum ſunt, Deus ſcit, Deus videt, vel audit, me verum aſſerere, Teſtor, vel dico coram deo, item, In anima mea, In Vita, In ſalute, & conſcientia mea, in fide mea, aut In fide boni, ingenui, & Chriſtiani viri, & cætera huiuſmodi. De formis tertij generis, quæ coniunctæ nimirùm ſunt cum blaſphemia dicendum eſt ſuo loco. B

Nauarr. Nauarrus Capite 12. Manual. numero. 3. Simpliciter, & abſolutè aſſerit iuriſiurandi vim continere hos tres iurandi modos Deus ſcit, vel audit quod dico, vel coram Deo dico, & Teſtis eſt mihi Deus. Caietanus 2. 2. q. 89. a. 5. & 6. & Sotus diſtinguunt, Si dicantur tantùmmodo in modum enunciationis, iuriſiurandi vim non habent, ſi proferantur in modum inuocationis, iuſiurandum continent. Alijs videtur, quòd huiuſmodi iurandi formulæ iuriſiurandi rationem habent apud eos homines, apud quos in more poſitum eſt, vt accipiantur tamquàm modi iuriſiurandi vim habentes; Item, ſi iuxtà ſententiam eorum, qui huiuſmodi loquendi formalis vtuntur, iuriſiurandi rationem contineant, præter ſi ea, quæ his formulis nominantur, adducantur, in teſtimonium, tamquàm res, in quibus deus honoratur, & colitur, vt auctor omnis veritatis; Poſtremò, ſi nihil horùm adfuerit, tunc is, qui eſt à ſacris Confeſſionibus de iſtis formulis iudicare debet ſecundùm communem Doctorum ſenſum. *Caietanus.* *Sotus.* C

De iſtis verò formulis, videlicet in fide mea, per fidem meam in fide, vel per fidem boni, ingenui, nobilis, Chriſtiani, vel religioſi viri, Niſi Chriſti fides intelligatur, iuriſiurandi vim non habent. Eſt communis Caietani, Nauarri, Siluestri. Quia eorum verborum ſenſus eſt, hoc dico, vel refero ea fide, quæ haberi ſolet Viro Nobili, ingenuo, Chriſtiano, religioſo. Iſtæ verò *Siluester.*

formæ

A formæ in vita mea, ſalute, anima, aut conſcientia mea, ſecundùm multos continet vim iurandi, quia ly *in*, idem valet, quod per, cum dicitur per animam, Vitam, &c. at in his continetur iuſiurandum; Ergo in illis.

Dubium. Dubitari verò poteſt de iſtis formis, quas inter loquendum frequenter adhibemus, videlicet, Certè, profectò reuera, ita eſt. Ad quod negatiuè *Reſolutio.* reſpondetur. Et cum præterea dicimus in Veritate, aut per veritatem, iuſiurandum non continent, dummodo in animo non ſit iurare per Deum, qui eſt prima veritas, aut per veritatem cuius auctor eſt Deus, quia tunc per creaturam iuramus.

Dubium. Dubitari etiam poteſt de his alijs formis. Sicut Deus eſt Veritas, aut, Sicut eſt filius B. Virginis, itá eſt verum, quod dico, aut, Sicut euangelia ſunt vera, itá verum teſtor, aut, Sicut S. Franciſcus eſt innocens, itá, ego *Solutio.* ſum mundus, & purus. At ſi huiuſmodi verba ſignificent, quòd tanta eſt veritas in dictis noſtris, quanta eſt in Deo, aut in Euangelijs, aut tanta B integritas, quanta in B. Virgine, in D. Franciſco, ſunt cum blaſphemia coniuncta; Si verò continēt ſimilitudinem quandam, nimirùm, hoc, quod dico, modo quodam eſt verum, ſicut Deus ſua natura eſt vnus, tunc manifeſtè blaſphemiam non continent; quoniam nec diuinæ veritati, nec Sanctorum innocentię noſtram æquamus. Cauendæ tamen ſunt.

De Vſu Iuramenti. Cap. III.

PRimum quod in præſenti Capite ſe nobis offert, eſt difficultas illa non parui momenti an Iuramenti vſus licitus ſit, & quomodo, & quando, quibuſue modis licitus, vel illicitus. Secundum verò, quinam ſint, ac eſſe debeant comites Iuramenti ad hoc, vt eius vſus licitus ſit. Duoque proinde erunt Capitis iſtius articuli.

C

Articulus Primus.

Vtrum liceat iurare,

Siue

Vtrum Iuramenti vſus ſit licitus.

HVius difficultatis origo eſt, quia ex vna parte videtur negatiuè di-*S. Matth.* cendum, nàm Matthei 5. ſimpliciter prohibetur omne iuramentū.

Ego

Ego autem dico vobis, non iurate omnino, Et Iacob. 5. *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; alind quodcunque. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non.* A *D.Iac.Epiſt.*

Ex alia parte videtur dicendum affirmatiue, quia Deuter. 6. habetur *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſoli ſeruies, & per nomen illius iurabis*. Ex quo loco colligunt Doctores, quòd iuramentum eſt actus Religionis, ſeu latriæ, quoniam, qui iurat, teſtimonium Diuinum inuocat, ad confirmandam veritatem, non poteſt autem aliquid confirmari, tamq; certum, & verum, niſi per aliquid certius, & verius iuxtà illud Philoſophi 1. Poſt. c. 2. Propter quod vnumquodq; eſt, & illud magis. Si igitur iurando, inuocatur Deus in teſtem veritatis, ergo ipſum Deum, tàmq; veritatem primam, & infallibilem profitemur, iuxtà illud ad Hebr. 6. Homines per maiorẽ ſe iurant. Et D. Hyeronim. in Matth. 5. Qui iurat, aut veneratur, aut diligit Deum, per quem iurat. *Deuter.* *1.Poſt.2.* *Ad Hebr.6.* *S.Hyeron.*

B

§ *Primus. Quidnam falsò ſentiant nonnulli Hæretici de Vſu Iuramenti?*

OB illa loca Sacr. Script. in quibus videtur interdici iuramentum, quidam hæretici, vt Manichei, teſte D. Bouauent. in 3. Sent. d. 39. art. 2. q. 1. & Apoſtolici, teſte D. Bernardo Homel. 6. in Cantic. Vvaldenſes, teſte Guidone Carmelita, & Alphonſo de Caſtro de hæreſ. lib. 8. verb. Iuramentum. Fraticelli, teſte Turre cremata, lib. 4. de Sũmam Eccleſ. p. 2. cap. 37. Vuicleph. errore 43. ex Conc. Conſtantienſi, ſeſſ. 8. Anabaptiſtæ, teſte Cocleo. Contra eoſdem, & Catariſtæ. Hi omnes aſſerunt, quòd ità Chriſtianis eſt interdictum iuramentum, vt illis nulla ex cauſa liceat iurare. *S.Bonauent.* *S Bernard.* *Guid. Carm.* *Alphonſ. de Caſtro.* *Turrecrem.* *Conc.Coſtãtienſ.* *Cocleus.*

§ *Secundus. Quid ſentiendum ſit in hac re iuxtà Catholicam veritatem?*

C

PArs affirmatiua eſt tenenda tàmquàm vera, & de fide. Probatur primò auctoritate Sacræ Script. Habetur enim Pſal. 63. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Et notat D. Hyeron. ſuper illud Ezecchielis 16. Viuo ego, dicit Dominus. Quòd Chriſtus totiès iuraſſe cenſetur, quoties dixit *Amen. Amen.* Inquit D. Hyeron. Iuramentum Dei in Veteri lege erat, *Viuo ego*, in Noua verò, *Amen*, *Amen*, & Pſal. 109. Iurauit Dominus. Et Apoſtolus ad Rom. 1. iurauit Teſtis eſt mihi Deus. Et 2. ad Cor. 1. Teſtem Deum inuoco, & alibi. Patres hoc confirmant, Doctores *Pſal. 63.* *S.Hyeron.* *Ezechiel.* *Pſal. 109.* *Ad Rom.* *Ad Cor. 1.*

Digitized by Google

A ctores Scholaſtici in 3. Sent. diſt. 39. D. Thom. 22. q. 98. Alenſis p. 3. q. 31. num. 2. art. 3. D. Anton. p. 2. tit. 10. c. 3. §. 2. Summiſtæ verb. *Iuramentum*. Nauarrus in Man. cap. 12.

Scolaſtici. *S. Thom.* *Alex. de Al.* *S. Antonin.* *Summiſtæ.* *Nauarr.* *Conc. Nicen.* *S. Auguſt.* *C. Et ſi Chriſtus.* *De Iureiur.* *S. Bonauent.*

Pars negatiua damnata eſt in Sacris Conc. tum in 1. Conc. Generali Niceno 1. tum in Conc. Conſtantienſi, ſeſſ. 8.

Ad auctoritatem Euangelij Matthei 5. quam pro ſe adducunt Hæretici Reſpondetur ex D. Aug. lib. 19. Contra Fauſtum c. 23. & lib. de Mendacio, c. 15. Et ex Innocentio III. lib. 2. Decretal. tit. de iureiurando, c. Et ſi Chriſtus, 26. in ord. Quòd Chriſtus non prohibuit ſimpliciter omnem modum iurandi, ſiue per Deum, ſiue per creaturas, ſed infidelitatem, & temeritatem iurandi, ſiue per Deum, ſiue per creaturas, ne ſcilicet paſſim, aut ex leui cauſa iurarent, ne ex facilitate iurandi, veniatur ad conſuetudinem, & à conſuetudine cadatur in periurium. Diuus Bonauentura. Ex Diuo Auguſtinus. Iuramentum (inquit) non fuit prohibitum propter ſe, ſed propter aliud, propter vitandum ſcilicet periurium; Voluit Chriſtus ibi refellere duos errores Iudæorum, exiſtimabant Iudæi, non eſſe iuramentum iurare per creaturas, quia audierant *reddes domino iuramenta tua*, Item credebant, quòd ſolum iuramentum falſum eſſet peccatum, & ita, dummodò non iurarent falſum, quamuis paſſim, & pro nulla cauſa iurarent, arbitrabantur, ſe non peccare. Hos igitur errores refellit Chriſtus illis verbis *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis, Ego autem dico vobis non iurate omninò*, ideſt nullo modo iurandum eſſe ſine neceſſitate neq; per Celum, neq; per terram. Ex quibus verbis conſequens eſſe videtur non eſſe iurandum per Sacramenta, quia vaſa ſunt gratiæ Dei, & vberrima nostræ ſalutis ſubſidia, neq; per Euangelium, quoniam Verbum Dei eſt, & pabulum vitæ, neque per nomina plagarum, quia inſtrumenta ſunt vindicantis iuſtitiæ Dei, neq; per vllam omninò creaturam, quoniam omnia ſubſeruiunt voluntati diuinæ non minùs, quàm terra, quę dicitur ſcabellum pedum eius, neq; per Cælum, quia tronus Dei eſt, neque per Hyeroſolimam, quia Ciuitas eſt Regis magni, neque per caput tuum, quia non potes vnum capillum facere album, aut nigrum, neque, &c. Significans etiam per creaturas fieri iuramentum.

B

C

Notandum verò eſt, quòd quædam prohibentur, quia per ſe mala ſunt, vt furtum, Adulterium, &c. Quædam verò prohibentur ex cauſa, non quia per ſe mala, ſed quia, ſi fiant fræquenter, & paſſim, ſequuntur inde mala, vt, exempli gratia, Vinum non eſt per ſe malum, & tamen ad Epheſios 5. habet Apoſtolus Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, iuxta illud D. Hyeronimi Venter mero æſtuans, facilè deſpumat in libidinem.

Ad Epheſ.

dinem; Sic & Iuramentum per ſe malum non eſt, cum introducitur ex fine bono, ad terminandum, ſcilicet, controuerſias: Ad Hebr. 6. & bono principio procedat, ex exiſtimatione, videlicet, quæ habetur de diuina infallibili veritate, quam credimus, eſſe ſummam, & infallibilem, & omnium rerum habere notitiam; Quia tamen ex frequenti, & incauta iuratione naſcitur ſæpè periurium, iuxtà illud Eccleſiaſtici 23. num. 12. Vir multùm iurans implebitur iniquitate, ideò iuſtis de cauſis prohibetur iuramentum omne ſiue per Deum, ſiue per craturas, ne, ſcilicet abſque cauſa iuretur. Vnde Eccleſiaſtici 23. num. 9. Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illo. A *Eccleſiaſt.* *Idem.*

§ *Tertius. Quidnam neceſſarium ſit ad Iuramentum, vt actus bonus, & licitus ſit, vel illicitus.*

B

VT cognoſcamus quomodo iuramentum licitum, vel illicitum ſit, obſeruandæ ſunt circumſtantiæ, quæ ad hoc dignoſcendum, principaliter deſumuntur ex perſona, ex re, ex fine, ex cauſa, ex modo, ex tempore. Vnde Verſus.

Quis? Cui? Quod? Per quod? Ad quid? Cur? Quomodo? Quando?

Per *Quis* intelligitur perſona iurantis. Hinc nota, quod in iuramento conſiderantur duo Vnum ex parte Dei, cuius teſtimonium inducitur, Alterum ex parte hominis, cuius dictum iuramento confirmatur. Ex parte Dei, Iuramento debetur maxima reuerentia, & propter hoc in iudicio Iuramentum interdicitur pueris, & puellis ante annos pubertatis, maſculis ante quartumdecimum, fœmellis ante duodecimum, quia ante non habent perfectum rationis vſum. 22. q. V. cap. Paruuli, Cap. Pueri. Cap. Honeſtum. 14. 15. & 16. in ordine. *22.q.5.cap. Paruuli.Pueri.Honeſtū.*

Ex eodem quoque capite reuerentiæ, quæ iuramento debetur ex parte dei, cuius teſtimonium adducitur repelluntur à Iuramento Periuri dicto Cap. Paruuli. Verba textus ſunt. Et, qui ſemel peieratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtat. Ratio eſt, quia Periuri ex retroactis, præſumitur, quod debitam reuerentiam iuramento non adhibeant. C

Ex parte verò hominis, cuius dictum iuramento confirmatur, interdicitur Clericis, Sacerdotibus, & Prælatis iurare in iudicio, non quia non poſſint iurare (immò in quibuſdam caſibus iurare debent) ſed quia ſine graui, & vrgenti cauſa, ac neceſſitate exigi non debet ab illis iuramentum in iudicio, aut in contractibus, ſicut à laicis, quia in eis præſumitur

A iuſtitia conuerſationis ob perfectionis ſtatum, exigitur enim iuramentum quia dubitatur de veritate eorum, quæ dicuntur, quod Eccleſiaſticarum perſonarum dignitati derogat.

Per *Cui* denotatur in cuius manibus ſit iurandum. Contingit enim iurare in iudicio, & extra iudicium. In iudicio quilibet iurare debet Iudici competenti, ideſt, in manibus competentis Iudicis. Extra iudicium, & priuatim, cuicumque poteſt homo iurare, ideſt in manibus cuiuslibet.

Per *Quod* denotatur cauſa iurandi. Hinc habetur, quòd iuramentum fieri poteſt pro omni re licita, & hone ſta, pro re autem turpi, illicita, vel iniuſta, iuramentum factum non valet Cap. Pactiones. de Pactis. vltimo in ordine. Vbi habetur, quòd iuxtà legitimas ſanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de iure, vel de facto nullam obligationem inducit. Idem in iuramento.

De Pactis c. Pactiones.

Per ly *Per Quod* denotatur, quòd iuramentum, cum ſit actus latriæ, per ſolum deum fieri debet, per creaturas autem, non, niſi ad Deum relatas, hoc eſt quatenùs in eis relucet diuina veritas.

B

Per *Ad quid* denotatur finis, propter quem iuramentum licitum, vel illicitum redditur, quia ex fine licito, iuramentum efficitur licitum, & econtrà illicitum, quando finis illicitus apponitur, quia, cuius finis bonus, vel malus erit, ipſum quoq; bonum, vel malum erit. Quod verum eſt tùm de Aſſertorio, tùm de Promiſſorio.

Octo autem modis Aſſertorium iuramentum vitiari poteſt, prout octo ſunt genera mendacij. Primò, cum quis iurat falſum contrà fidem, & ſapit hæreſim. Secundò, cum iurat falſum contrà proximum, vt eum iniuſtè lædat ſine ſui, aut alterius vtilitate, vt cum proximo malum imponit in iudicio, aut falſum teſtificatur contrà illum in aliqua re. Tertiò, cum falſum iurat, vt alicui proſit contrà alterum. Quartò, iurando falſum ex ſola delectatione mentiendi. Quintò iurando falſum complacendi cauſa ſine alteriùs præiudicio, ſed ſolùm, vt illi complaceat. Sextò, iurando falſum, vt alicui proſit ſine alteriùs offenſione. Septimò iurando falſum, vt multùm alteri proſit. Octauò iurando falſum, vt ſeipſum à malo liberet.

Quot, et quibus modis vitiatur iuramẽtum aſſertorium.

C

Promiſſorium autem iuramentum illicitum redditur, quando quis aliquid licitum promittit ob malum finem, puta, cum promittit aliquid puellæ, vt ſibi conſentiat, &c.

Per *Cur* denotatur cauſa concomitans, quæ ſi turpis fuerit, iuramentum redditur illicitum, quale fuit iuramentum Herodis propter ſaltationem puellæ. Item iuramentum illorum, qui iurant ad inuicem alicuius delicti ſocietatem.

Per

Per *Quomodo* explicatur modus, quo iuramentum illicitum redditur, puta, ſi per vim, aut timorem aut ex inconſulto iracundiæ calore iuratur. A

Per *Quando* denotatur tempus. Per tempus enim Iuramentum redditur etiam illicitum. 22. q. 5. cap. Decreuit. 17. in ordine. *22. q. 5. cap. Decreui.*

Articulus Secundus. De Comitibus Iuramenti.

DIuus Bonauentura in 3. ſent. d. 39. art. 2. q. p. dub. p. literali. Ad tria comparat Iuramentum. Ad iurantem, à quo procedit; Ad rem, de qua fit; Ad cauſam, pro qua fit. Per comparationem ad eum, à quo ægreditur, & procedit, debetur ſibi iudicium. Secundùm comparationem eius ad rem, de qua fit, debetur ſibi veritas, vt ſit adæquatio rei, & ſermonis. Secundùm comparationem ad cauſam de qua fit, debetur ſibi iuſtitia, vt pro iuſta cauſa fiat; Et quoniam omne Iuramentum habet iſtas comparationes, ideo omne rectum iuramentum habet tres iſtos comites, nàm, cum iuramentum ſit, in aſſertione noſtri ſermonis, ſermo autem noſter dubitationem habeat, ſecundùm quod dicitur Sapientiæ 9. nu. 14. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, ideo ad hoc, vt ſermo noſter per diuinam voluntatem confirmetur directè, & conuenienter indiget comitibus ipſum regentibus, ne inueniatur diſſimilis Veritati inuocatę. Cum enim iuramentum non ſit de genere illorum, quæ per ſe, & ex obiecto proprio virtutes ſunt, & honeſtatem habent, ſed vt virtus, & bonum ſit, comites habere debet, eſt communis Doctorum ſententia, quòd iure diuino, & naturali tres circūſtantiæ, ſeu comites requiruntur ad hoc vt honeſtetur, videlicet, Veritas, Iudicium, & Iuſtitia. Hieremiæ 4. *Iurabis (dicit Dominus) in Veritate, Iudicio, & Iuſtitia.* Veritas ex parte rei, pro qua iuratur, Iudicium ex parte iurantis, Iuſtitia ex parte cauſæ pro qua iuratur; Ratio, quia per iuramentum, Deus qui ſumma veritas eſt, & ſumma iuſtitia adducitur in teſtem, neceſſarium eſt ergò ad eius reuerentiam, vt id, quod iuratur primò ſit verum, deinde iuſtum, & æquum, & tandem requiritur circumſpectio iurandi, vt ſcilicet, non leuiter, ſed maturo iudicio, & diſcretione fiat. *S. Bonauent.* B *Sapientię.* C

Notandum, quod per ly *Veritas* non intelligitur hìc adæquatio rei ad intellectum, quam Methaphiſici propriè veritatem vocant, ſed intelligitur conditio quædam orationis, atq; ſermonis exteriùs prolati, vt ſcilicet, oratio cum animo concordet, itaq; ad hoc, vt veritas, quæ eſt comes iuramenti adeſſe intelligatur, non eſt neceſſarium, vt id, quod affirmatur, ſit ſemper verum, & ita ſe habeat ex parte rei, quæ ſignificatur per verba, ſed requiritur ſolùm, & ſufficit, vt ità eſſe, pro certo exiſtimetur, ſicut eſſe

Y 2 iuratur;

Digitized by Google

A iuratur; Quòd hæc veritas neceſſaria ſit iuramento, patet per id Pſal. 14. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit; Et colligitur ex fine ipſius iuramenti, finis enim iuramenti eſt confirmatio dicti humani.

In iuramento Aſſertorio requiritur ſolùm veritas concordiæ cū mente interiori, hoc eſt, vt id, quod aſſeritur omninò verum ſit, & quod negatur ſit falſum, ſaltem ſecundùm rationabile iudicium illius, qui iurat.

In Promiſſorio autem requiritur duplex veritas, Altera in concordia orationis promiſſoriæ, & animi interioris faciendi ſuo tempore, id, quod promittitur. Altera, vt ſit concordia promiſſionis, & effectus futuri, vt exiſtimet, ſcilicet, poſſe impleri effectum promiſſum, & de facto impleatur. Vel ſic. In Promiſſorio duplex veritas, altera de præſenti, nempè, vt adſit animus implendi id, quod quis iuramento promittit, & conuenit cum Aſſertorio; Altera de futuro, vt res promiſſa impleatur ſuo tempore. Veritas in Aſſertorio in eo conſiſtit, vt iurans putet eſſe verum illud, quod iureiurando affirmat. Differt Iuramentum promiſſorium, B & ſimplex aſſertio; quia ad veritatem ſimplicis aſſertionis ſat eſt, quòd affirmans habeat in animo implere illud, quod affirmat, & non erit mendax, ſi poſteà mutata voluntate, illud non impleat, Ad veritatem autem iuramenti Promiſſorij, deſideratur vtraque veritas, animus, ſcilicet, implendi, & impletio ipſa.

Iudicium ſignificatur hac voce diſcretio, & prudentia, quæ iuramento ineſſe debet. Ad hoc, vt quis cum iudicio iuret, tria præcipuè conſiderare debet, Primum, An quæ iuramento confirmanda ſunt, abſq; iuramento ſufficienter probari poſſint, necne; quia, quæ aliter probari, & perſuaderi poſſunt, non ſunt iuramento confirmanda: eſſet enim temerarium. Secundùm, vt antequàm quis iuret, diligenter ſecum reputet, quemadmodum ſe res habeat, de qua iuramentum færre debet, ne fortè ex diſpoſitione falſum pro vero iuret. Tertium, vt non ex quacumq; cauſa aut odio, aut amore, aut animi perturbatione iuret, ſed ſolùm ex C graui, & neceſſaria cauſa. Et quocumq; ex his tribus modis deficiente, Iuramentum dicitur factum ſine iudicio, & conſequenter cenſetur temerarium. Ad Iudicium tria ſunt neceſſaria, Primum, vt veritas iuramento ſtabilienda non poſſit alia via probari. Secundum, vt ſubſit neceſſaria, ac pia iurandi cauſa. Tertium, vt præcedat veritatis maturum examen. Additur Quartum, vt debita diuini nominis in teſtem adducti reuerentia, iuretur.

In quot, & quib. cōſiſtit iudicium in iuramentū.

Iuſtitia in eo conſiſtit, vt res, quæ iuratur iuſta, & honeſta ſit, & hoc eſt verum tàm in iuramento Aſſertorio, quàm in Promiſſorio, ſed diuerſimodè; Nàm in Promiſſorio requiritur dupliciter, ex parte ſcilicet

actus

actus iurandi, vt videlicet ſit iuſtus, & non noceat proximo, & ex parte rei iuramento firmatæ, vt id iuſtum dicatur iuramentum, quo res iuſta promittitur, & iniuſtum, quo, res iniuſta. In Aſſertorio autem requiritur ſolùm ex parte actus iurandi, hoc eſt ex parte cauſæ; quæ ad iurandū compellit; Non requiritur autem ex parte rei aſſertæ, quia licitè ſæpè res iniuſta adhibito iuramento detegitur. A

Quocumq; ex his tribus comitibus deficiente iuramentum redditur illicitum, & peccatum eſt. Si deſit Veritas, iuramentum priuatur ſua ſubſtantia, & medulla, & Deus adducitur teſtis mendacij. Si deſit Iudicium, Deus afficitur quadam irreuerentia, ſiquidem ſine cauſa adducitur tamquàm teſtis. Si deſit Iuſtitia, quantùm eſt ex parte iurantis, Deus adducitur, vt cooperator, & approbator iniquitatis.

Conditiones his tribus comitibus oppoſitæ vitiantes iuramētum ſunt, Dolus, Indiſcretio, Iniuſtitia, ex quibus iuramentum denominatur Doloſum, Incautum, Iniquum. Dolus in Aſſertorio eſt, quando iurans ſentit oppoſitum illius, quod iurat. In Promiſſorio, quando iurans, ſe aliquid facturum, in ipſo actu iuramenti intendit oppoſitum, nec intendit, ſe obligare ad illud, quod iurat. Incautum, ſeu temerarium tunc eſt, quando quis iurat aliquid, ſe facturum, quod tamen facere non poteſt; Iniuſtum, quando rem iniuſtam, & illicitam iurando promittit. B

§ *Primus. Vtrum Iuramentum carens aliqua ex prædictis circumſtantijs, ſeu comitibus, ſit peccatum?*

IVramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, quacumq; ratione deſit, ſiue cum cauſa, ſiue abſq; cauſa, in quacumq; materia, ſiue magna, ſiue parua, quocumq; fine, ſub quacumq; forma, & quocumq; modo, & intentione fiat, ſi eſt actio deliberata, eſt peccatum mortale D. Tho. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. ſic habet. Ille, qui ex lapſu linguæ falſum iurat, ſi quidem aduertat, ſe iurare, & falſum eſſe quod iurat, non excuſatur à peccato mortali. D. Bonauent. in 3. d. 39. art. 1. q. 2. Scotus ead. d. q. Vnica, art. 1. verſ. Videtur ergo. Nau. c. 12. num. 6. Immò quantò res, pro qua iuratur, erit minoris momenti, eò maior irreuerentia fit Deo, quia magis vanè aſſumitur nomen Dei. Dicitur *Si actio eſt deliberata*, quia nullum periurium eſt peccatum mortale, dum fit indeliberatè, & ex ſubreptione, quia nullus actus eſt bonus, aut malus, niſi ſit humanus, humanus non eſt, qui fit ex inaduertentia, aut ex ſubreptione. Scotus ibidem.

S. Thomas. C *S. Bonauent. Scotus. Nauarr.*

§ *Secun-*

A

§ *Secundus. Quidnam dicendum, quando iuratur in Iudicio?*

Scotus. RESpondetur ſecundùm Scotum vbi ſupra ibi ad ſecundum dubium 2. Art. Quòd reſpiciendum eſt ad legem, & conſuetudinem iurandi, an iuramentum accipi ſoleat, tamq; ſimpliciter aſſertiuum iurati, aut non tamq; ſimpliciter aſſertiuum, ſed tamq; probabiliter inductiuum ad credendum iurato. Quo ſtante dico duo.

Primum Dictum. Si iuramentum accipiatur, vt certò aſſertiuum rei, vt communiter fieri ſolet, non ſolum peccat mortaliter iurans falſum, quod verum putat, ſed etiam, ſi verum iurat, quod tamen ſibi non eſt omninò certum, ſed aliquomodo dubium, quia ad confirmandum illud, quod aſſerit ſimpliciter certum, & verum adducit Deum in teſtem, cum non ſit ſimpliciter certum, & non ſolùm ſit irreuerentia nomini Dei, ſed

B

etiam mendacium pernicioſum, & nociuum proximo. Et ita peccabit Iudex, ſi ſententiam certam ferat, quando ſcit, teſtes non rectè, & certò depoſuiſſe.

Dubium. Et ſi dicas, quod eſt vtile Reipublicæ, alioquin mali, nimis multiplicarentur. *Scotus.* Scotus ibidem reſpondet iuxtà illud Deut. 16. *Iuſtè, quod iuſtum eſt, exequere.* *Deuter. 16.* Sunt enim quædam mala, quæ non ſunt punienda per homines, ſed relinquenda vltioni Diuinæ, puta omnia, quæ homo, *Solutio.* vt homo non poteſt ſufficienter ſcire, & de quibus non poteſt ſufficienter docere veritatem, eo modo, quo deberet doceri, ad hoc, quòd iuſtè ferretur ſententia debita punitiua, nec in iſtis ſunt culpabiles ſoli teſtes, ſed etiam Iudex.

Secundum Dictum. Si ex lege poſitiua, & communi conſuetudine habeatur, quòd iurans non teneatur deponere ex certitudine, ſed de

C

credulitate, ſicut communiter fit in fauorabilibus, tunc iurans non peccat. *Cap. Vnic. de Scrutinio in ordin. faciendo.* Cap. Vnic. De Scrutinio in ordine faciendo, Vbi Sum. Pont. Innoc. III. dicit, non peccare eum, qui reſpondet, aliquem eſſe dignum ad huiuſmodi onus officij, quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, dummodo contra conſcientiam non loquatur, quia non ſimpliciter aſſerit, illum eſſe dignum, ſed quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, cum illum quē indignum eſſe nō nouit, dignum debeat æxiſtimare. Ita Scotus. Vide illum.

§ Tertius

A

§ *Tertius. Vtrum ille, qui, aliquid affirmat, vel negat, aliter concipiendo, & intelligendo verba in mente ſua, quàm ille, cui iurat, illa accipiat, ſit periurus, & peccet?*

RESpondetur cum Nauarr. in Man. c. 12. nu. 8. Verſ. 9. Et Tolet. lib. 4. c. 21. not. 2. Primò, Quicumq; non petitus, ſed ſeipſum vltrò offert ad iurandum, iurare tenetur ſecundùm intentionem eius, cui iurat, & oppoſitum iurare eſt peccatum mortale. Silu. Iuramentum. 3. q. 2. Secundò, Quicumq; petitus à Iudice, ſeu Superiore competente, vt iuret de veritate rei, ſi iuridicè interogetur, tenetur iurare ſecundùm intentionem interrogantis ſub peccato mortali, & aliter iurans, etiam ſi faciat ad ſaluandam vitam propriam, vel alterius, peccat mortaliter, & eſt periurus. Tertiò, interrogatus à Iudice incompetente, vel etiam à Iudice competente, non tamen iuridicè, & ſecundùm formam iuris, non tenetur iurare ad mentem interrogantis; nihilominùs non poteſt mentiri, quia eſſet periurus.

Nauarr.
Toletus.
Siluester.

B.

§ *Quartus. Vtrum æquiuocatione vti poſſit, qui rem aliquam à ſe petitam, nolit eam petenti dare.*

NOnnulli negatiuè reſpondent, quia vbi ceſſat coactio iniuſta, vti debet verbis, eo ſenſu, quo communiter accipiuntur, & iurare debet ad mentem petentis. Alij dicunt ſub diſtinctione, Res, quæ petitur, vel eſt petenti aliquomodo debita, vel non; Si primum tenetur ſub peccato mortali reſpondere ſecundùm mentem petentis; Si ſecundum nec aliquo modo tenetur ad eam illi dandam, vel accommodandam, nec illi, rem illam dare, aut accommodare placet, reſpondere poteſt, ſe rem illam non habere, maximè quando petens eſt importunus, & aliter iuſtā cauſam habet, cur dare, vel accommodare nolit.

C.

Secundò Reſpondetur. Quòd Iuramentum Promiſſorium, cui deeſt veritas de præſenti, hoc eſt, in quo, qui iuramento promittit, ſe aliquid facturum, non habet animum adimplendi promiſſum, quæcumq; res ſit illa, quæ promittitur, ſiue licita, ſiue illicita, ſiue parua, ſiue magna, eſt peccatum mortale. In Iuramento enim Promiſſorio eſt duplex veritas, Altera eſt pro tempore præſenti, cum fit iuramentum, quæ conſiſtit in hoc, vt is, qui promittit, quando promittit, habeat animum adimplendi promiſſum. Altera eſt de futuro, ſcilicet vt faciat quod promittit, qui enim aliquid promittit, duo facit, vnum pollicetur in futurum, alterum

aſſerit.

A aſſerit de præſenti; Pollicetur, ſe daturum, exempli gratia, centum, aſſerit, & affirmat de præſenti, ſe habere animum adimplendi ſuo tempore promiſſum, & ità, cum adiungit iuramentum promiſſioni, confirmat teſtimonio iuramenti, eſſe verum quod in præſenti de animo ſuo aſſerit, atq; etiam futurum verum quod ſe promiſit facturum; Ille igitur, qui, cum iuramento promiſit aliquid, ſe facturum, non habens animum adimplendi tale promiſſum, tempore præſenti, quo iurat, peccat mortaliter. 22. q. 2. c. In dolo, 1. in ord. Hæc ſunt verba textus. In dolo iurat, qui aliter facturus eſt, quàm promiſit, cum periurium ſit, nequiter decipere credentem. Quando autem iuramento Promiſſorio deeſt veritas de futuro eſt etiam peccatum mortale, niſi paruitas materiæ promiſſæ excuſet.

22. q. 2. cap. In dolo.

Tertiò Reſpondetur, Quòd Iuramentum Promiſſorium ex defectu iudicij, aliquando eſt peccatum mortale, aliquando veniale. Tunc accidit peccatum ex defectu iudicij. Primò quando quis confirmat iuramento res veras, ſine iuſta cauſa, & abſq; neceſſitate. Secundò, quando B non adhibetur ſufficiens inquiſitio ad videndum, an res vera ſit, quę iuramento confirmatur, Scotus in 3. d. 39. q. Vnic. verſ. Quantùm ad ſecundum. Quia ad iuramentum requiritur, vt fiat præuia conſultatione, & maturo iudicij examine, & conſequenter, vt nihil iuretur, antequàm pro rei qualitate ſit certus, quòd verum ſit, quod iurat. Tunc igitur, ſi negligentia ſit notabilis, erit peccatum mortale, quia ſciens, & volens exponit ſe periculo peccandi, & cenſetur perfectè velle iurare falſum, ſi contingat falſum eſſe id, quod vult iurare, quod ſine peccato mortali fieri non poteſt.

Scotus.

Quartò Reſpondetur, Quòd Iuramentum Promiſſorium ex defectu iuſtitię aliquando eſt peccatum mortale, aliquando veniale.

C

§ *Quintus. Quanta ad iurandum requiratur neceſſitas, vt iuramentum nullum peccatum ſit?*

Gabriel Biel in 3. d. 39. art. 3. nouem ponit cauſas, quę reddunt iuramentum licitum, quarum ſeptem ſe tenent ex parte boni indiuidi, duæ verò ex parte mali remouendi, ſeptem deſumũtur ex Sacra Scriptura, Prima eſt, pro veritate fidei, aut doctrinæ, aut alia vtilitate confirmanda; Sic iurauit Apoſtolus 2. Cor. 1. num. 18. Fidelis eſt Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo, eſt, aut non. Secunda pro veritate declaranda, aut manifeſtanda; Deuteron. 19. num. 15.

Biel. Quot, et quę cauſæ licitũ reddant iuramentum. 2. Cor. 1. Deuter. 19.

In

Digitized by Google

In ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum, non eſt autem teſtis, nisi iurans, ſecundùm iura. Tertia pro amicitia contrahenda; Geneſ.26. num. 29. Dixerunt viri Geraræ ad Iſaac, ſit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis, quidquam mali, Et n. 31. Surgentes mane iurauerunt ſibi mutuò. Quarta pro pace confirmanda. Sic Gen. 31. num.54. iurauit Iacob, Laban, per timorem Iſaac patris ſui. Quinta pro fidelitate ſeruanda. 2. Reg. 5. num. 3. venerunt Senes Iſrael ad Dauid, & percuſſit cum eis fœdus coram Domino. Sexta pro obedientia, & ſubiectione recognoſcenda. Sic iurauerunt viri Galaad, Iephtæ Iudic.11. num. 10. dicentes, Dominus, qui hæc audit, ipſe mediator, & teſtis eſt, quia noſtra promiſſa faciemus. Septima pro conſuetudine Eccleſiæ, ſtatutis, & lege ſeruandis. Sic filij Iſrael data lege iurauerunt, Exod. 19. num. 8. & 24. num. 3. Iuxtà quæ locutus eſt Dominus faciemus. Octaua, propter calumniam vitandam, & fieri ſolet in conteſtatione litis, ſeu in principijs cauſarum, ne pars actrix alteram calumnioſè impetat, nec altera calumnioſè ſe defendat, & in cautione pacti ſeruandi, aut debiti ſoluendi, iuxtà illud ad Hebr. 6. Omnis controuerſiæ finis, ad confirmationem, eſt iuramentum, ad confirmationem ſcilicet pacti, compoſitionis, vel concordiæ. Nona eſt pro infamia purganda. Vt Deut.21.n.7. Ad hoc reduci poſſunt omnes aliæ.

A *Geneſ.26.* *2.Reg.5.* *Iudic.* 11. *Exod.* 19. *& 24.* B *Ad Hebr.6* *Deut.21.*

§ *Sextus. Vtrum liceat inducere, aut prouocare alium ad iurandum, aut recipere iuramentum ab eo, quem ſcimus, vel probabiliter credimus, quòd falſum iurabit.*

Dubitationem hanc ponendo quatuor dicta diluemus iuxtà mentem Doctorum.

Primum dictum. Perſona publica, vt Iudex, publicum exigens iuramentum ab eo, quem ſcit periurum, non peccat, ſi iuris ordinem ſeruat, & ad inſtantiam partis. Nau.c.12.n.20.verſ.22. Tolet. lib.4.c.21. not.3. Rodriquez p.1.c.191. n.6. conc.6. S. Anton. p 2. tit. 10. c.7. §. 3.

C *Nauarr.* *Tolet.*

Secundum dictum: Perſona exigens iuramentum ab eo, quem ſcit, aut probabiliter credit, falsò iuraturum puta, ſcit, eum contrarium feciſſe, eius, quod iurat, quia hoc eſt inducere ad peccatum, peccat mortaliter. 22.q.5.c. Ille 5. ord. Vide ibi.

Rodriquez. *S. Antonin.* *22.q.5.cap. Ille.*

Tertium dictum. Si abſq; inductione, quis ſpontè ſe offerret ad iurandum, & non eſſet cauſa rationabilis ad recipiendum iuramentum, nō peccat eſtò ſciat, illū falſum iuraturum. Silu. Iuramentum 2.q.9. Nauarr. cap.12. in fine. Vide illos.

Silueſter. *Nauarr.*

Digitized by Google

A Quartum Dictum. Qui petit iuramentum ab eo, quem neſcit, & dubitat falſum iuraturum, ſi id faciat vrgente neceſſitate, non peccat; Ratio quia dubitare in re graui de veritate alterius, nullum eſt peccatum, ſed infirmitas humana.

§ *Septimus. Vtrum conſuetudo iurandi ſit peccatum?*

Scotus. SEcundùm Scotum in 3. d. 39. q. Vnic. ibi. Videtur ergo. Negatiuè reſpondetur, quia habitus, & conſuetudo nihil facit ad peccati rationem, ſed deliberatio, & conſenſus in actum illicitum, vndè, ſi actus primus in ſe non eſt peccatum mortale, ſed veniale, circumſtantia frequentationis, aut conſuetudinis non facit eum mortale. Ex his pono quatuor Concluſiones.

Scotus. S. Thom. S Bonauent. Prima Concluſio. Ille qui non aduertit, ſe iurare, abſolutè loquendo non peccat mortaliter. Scotus ibid. D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. D. Bonauent. art. 1. q. 2. d. 39. in 3.

B Secunda Concluſio. Conſuetudo iurandi, abſolutè, & ſecundùm ſe ſumpta, quamuis mala ſit, non tamen ſpeciem iuramenti mutat, aut aggrauat, niſi comitem aliquem iuramenti tollat.

Tertia Concluſio. Aſſuetus iurare, ſed non mentiri, immò ita diſpoſitus, vt non mentiretur, aut iuraret, ſi aduerteret, regulariter non peccat mortaliter.

Nauarr. Quarta Concluſio. Ille, qui aſſuetus eſt iurare tam falsè, quàm verè, in communi locutione non aduertens, vtrum verum, an falſum iuret, ſi iurat falſum peccat mortaliter propter periculum, cui ſe exponit. Vide Nauarr. c. 12. nu. 6. verſ. 5. Quia tale periculum in ſua cauſa, ideſt in tali conſuetudine eſt volitum.

§ *Octauus. Vtrum liceat violare iuramentum comminatorium?*

C TVnc Iuramentum, comminatorium eſt, quando eſt de comminatione pænæ, ſeu de malo ab ipſo iurante inferendo, vt, verbi gratia, Per Deum caſtigabo te, percutiam te, &c. Differunt autem Execratorium iuramentum, & hoc comminatorium, quia Execratorium eſt de malo, quod non ab ipſo iurante, ſed à Deo inferendum eſt; Comminatorium verò eſt de malo ab eomet, qui iurat (vt diximus) inferendo.

Execratorium autem aliquando coincidit cum aſſertorio, ſcilicet, cum tali iuramento vtimur ad confirmandam aliquam veritatem præſentem, aut præteritam, vt Deus me deſtruat, niſi hoc ita ſit, aut ſi non id fecerit; Aliquando autem concidit cum promiſſorio, puta

puta cum iuramus futura, vt Deus me deſtruat, niſi hoc fecero. Comminatorium autem reducitur ad promiſſorium, & ideo idem de eo quoad hoc dicendum eſt, quod de promiſſorio diximus, & conſequenter iuramentum comminatorium inducit periurium duobus temporibus, *præſenti*, ſcilicet, & *futuro*. In *præſenti* dupliciter, *primo* quando fit animo mendacij, ſiue materia iuſta ſit, ſiue iniqua, hoc eſt, quando fit abſque animo adimplendi, & tunc ſemper eſt peccatũ mortale; Ratio eſt, quia iuramentum cadit ſuper mendacio, ideoque deeſt illi veritas, & proinde vt de periurio promiſſorio dictum eſt, peccatum erit mortale, niſi excuſetur per inaduertentiam, aut alio modo. *Secundo* ſi fiat cum animo veraci, id eſt, cum animo adimplendi, in materia, tam mortali, quam veniali, & tunc idem de eo, quod de iuramento promiſſorio, dicendum eſt. A

Atque hinc excuſantur iuramenta comminatoria parentum, dum iurant ſe caſtigaturos filios, ſi illos arripuerint ad gaſtigandum, etſi enim non habeant animum caſtigandi, & conſequenter huiuſmodi iuramentis deeſſe videtur veritas præſens, excuſantur tamen a periurio propter conditionem appoſitam, ſcilicet, *ſi arripuero*, & non adimpletam, eſt enim voluntas eorum non arripere ad caſtigandum. Excuſantur etiam à periurio huiuſmodi comminatoria iuramenta, quãdo illis apponitur indeterminata conditio, ne forte per expreſſionem conditionis oriatur obligatio iuramenti adimplendi, & ita in eis non videtur eſſe veritas præſens, ſed videtur potius fictio iuramenti, quam iuramentum; & conſequenter in prædicto caſu excuſatur iurans non adimplens comminationẽ à peccato mortali, non tamen a graui veniali. Denique excuſantur a periurio iuramenta comminatoria quibus parentes iurant ſe filios, & ſeruos occiſuros, eorum capita fracturos, & cæt. Quamuis .n. quando iurant non habeant animum occidendi, & frangendi capita, & inferendi graue nocumentum, & conſequenter videtur deeſſe veritas præſens, ipſi tamen quando iurant, putant ſe verum iurare, quia loquuntur per exaggerationem, & ita excuſantur a peccato mortali, non tamen a veniali graui, vt ſupra dictum eſt. B

Cõmittitur etiam periuriũ in iuramento cõminatorio tẽpore futuro, tẽpore executionis. Et quidẽ ſi cõminatio fiat de aliquo malo culpæ, ſiue mortali, ſiue veniali, poteſt, & debet non adimpleri, vt diximus de iuramento promiſſorio, vt v. g. ſi quis comminatus eſt percutere aliquem, aut diripere bona eius, aut impedire eum, ab aliquo aſſequendo, &c. tenetur non exequi, vt patet. Qua ratione cum iuramenta parentum de punitione filiorum, vt plurimum fiant paſſione, ira, & inordinata vindicta potius, quam ex bono correctionis, (cuius rei ſignum eſt, quod ſi in eodem erraret filius, mater non irata, non comminaretur punire il- C

A lum) & conſequenter punitio hæc promittitur ſub ratione mali venialis, non obligant, ſecus autem eſſet, ſi vt bonum correptionis pro nitterent, quamuis ex ira, niſi tunc etiam alia ex cauſa excuſarentur ab executione pęnæ comminatæ, vt infra dicemus. Sin autem comminatio facta ſit de iuſta inflictione, aut procuratione mali pęnæ ſiue quoad corpus, ſiue quoad bona temporalia, tunc tria conſideranda ſunt; *Primum eſt*, an quod ſicut iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ita nec melioris boni impedimentum, vnde ſi melius ſit abſtinere a comminati mali iuſti executione, non tenetur iurans ad executionē iuramenti. Quamuis igitur pater, aut mater promittat, & comminetur caſtigare filium ob bonum correctionis, ſi tamen melius eſt poſt pacatam domum parcere, ne fletus conturbet totam domum, & commutatur iuramentum in melius. Exēplo Dauid, qui licèt iuraſſet percutere Nabal cum domo eius, poſtea

1. Reg. 25. tamen ad pręces Abigail mutauit, in melius indulgendo, 1. Reg. 25.

B *Secundum eſt*, comminationem intelligendam eſſe ſecundum præſentem iuſtitiam, vnde qui iurauit iuſtam punitionem poſtea petenti veniam iuſtè parcat abſq; periurio, eo quod ceſſauit præſens iuſtitia, ſecundum quam iurauit, propter conuerſionem in pœnitente. Quomodo licet Deus dicat ſæpè ſe caſtigaturum gentem, poſtea tamen ignoſcit ob pænitentiam eorum. Et Dauid ad pręces innocentis Abigail pepercit Nabal, quaſi iam ceſsauerit ratio præſentis iuſtitiæ ex alterius innocentis, & humili ſupplicatione præueniēte. *Tertium eſt*, quod pœnæ in hac vita non ſunt appetibiles niſi vt medicinæ, vel perſonæ puniendæ, vel boni communis cauſa. Vnde quando comminata pęna ceſsaret habere rationem vtriuſque medicinæ, non tenetur iurans comminationem iuratam adimplere. Quando autem id contingat, relinquitur iudicio prudentiæ, quæ eſt circa ſingularia occurentia. Ex his tribus colligitur quare mater, quæ iurauit verberare filium, aut dominus qui iurauit verberare ſeruum, & poſtea parcet (vel ne turbet pacem domus, vel quia non eſt opus amplius talis

C pęnæ medicina, vel quia iudicatur melius parcere) non tenetur ad implēdam comminationem iuratam. Quibus adde ſufficientem cauſam eſse etiam ſatisfactionem mali patrati per pęnitentiam, vel ipſius delinquentis, vel petitionem veniæ ab amico factam. Et quia melius eſt modo non punire, ſiue ob bonum pacis, ſiue alia iuſta de cauſa: Non tamen iuſta cauſa erit omittendi comminationem iuratam, quod iam ceſsaret bilis, furor, & voluntas caſtigandi, vt latiùs tradunt Caie. in ſumma verb. periurium, §. 3. & in verb. Minari. & 2.2. q. 89. ar. 7. & dub. 1. Naua. in Manuali. c. 12. num. 10. verſ. Decimo. Gre. de Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 7. punct. 3. Ioan. Pedrazza in expoſitione 2. præcepti §. Sexto. Toletus in ſum-

ma

Digitized by Google

ma lib. 4. c. 22. in fin. & alii poſt Tabienam in verb. iurare. nu. 11. verſ. Decimo. poſt medium. A

§ *Nonus. Quidnam dicendum de illis qui honoris, vel amicitiæ gratia ſe præuenientes, iurant, ſe non præceſſuros in exitu domus, vel ianua, aut non velle ſedere in loco nobiliori. Vtrum iſti tales ſint periuri?*

IN huiuſmodi actibus, in quibus de nullius agitur præiudicio, ſed potiùs de honoris animo, ac ſignis amicitiæ, duo præcipuè conſideranda ſunt; Primò, pia intentio iurantis, ſic enim iurando, non intendit omninò ſic agere, ſed quantùm eſt in ſe, niſi alteri id ſit ingratum; quo pacto Petrus dixit Chriſto, *Non lauabis mihi pedes in æternum*, intendens ſcilicet quantùm in ſe erat, & ſic, nec iurando, nec faciendo oppoſitum, deeſt iuramento veritas. Secundò conſideranda eſt qualitas ipſius actus, ſcilicet iurat in huiuſmodi ſæpè de his, quæ ſunt potiùs in poteſtate alterius, vt cum dicit, non venies mecum, non tranſibis hoc oſtium, non ſedebo ibi, non præcedam, &c. Quàmuis piè interpretanda ſint, quantùm eſt ex parte iurantis, à parte tamen rei, indiſcreta ſunt iuramenta, ideo ſic iurantes, communiter, peccant venialiter propter indiſcretionem, faciendo tamen oppoſitum non ſunt periuri, quia non faciunt contra intentionem implicitam, & communiter cognitam in huiuſmodi. B

§ *Decimus. Vtrum vti liceat amphibologia in iuramento ad ſignificandum aliquod verum iuxtà mentem iurantis, at iuxtà diuerſam eius, cui iuratur.*

REſpondetur affirmatiuè. Exemplum. Reus non legitimè interrogatus de delicto proprio, quod fecit, poteſt reſpondere, non feci illud, intelligendo intrà ſe eo modo, quo iudex rogat, vt ſubſtat illi iudicio. Ioan. Azor. tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 5. Clauis Regia lib. 5. c. 4. n. 24. Similiter poteſt vti æquiuocatione, quando eſt extractus ab Eccleſia, quia tunc iudex non habet ius interrogandi, ac procedendi. Similiter, quando iuriſdictio huius iudicis eſt ſuſpenſa per appellationem. Item, quando iudex eſt excommunicatus denunciatus. C *Azorius. Clau. Regi.*

Immò, quando reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis, iniuſtè crimen rei occultum coram iudice prodidit, ſi non ſit ſufficiens aliundè informatio ad procedendum cõtrà eos ſocios, aut illum reũ, poſſunt reus, & teſtes ſe offerre corã iudice, & iurare, illos non feciſſe delictum illud intelligendo ità, vt id delictũ ſubſit illi iudicio, & falſum dixiſſe, intelligendo

qua-

A quatenus falſum fuit eos feciſſe publicè, ita vt ſubeſſet illi iudicio, immò ſilcienter detexerunt iniuſtè, poſſunt dicere, ſe mentitos fuiſſe, intelligendo de mendacio practico, quod dicitur quodcumq; opus rationi diſſonum. Clau. Reg. lib. 10. c. 4. num. 27. Item pænitens interrogatus à confeſſario de aliquo crimine, quod verè admiſit, ſed tamen iàm illud confeſſus eſt, poteſt negare, ſe illud admiſiſſe. Inſuper quoties adeſt iuſta cauſa vtendi æquiuocationibus, animus vtendi non debet eſſe ad fallendum proximum, ſed ad occultandam veritatem, quam non expedit reuelare. Silu. verb. Iuramentum 3. q. 2. Verſ. licet autem.

Clauis Reg.

Silueſter.

Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad tuendam ſalutem corporis, honorem, & res familiares, vel ad quemlibet alium actum virtutis, ita, vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, ſtudioſa, & virtuoſa. Nauarr. c. humanæ aures. 22. q. 5. fine q. 1. ad 1. & q. 2. num. 10. Item cauſa iuſta eſt, quoties quis rogatus ab aliquo priuato iurat, quia reſpondere alteri non obligatus, nec obligatur reſpondere ad ipſius mentem, à quo enim remouetur genus, remouetur, & omnis ſpecies. Tolet. lib. 4. c. 21. num. 9. fine. Verum, ſi neceſſitas, vel vtilitas, eis vtendi cogit, parum refert, vtrum rogatus, aut non rogatus quis iuret, eo vel maximè quòd ſæpè occaſio ſe offerre poſſet, qua valdè expedit cuiq; ſe ſponte ſua ad ſic iurandum inuitare, vt ad placandum proximum, vel ad reſtituendam famam iniuſtè ablatam.

Nauarr. 22. q. 5 Humanæ aures.

B

Toletus.

Præterea, teſtis non iuridicè interrogatus de aliquo delicto, poteſt reſpondere, ſe neſcire, intelligendo intra mentem, ita vt teneatur dicere, quamuis id verè ſciat, quia vidit, nam, cum voces ſint conceptuum ſigna, hoc verbũ, *neſcio* recipit hunc ſenſum, neſcio, vt tibi dicam, iuxtà illud Marci 13. *De die autem illa nec Filius hominis ſcit.* Idem de non audiui. Licet etiam teſti dicere, reus non commiſit hoc delictum; Immò etiam poteſt quis vti huiuſmodi æquiuocatione, etiamſi aliàs iuridicè interrogetur, quotieſcumq; non tenetur ob aliquam cauſam ferre teſtimonium, puta, quia magnum damnum ipſi ſequitur, &c. Quia, cum ea cauſa excuſante, non teneatur, verè dicit, *neſcio, non vidi, non audiui*, ad hunc ſenſum, *vt dicere teneatur*.

S. Marci.

C

Item, in communi locutione, interrogatus de re, quam ſecreto ſeruare expedit, licitum eſt dicere, *neſcio* ad hunc ſenſum, *vt expediat dicere* quia locutio eſt vera, & neceſſitas vtendi amphibologia, vrget. Silu. Verb. Mendacium q. vlt. Verſ. quarto. Item quotiès factum exterius contrà legem excuſatur à culpa ratione alicuius circumſtantiæ, poteſt interrogatus iuridicè de facto aliquo, id negare, intelligendo de facto crimino ſo; Vt ſi quis hominem, ignoranter occidat putans eſſe feram, aut in pro-

Silueſter.

priam

pr'am defenſionem, aut rem alienam, in recompenſatione, accepit, poteſt de facto interrogatus in Iudicio, id negare, Clau. Reg. lib. 12. c. 17. num. 26. A *Clau. Reg.*

Item quando taxa alicuius rei eſt iniuſta, ſi pluris vendens, aut defraudans, in pondere, & menſura, ita vt ſibi ſatisfaciat, pro prætij iniuſtitia, & reddat correſpondentes merces pro prætio dato, poteſt hic interrogatus à Iudice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, & menſura, id negare, & aſſerere. *prætio taxato vendidi, & integrè, pondus, & menſuram tradidi*;

Itē interrogatus à Iudice de aliqua circumſtantia vera, vt de iudicio alicuius delicti, à ſe non perpetrati, poteſt eam negare, Vt ſi reperto cadauere, quis interrogetur, an gladius ibi repertus ſit ſuus, vel tali hora illac tranſierit, quæ vera ſunt, & petuntur ab eo, tamq; illius homicidij indicia, quod verè non commiſit, poteſt verè negare, quippè ad iudicis mentem, verè reſpondet. B

Item, ille, cui licitum eſt aliqua bona abſcondere, eo quòd illis, ad vitam ſubſtentandam egeat, ne à creditoribus capiantur, & ſic cogatur mendicare, poteſt interrogatus à Iudice iurare, ſe nulla bona abſcondita habere, & id poſſunt iurare hoc ſcientes, dummodo ipſis conſtet, licitè eum abſcondiſſe ad hunc finem, intelligendo ſecum, non habere bona abſcondita, quæ iudici manifeſtare teneatur, hæc enim eſt intentio illius interrogationis. Vndè etiam eſt, quòd ille, qui pecuniam mutuo acceptam ſoluit, poteſt à Iudice interrogatus de mutuo, iurare, ſe illud non accepiſſe, ſic, vt teneatur ſoluere. Quod verum eſt quacumq; cauſa liber eſſet ab eo mutuo ſoluendo. Ac etiam, ſi tunc non teneretur ſoluere, & quia terminus, ad quem mutuum datum fuit, non eſt impletus, vel præ paupertate excuſatur debitor à tunc ſoluendo. Eadem ratione Clericus interrogatus à cuſtodibus, an aliqua portet, eo fine, vt gabellas ſoluere compellatur, poteſt iurare, ſe nihil portare, intelligendo, ex quo gabellam ſoluat. C

Item creditor, qui virtute inſtrumenti publici, exigit coram Iudice debitum, poteſt iureiurando aſſerere, quòd quantitas in eo inſtrumento contenta eſt ſibi debita, prout iurare iubetur, & ſi pars illius ſummæ ſit ſibi ſoluta, ſi tantumdem pecuniæ ſit alia via ſibi debitam, de quo nullū eſt inſtrumentum publicum, virtute cuius exigatur.

Item, coactus ducere aliquam in ſponſam, quam ducere non tenetur, poteſt iurare, quòd accipiet, intelligendo intra ſe, ſi teneor, vel ſi placuerit mihi. Tolet. lib. 4. c. 21. num. 31. *Toletus.*

Item fœmina morti proxima, & excommunicata, eo quod viro non

coha-

A cohabitet, quem nouit ob impedimentum occultum, non eſſe ſuum, & coacta iurare, ſe adepta ſanitate, illi cohabitaturam, poteſt iurare, intelligendo intra ſe, ſi mihi licet, quia non eſt mens exigentis iuramentum, vt ea peccet. Ioan. Azor. tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 5. reg. 2. fine. *Azorius.*

Item, mulier non cohabitans viro, quia conſcia eſt adulterij viri, & proindè iuſtam cauſam habet diuortij, compulſa poteſt iurare, quòd viro cohabitabit, intelligendo intra ſe, ſi ad id teneor, quia mens iudicis non eſt nouam obligationem illi imponere.

Item, adultera rogata à marito, an commiſerit adulterium, poteſt iurare, ſe non fregiſſe matrimonium, quia adhuc matrimonium integrũ, & ſtabile perſeuerat, quamuis vir, ea verba, in eo ſenſu percipiat, vt fidem thori non violauerit. Dico tamen, quòd poteſt abſolutè iurare, ſe non commiſiſſe adulterium, quia non tenetur reuelare vllo modo marito.

B § *Vndecimus. Vtrum quando reus legitimè interrogatus, itaut ſub peccato mortali fateri teneretur, negauit veritatem, aut amphibologijs texit, abſolui poſſit, an verò teneatur, ſe iudici offerre ad veritatem detegendam, etiamſi iterum non rogetur.*

Circa hanc difficultatem, triplicem ſtatum poſſumus conſiderare. Primus, quando reus iam à Iudice abſolutus eſt, aut punitus, aut è carcere fugiens eſt omninò extrà Iudicis poteſtatem. Secundus eſt, quando adhuc iudicium durat, & reus eſt ſub iudicis poteſtate. Tertius, quando conuictus, & damnatus ducitur ad mortis ſupplicium perferendum. His ſtantibus. Dico, quòd in primo ſtatu non tenetur hic ſe offerre ad manifeſtandam veritatem. In ſecundo ſtatu verò tenetur, quia eſt in malo ſtatu, niſi ſe offerat ad fatendam veritatem, etiam non rogatus, & abſoluendus non eſt, niſi id efficere firmiter proponat. *Nauarrus.* Nauarrus in man. cap. 25. num. 36. Hoc eſt ſatis probabile, probabilius tamen videtur, quòd hic non tenetur ſe offerre ad fatendum veritatem, ſed quòd ſatisfaciat, dolendo de præterita culpa, & proponendo, ſi iterum interrogetur, fateri veritatem. Ratio, quia parti læſæ ſatisfaciet reſtituendo, iudici pœnitendo. Sit cautus Confeſſarius. In tertio tandem ſtatu nec etiam tenetur, niſi in aliquo ſpeciali caſu notabile damnum ſequeretur tertio.

C

§ Duode-

Digitized by Google

A

§ *Duodecimus. Vtrum metu mortis, aut alia ratione, falſum ſibi crimen imponens, ob quod moritur, teneatur in ſupplicij loco, vel antea ſe retractare?*

SI ex retractatione ſperatur fore, vt mortem euadat affirmatiuè reſpondetur, ſecùs non tenetur; Item tenetur ſe retractare, quando, ſi non ſe retractet, infamia notabilis in alios redundat, ſi hac retractatione, damno illi obuietur.

§ *Tertiuſdecimus. Vtrum liceat petere iuramentum, ab eo quem credimus iuraturum, per falſos Deos?*

QVando exigens neceſſitate cogitur, licet, quia hoc non eſt cooperari peccato illius, ſed iuſta ex cauſa illo vti in propriam vtilitatem, cum petat iuramentum, quod licitè præſtare poteſt per verum Deum, & ex malitia ſua, malè præſtat; quare ea iuramenti petitio tantùm eſt offerre materiam ex ſe licitam, qua alter ex ſua malitia abutitur ad peccandum. D. Thom. 22.q.98. art. 4. & 22. q. 1. c. Mouet. 16. in ord. eſt pulcher textus. Vide illum. Non licet tamen inducere, vt per falſos deos iuret. D. Thomas. Vide etiam illum.

B

S. Thom. 22. q. 1. ca. Mouet.

§ *Quartuſdecimus. Vtrum liceat petere iuramentum ab eo, quem credimus peieraturum?*

PRæterea, quæ ſuperiùs ad hanc dubitationem enucleandam tacta ſunt, addo, quòd hæc difficultas agitari poteſt de triplici perſona petente iuramentum. Prima eſt Iudex. Secunda eſt Actor in Iudicio. Tertia eſt Perſona priuata extra Iudicium.

C

Iudex poteſt illud iuſiurandum exigere ſeruato iuris ordine, quāmuis norit, quòd iurans peierabit, quia iudex vtitur iure ſuo, & ratione officij habet legitimam cauſam, exigendi iuramentum, & deſeruit hoc iuramentum ſcientiæ, quam iudex ſequi tenetur, & vt legitimus ſit proceſſus, & ſæpè inſtante parte cogitur Iudex ratione ſui officij ad illud exigendũ. Ioan. Azorius cap. 11. q. 2. Sit cautus Iudex.

Azorius.

Actori non licet petere iuramentum ab eo, quem credit falſum iuraturum, quando id iuramentum non conducit ad ſuum ius tuendum, licet tamen, quando conducit, quia licitum eſt petere ab alio id, quod ille benè præſtare poteſt, quando ſcilicet adeſt neceſſitas, ſecus, vbi nulla eſt neceſſitas.

A Perſona priuata petens iuramentũ extra iudicium, ſciens fore, vt alter peieret, peccat. D. Aug. & refertur 22. q. 5. c. Ille. 5. in ord. Aduertendum autem, quòd ſufficit probabiliter credere, quia ea probabilitas eſt ſcientia moraliter.

S. Auguſt. 22. q. 5. cap. Ille.

De Iuramenti obligatione.

Cap. IV.

HIS, quæ ad naturam, eſſentiam, & quidditatem iuramenti ſpectant hucuſque conſideratis, examinandi conſequenter ſunt effectus, qui ex iuramento procedunt, quorum primarius, præcipuuſq; eſt obligatio, ſtatim nãmque, quod aliquis iu-
B rat, omnibus compertum eſt, quòd naturali Religionis pręcepto ad aliquid faciendum, vel dimittendum obligatur. Cum tamen fieri poſſit, vt in ipſomet iuramẽto aliqua adſit cauſa, quę hãc obligationis vim ab eo auferat, non incongruè videbimus primò in hoc Capite, & primo eius articulo de obligatione, & Virtute iuramenti, deinde verò in Articulo ſecundo de Cauſis, ob quas poſſit non obligare

Articulus Primus.

De Virtute, & obligatione iuramenti.

C TAnta eſt iuramenti obligatio, vt qui iurauit quocumq; modo aliquid, quod iurare licitum fuit, & cum intentione ſe obligandi, tenetur adimplere ſub peccato mortali, quãmuis leuis res ſit, & parui momenti. Exemplum. Si quis fuit à latronibus in via captus, qui noluerunt ipſum dimittere, quin priùs iuraret, ſe poſteà daturum centum aureos, & tunc iſte iurauit, ſe daturum, ſi quando iurauit dare, intendit verè dare, tenetur ſub peccato mortali poſteà dare. Sotus lib. 8. de Iuſtia. q. 2. a. 2. Verum eſt, quòd iſte potuit ęquiuocè iurare ratione coactionis, dicendo, iuro me daturum, & intrà ſe dicere, ſi mihi libuerit, & tunc non tenetur, quia abſolutè non iurauit, ſe daturum. Idem Toletus lib. 4. cap. 22. Aliud exemplum. Si quis in carcere detentus à cuſtode, vel a iudice dimittitur,

Sotus.

Toletus.

cum iuramento redeundi, iſte talis tenetur poſteà redire etiam cum periculo vitæ; Si tamen carcer erat iniurioſus illi, quia contra iura illic detineretur, poterat equiuocatione vti; Nihilominùs, ſi intendit, ſe obligare, tenetur redire. Siluester Verbo Iuramentum.4.§.26. Obligatur denique homo ad veritatem iuramenti implendam ſub peccato mortali. Sed quoniam in Varias ſpecies, ſeu modos iuramentum diuiſum fuit, vt clariùs quid in hac re dicendum ſit, conſtet, ſeorſim de vnoquoque, prout fuerit opus, videbimus. A *Siluester.*

§ *Primus. De obligatione, & virtute Iuramenti Promiſſorij.*

CIrcà modum, quo Iuramentum promiſſorium obligat obſeruandum eſt, quòd non obligat inſtar priuatæ legis, quam iurans ſibi imponit, quia iuramentum non eſt lex, ſed inuocatio diuini teſtimonij, & ità obligatur quis iuramento, quia eo ipſo, quod iurat, tenetur præcepto Religionis id adimplere. B

Ex quo verò præcepto hæc iuramenti promiſſorij obligatio conſurgat quæri poſſet; At, ſi ſermo ſit de circuſtantijs neceſſarijs, vt licitum ſit iuramentum tempore, quo fit, nempè, Veritate, Iuſtitia, & Iudicio, obligat ex præcepto negatiuo *Nec iures vana per ipſum. Non aſſumes nomen domini dei tui in vanum.* Aliquando etiam ex præcepto affirmatiuo, nàm quotiès quis tenetur iurare, tenetur eodem affirmatiuo præcepto iurandi, idem iuramentum rectè vſurpare. Si ſermo ſit de obligatione exequendi promiſſionem iuramento firmatam, ea ligat ex ſolo affirmatiuo præcepto Religionis, ſiue iuſiurandum ſit de aliquo affirmatiuo, vt de aliqua re facienda, ſiue de negatiuo, vt de non facienda, quia ad Religionis obligationem, quam iuramentum, & votum reſpiciunt, id ſolùm ſpectat, vt Deo honor tribuatur ei fide ſeruata, ſiue ſimpliciter detur, ſiue ſtabilita ſui nominis atteſtatione. Quòd ſi ei non ſeruaretur fides, quæ vel ſimpliciter data eſt, vel ſui diuini nominis atteſtatione firmata, non tribueretur illi debitus honor, quod tamen fieri debet ſub affirmatiuo Præcepto *Deo honor, & gloria*, ex quo dicta conſurgit obligatio. *Dubium.* *Solutio.* C

Hoc inſuper animaduertendum eſt quòd obligatio Iuramenti promiſſorij implendi eſt ex ſuo genere ſub peccato mortali, quia eſt res grauis.

A

§ *Secundus. De obligatione, & Virtute Iuramenti Aſſertorij.*

LOquendo de Iuramento Aſſertorio, obligatio iuramenti eſt maior obligatione voti, quia obligatio dicendi veritatem, quam Aſſertorium iuramentum includit, pertinet ad præceptum negatiuum, vt ex ipſius præcepti forma conſtat *Non aſſumes nomen domini Dei tui in vanum* quod obligat ad non irrogandum Deo grauiſſimam iniuriam, negando illũ (quatenus eſt ex parte peierantis) eſſe ſummam veritatem, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Obligatio verò Voti ad affirmatiuum præceptum pertinet, vt patet ex forma *Reddes Deo vota tua*, & obligat ad ſeruandum Deo fidelitatem; Peius autem eſt, iniuriam paſſiuam directam alicui irrogare, quàm eſſe illi infidelem, deficiendo à fide data. De Iuramento

B verò promiſſorio probabiliùs eſt, quòd maior ſit obligatio voti, quia voto Deo, Iuramento etiam homini promittitur.

S.Thomas. Vel dicamus, quòd Votum ex ſua natura magis obligatorium eſt. D. Thom. 2.2. q. 98. art: 8. intelligendo de iuramento facto homini, nam ſi conferatur cum Iuramento facto Deo, hoc magis obligat.

§ *Tertius. De obligatione, & Virtute iuramenti Doloſi.*

IVramentum doloſum dupliciter poteſt emitti, Primò, quando animus non concordat cum exterioribus verbis, quippè verba iuſiuradũ continent, animus verò eſt non iurandi, aut non ſe obligandi. Secundò, quando animus concordat cum verbis, ſed dolus in eo verſatur, quòd

C iurans vtitur amphibologia accipiens verba in alio ſenſu ab eo, quem percipit ille, cui iuratur.

Ad iuramenti obligationem exigitur, & ſatis eſt ea deliberatio, quę eſt neceſſaria ad obligationem voti, nempè, quæ deſideratur ad contrahendam culpam mortalem. Nauar. cap. 12. num. 10. & 24. & Alij. *Nauarr.*

Quot modis Intẽtio iurãtis poſſit dici ficta, et indè fictum iuramentum.

Quadruplex autem poteſt eſſe intentio ficta iurantis. Primò, quando deeſt ipſa iurandi intentio; Secundò, quando deeſt ſola intentio exequendi rem iuramento promiſſam; Tertiò quando deeſt intentio promittendi, & obligandi ſe ſola obligatione iuſtitiæ, aut fidelitatis tribuentis ius illi, cui iuramentum pręſtatur; Quartò, quando deeſt prorsùs intentio ſe obligandi. Primò, quando deeſt intentio iurandi, iuramentum non obli-

obligat ex ui, & Religione iuramenti,quia,cum interior intentio ſit quaſi A
verborum anima dans illis eſſe, quando deeſt interior iurandi intentio,
iuramentum verbis prolatum non eſt verè tale, ſed tantùm fictè, & apparenter. Secundò, quando deeſt, ſola intentio adimplendi rem iuramento promiſſam, videtur iuramentum non obligare. D. Bonauent. in 3.d. 39. art. 3. q. 1. Sed aduerte, quòd duplex eſt forum, Eccleſiæ ſcilicet, & Dei; Secundùm forum Eccleſiæ Iuramentum doloſum eſt obligatorium, quia Eccleſia iudicat de ijs, quæ patent, vndè, cum verba illa obligationem exprimant,iudicat,ſic iurantem ad id, quod inſinuât verba, obligari; In foro autem Dei, qui iudicat ſecundùm forum conſcientiæ, ſecundùm veritatem *Deus autem intuetur cor* equidem non obligatur,quia non voluit obligare ſe ipſum, quia tamen dolosè iurauit, & nomen Dei in vanum aſſumpſit, ſtatim in actu ipſo commiſit periurium. Tertio, quãdo deeſt ſola intentio promittendi,Iuramentum adhuc obligat, quia ſtat ſubſtantia veri iuramenti de futuro obligans ad veritatem illam futuram B iuratam implendam, quamuis in eo iuramento nulla contineatur promiſſio,aut ea irrita ſit,ergo defectus ſolius intẽtionis promittendi non aduerſatur ſubſtantiæ iuramenti, aut efficaciæ obligandi. Quartò, quando deeſt prorsùs intẽtio ſe obligandi, probabiliùs videtur negatiuè dicẽdum quia apponens conditionem cõtrariam ſubſtantiæ rei, vel proprietati neceſſariò concomitanti eſſentiam, ita vt abſq; illa conſiſtere nequeat, eo ipſo deſtruit eſſentiam. D. Bonauent. vbi ſupra num. 46. Scotus in 3. d. 39. Silueſter, & Alij. Et D. Thom. in 3. ſent. D. 29. q. p. a. 3 dicit, Iuramentum ex ipſa ui iuramenti non obligare, niſi iuxtà iurantis intentionem.

S.Bonauent. *S.Bonauent.* *Scotus.* *Silueſter.* *S.Thom.*

Quòd, ſi iurans verum habeat iurandi animum, non habens formaliter intentionem,nec contrariam ſe obligandi,ſed de hoc non cogitat,obligat iuramentum, quia eo ipſo, quod non excluditur formaliter intentio ſe obligandi,clauditur virtute in quocumq; actu inducente obligationem, quia cenſetur factum iuxtà ſuam naturam, & communèm vſum. Si verò C animus concordat cum verbis, ſed non adeſt intentio, Iuramentum non obligat tunc ex vi,& religione iuramenti,vittà illius dolosè iurantis intentionẽ,ſed ratione ſcandali exterioris vitãdi, quod ex eius iuramenti trãſgreſſione oriretur; Poteſt tamẽ obligare etiã ceſſante ſcandalo ex iuſtitia, ratione damni ſubſecuti illi, cui factũ eſt: Econtrà, quando iurans fuit in bona fide, & caruit dolo,vtens prudenti amphibologia nullã irrogans iniuriam illi, cui iurat, Iuramentum non obligat in ſenſu, quẽ percipit ille, *22.q.5.cap.* cui iuratur,ſed in ſenſu, quem iurans intendit. Cap. Hun anæ aures. 22. *Hum.aures.* q. 5. 11. in ord. Vbi dicitur Humanę aures verba noſtra talia iudicant, qualia

Digitized by Google

A qualia foris ſonant, Diuina verò iudicia talia ea audiunt, qualia ex internis profæruntur. Idem dicendum, quando vterq; in bona fide fuerit. At in foro externo, quod intentio latitat, ſtabitur communi, ac proprio verborum intellectu, quem ſignificatione ſua, verba oſtendunt.

§ *Quartus. Vtrum Iuramentum extortum per iniuriam, vt ſoluendi vſuras, obliget.*

De Iureiur. c. debitores.

MVltis quæ dici poſſent, ommiſſis, affirmatiuè dicendum eſt, quòd obligat. Patet ex cap. Debitores de Iureiurando. 6. in ord. Vbi expreſsè deciditur, Debitores ad ſoluendas vſuras, in quibus ſe obligarunt, cogi non debent, ſi verò ad ipſarum ſolutionem iurauerunt, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum. Vbi aduerte, quòd nec actio, nec
B obligatio, etiam ſecundaria adquiritur vſurario, ſed tota illius iuramenti obligatio adquiritur Deo, ideo ſubdit textus. Et cum vſuræ ſolutæ fuerint creditores ad eas reſtituendas ſunt eccleſiaſtica ſeueritate, ſi neceſſe fuerit, compellendi.

§ *Quintus. Vtrum Iuramentum per metum extortum obliget?*

S. Thomas. De Iureiu. c. ſi verò. et c. Verum. De his, q; ui, metuſue cauſa fiunt. cap. Ad audiẽtiã

AFfirmatiuè reſpondendum eſt ſecundùm Sanctum Thomam 2. 2. q. 98. art. 3. ad primum. Probatur ex cap. Si verò, & cap. Verum 15. in ord. De iureiurando. Et cap. Ad audientiam. 4. in ord. De ijs, quæ vi, metuſue cauſa fiunt. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad tertium. In iuramento (ait) quod, quis coactus facit, duplex eſt obligatio, Vna quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promiſit, & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promiſſum non ſeruetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat quod per nomen eius promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro cõſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſubſtinere, quàm iuramentum violare.

C

§ *Sextus. Vtrum iuramentum dolo, vel errore, vel ignorantia præſtitum ſit irritum.*

PRimò dicendum eſt, quòd quando error, vel dolus antecedens, ſeu dans cauſam contractui, ſeu ex propoſito contingens, eſt circa ſubſtantiam rei iuramento promiſſæ, iuramentum nil valet prorsùs, nec indigte

diget relaxatione. Exemplum. Siquis iuret alicui dare rem, quam putat eſſe vitream, ac poſtea inuenerit, eſſe auream, non tenetur dare, quia hic error tollit conſenſum, ac proindè reddit irritum iuramentum. A

Secundò dicendum eſt, quòd ſi huiuſmodi error, ſeu dolus circa ſubſtantiam rei iuratæ, ſit non dans cauſam promiſſioni, ſeu concomitãs, ſeu incidens in contractum, ſeu ſola re ipſa contingens idem dicendum eſt, quia ad valorem iuramenti, & matrimonij ſunt neceſſaria conſenſus, & voluntas poſitiua, at error concomitans, quamuis non efficiat actum eſſe inuoluntarium, efficit tamen eſſe non voluntarium, & tollit actualem conſenſum in rem illam promiſſam, circa quam iuratur.

§ *Septimus. Vtrum Iuramentum habeat etiam uim confirmandi contractum, cui adijcitur?*

PRænotandum eſt, quòd contractum confirmari iuramento poteſt dupliciter intelligi, Vno modo, quando contractus, ſecluſo iuramẽto erat in ſe validus, ſed infirmus, eo quòd poterat reuocari, ſeu fas erat contra ipſum reclamare, at virtute iuramenti efficitur irreuocabilis, & ea reclamandi poteſtas denegatur. Alio modo, quando contractus erat in ſe iure ipſo inualidus, at virtute iuramenti adiecti ita firmatur, vt fiat validus, aut ſaltẽ omnes effectus producat quos haberet, ſi validus eſſet. B

Deinde eſt etiam Notandum, quòd iuramentum non poteſt habere hanc vim confirmandi contractus ex ſua natura, nec ex iure aliquo naturali, ſed ſi habet, hoc eſt ex adminiculo iuris poſitiui, ſiue Canonici, ſiue Ciuilis tribuentis eam vim iuramento. Quòd ergo detur huiuſmodi ius Canonicum, vel Ciuile tribuens hanc vim iuramento confirmandi contractus, clarè paret ex cap. Debitores ſupra citato.

Tertiò notandum eſt, quòd triplex conditio debet reperiri in iuramẽto, vt gaudeat virtute firmandi contractus. Prima, vt poſſit abſq; peccato ſeruari. Secunda, vt non reperiatur turpitudo in recipiente. Tertia, vt formaliter, aut æquipollenter contineat promiſſionem non reuocandi contractus. Ex cap. Licet. 2. in ord. De Iureiurando in Sexto, & cap. Pactiones. De Pactis. Circà turpitudinem aduerte, quòd ſufficit turpitudo materialis, id eſt, vt actus ipſe ſit in ſe peccatum, etſi ratione ignorantiæ excuſetur recipiens; Sufficit turpitudo contraria iuri ciuili, inducẽs peccatum in eo, cui iuramentum præſtatur, nec eſt neceſſaria turpitudo formalis. C *De Iureiur. cap. Licet, in Sexto.* *De Pactis. c. Pactiones*

Ex his omnibus prænotatis, quinque propoſitiones elicere poſſumus. Prima eſt. Quando contractus prohibetur primariò, ob publicam vtilitatem,

A tatem, non firmatur iuramento, quia nec tunc ad iuramentum obligat, quoniam abſq; peccato ſeruari non poteſt.

Secunda. Contractus firmatur iuramento lege prohibitus primariò, ob priuatam contrahentis vtilitatem, etſi ſecundariò, ob bonum commune, dummodo non ſit turpitudo in recipiente, quia tunc ea lex non obligat ad culpam, & ideò poteſt iuramentum abſque culpa ſeruari.

Tertia. Non firmatur iuramento contractus, quando eſt in præiudicium tertij ex cap. Cum contingat. De iureiur.

De Iureiur. cap. Cũ contingat.

Quarta. Contractus non firmatur iuramento, quando illud irritum redditur aliquo iure humano, quia tunc perindè eſt, ac ſi iuramentum non eſſet, cum tamquàm irritum nullas obligandi vires habeat.

Quinta. Quando turpitudo reperitur in creditore, in cuius fauorem iuratur, etſi iuramentum obliget, eo tamen non firmatur contractus, vt quando eſt iuramentum de ſoluendis vſuris, aut quando eſt extortum metu, aut dolo.

B

§ *Octauus. De effectibus confirmationis contractus facta iuramento, qui non competunt iuramento habenti vim obligandi.*

SEX ſunt effectus huiuſmodi, qui aſſignari ſolent à doctoribus, videlicet.

Primus Effectus eſt, quando iuramentum obligat, non tamen confirmat contractũ, & dimittitur contractus in ſua natura; Quare ſi erat inualidus, manet inualidus, & iuramentum tunc nullum robur addit contractui, ſed ſolùm obligationem in ordine ad Deum inducit.

Secundus Effectus, quando non confirmat, ſed tantùm obligat, poteſt relaxato iuramento veniri contra contractum.

C Tertius. Quando iuramentum non confirmat contractum, ſed tantùm obligat, impletur momentanea ſolutione, & ſtatim poteſt ſoluens repetere id, quod ſoluit.

Quartus. Quando confirmat, non poteſt relaxatio iuramenti obtineri, poteſt benè quando non confirmat.

Quintus. Quando iuramentum non confirmat contractum, nulla datur actio in foro exteriori aduerſus iurantem, ſæcùs, quando confirmat.

Sextus eſt circà tranſitum obligationis iuratæ ad hæredes. Pro quo dico tria.

Dico primò. Iuſiurandum præſtitum homini (de hoc enim eſt ſermo) eſt ità perſonale ex parte iurantis, vt eius obligatio ex vi iuramenti, & Religionis, non tranſeat ad hæredes, & ſucceſſores iurantis; Vndè hęre-

des

des adeuntes hæreditatem, inquantum vires ſufficiunt, ratione contractus defuncti tenentur ſolùm, ſicut ad cætera debita, & reliquos contractus, A

Dico Secundò: Iuramentum non eſt perſonale ex parte eius, cui iuratur, & ſic tranſit in eius hæredes. Vt iurans dare centum Petro, tenetus ex iuramenti Religione defuncto Petro ante ſolutionem, ſoluere ea centum hæredibus Petri. Ratio, quia actiones defuncti tranſeunt ad hæredes. Silu. Verb. iuramentum 4. q. 2. Dict. 1. & q. 3. *Silueſter.*

Dico Tertiò. Iuramentum, quamuis perſonale ſit ex parte iurantis, poteſt tamen præſtari per procuratorem, Sicut etiam Matrimonium, cum ſit actio perſonalis.

§ *Nonus. Qualiter intelligatur, & obliget iuramentum à Medicis præſtitum de admonendis infirmis, vt confiteantur.*

B

DE Medicis vocatis ad infirmos extat decretum Innoc. III. lib. 5. Decretal. relatum in titulo de Pœnit. & remiſſ. Cap. Cum infirmitatis. Extat etiam ſuper hoc bulla Pij V. cuius initium eſt, *Super gregem Dominium*. eſt 3. in ord. p. 2. Bullarij noui, habetur pag. 178. Ommiſſio huius admonitionis eſt peccatum mortale, quia eſt de re graui, & deducitur ex pænis impoſitis. *De Pænit. et Remiſſ. c. Cũ infirmitat.*

Articulus Secundus.

De Cauſis, ob quas poſſit Iuramentum non obligare.

C

CIrcà præſentem articulum videndum eſt primò, an dentur, vel dari poſſint cauſæ huiuſmodi, ob quas iuramentum poſſit non obligare, neque enim aſſerere poſſumus, hanc, vel illam cauſam iuſtam, ac licitam eſſe, propter quam non obliget iuramentum, niſi priùs eiuſmet inſpecta natura, clarè dignoſcamus, aliud tales admittere cauſas.

A

§ Primus. An dentur Cauſæ, propter quas Iuramentum poſſit non obligare?

IVramentum (vt ſuprà multotiès diximus) duplex cum ſit, Promiſſorium, ſcilicet, & Aſſertorium, de vtroque, quantùm ad hanc dubitationem, loqui poſſumus; Cumque prætereà Promiſſorium iuramentum (vt etiam vidimus) duo tempora ſpectet, præſens ſcilicet, in quo iuramentum fit, & futurũ, quod promiſſionis iuramento firmatę impletionem, & executionem reſpicit, vt diſtinctam huius rei cognitionem habeamus, Tres Concluſiones apponam.

Prima Concluſio. In Iuramento Aſſertorio nulla poteſt aſſignari cauſa, ob quam poſſit non obligare. Probatur, quia nulla cauſa eſſe poteſt, propter quam licitum ſit iurare ſine iuſtitia, iudicio, & veritate, ſed quotieſcũq; ſic iuratur, nulla poteſt eſſe cauſa, cur iuramentum non obliget, ergo &c. Quod autem nulla poſſit eſſe cauſa, propter quam licitum ſit iurare ſinę iuſtitia, iudicio, & Veritate, etiam patet, quia illa eſt obligatio præcepti negatiui naturalis de non vanè iurando, quod ſemper, & pro ſemper obligat.

B

Secunda Concluſio. In Iuramento etiam Promiſſorio, quantùm attinet ad obligationem, quæ reſpicit tempus præſens, in quo ſit iuramentum, nulla poteſt aſſignari cauſa, ob quam poſſit non obligare. Patet ex probatione Primę Concluſionis, eadẽ nàmq; obligatio iurandi in iuſtitia, iudicio, & Veritate eſt tàm in Aſſertorio Iuramento, quàm in Promiſſorio reſpectu præſentis temporis, quo iuramentum fit, ideo, ſicut ibi nulla poteſt dari cauſa talis, ità neque hic.

Tertia Concluſio. In iuramento Promiſſorio quantum ad obligationem, quæ reſpicit tempus futurum, ſeu futuram executionem, poteſt dari cauſa, immò plures cauſæ, ob quas in multis caſibus non obliget. Iſta Concluſio patebit in ſequẽti §. vbi examinabimus, quænam cauſæ huiuſmodi ſint.

C

§ Secundus. Quænam ſint cauſæ, ob quas poſſit iuramentum non obligare?

Toletus. TOletus libro 4. cap. 23. quatuor cauſas aſſignat, propter quas poteſt iuramentum non obligare. Prima eſt ex parte materiæ. Secunda ex parte euentus. Tertia ex parte modi. Quarta ex parte relaxationis. Et circa omnes has cauſas aliquid eſt dicendum pro clariori huius rei notitia

Digitized by Google

notitia. Circa primam igitur cauſam, quæ eſt ex parte materiæ dico duo. A
Primum dictum. Quotieſcumque quis iurat aliquid facere, quod eſt peccatum, peccat iurando; & non tenetur adimplere. Nauar. cap. 12. n. 15. Vers. 16. Et qui iurat facere contra ſtatuta humana, & leges, quæ ſunt de bonis moribus, & iurando peccat, & iuramentum obſeruare non debet. Cap. Quemadmodum. De Iureiur. 25. in ord. Et Reg. Non eſt obligatorium. 58. in ord. De Reg. Iuris. in 6. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. *Nauarr. De iureiur. c. Quemad. De Reg. iuris in 6. Nō eſt obligat.*

Secundum Dictum. Quotieſcūq; id, quod iuratum eſt, bonum eſt, minùs tamen bonum, quàm oppoſitum eius, non eſt obligatio adimplendi iuramentum. Dic vt de Voto. Vndè, qui iurat peregrinationem ad &c. Si poſtea vellet intrare Religionem, quod tamen facere non poſſet, niſi peregrinationem iuratam deſerat, non tenetur iuramentum implere, quia non infringit promiſſum, qui illud in melius commutat. Cap. Peruenit. de Iureiurando. *De Iureiur. Peruenit.*

Circa ſecundam cauſam, quæ eſt parte euentus conſideranda ſunt octo. B

Primò cōſiderandum eſt, Quòd, quando Iuramentum non eſt in fauorem tertij, & euentus reddit rem iuratā minùs bonam, quam oppoſitam, non tenetur iurans ſtare iuramento. Ratio, quia Iuramentum non eſt impeditiuum maioris boni.

Secundò. Si iuramentum factum ſit in fauorem tertij, adimplendum eſt, etiam ſi euentus rem iuratam minùs bonam reddat, quàm oppoſitam.

Tertiò. Impletio cuiuſcumq; iuramenti facti ſolùm in fauorem tertij licitè ommitti poteſt ex ſolo conſenſu illius, cui iuratum eſt. Tolet. lib. 4. cap. 22. Silueſtr. q. 8. 6. S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad Secundum. *Toletus. Silueſter. S. Thom.*

Quartò. Quando iuramentum factum eſt in fauorem tertij cum aliqua coditione, niſi illa adimpleatur, iurans nō obligatur ad iuramentum. dicto cap. Peruenit. De Iureiur.

Quintò. Si quis iurauit, ſe daturum alicui opem, & numquàm ei aduerſaturum, ſi ille talis velit inſurgere in iurantem, vel in ſuos, qui iurauit, non faciet contra iuramentum defendendo ius ſuum, & ſuorum contra illum. Silu. iuramentum 3. q. 1. vtil. 13. Arg. c. petitio. 31. in ord. De Iureiur. & ibi Gloſ. verbis ſpecialibus. Ratio, quia nullus præſumitur ius ſuum negligere, & conſequenter non intelligitur voluiſſe contra ſe, & contra ſuos alteri opem ferre. C *Silueſter. De Iureiu. c. Petitio.*

Sextò. Si famulus iurauit domino, quòd illi obtemperabit, ſi Dominus imperet aliquid inordinatum, non tenetur famulus, illi obedire cap. *De Iureiur. c. Quintan.*

A Quintaualiis 23. in ord. De iureiur. D. Th. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 3.

S. Thomas. Septimò. Quotieſcumq; euentus reddit rem iuratam in diſpendium, ſeu probabile periculum alicuius notabilis mali temporalis, aut propriæ ſalutis temporalis ipſius iurantis, non tenetur iurans ſtare iuramento etiam facto in fauorem tertij.

Octauò. Si euentus reddit rem iuratam, ideſt rei iuratæ impletionem *De Iureiur.* impoſsibilem, aut ita difficilem, vt ſi quando iurauit, eam difficultatem *c. Quarelã,* aduertiſſet, non iuraſſet, non tenetur ſtare iuramento. Arg. Cap. Quære- *& c. Breui.* lam 10. in ord. & cap. Breui. 37. in ord. de iureiur.

Circa tertiam cauſam, quæ eſt ex parte modi duo præcipuè conſideranda ſunt.

Primum. Cum alioqui volentes ſe inuicem honorare, iurant per Deũ, ſe nolle præcedere, in his, & huiuſmodi intelligitur quantum eſt de ſe, & ita, abſque peccato periurij faciunt oppoſitum ſtatim præcedendo. Quod B ſupra cum Toleto obſeruauimus. §. 9. præcedentis Cap.

Secundum. Cum modus iurandi eſt violentus, vndè iuramentum eſt extortum metu cadente in conſtantem virum, non obligat ſecundùm aliquos; Sed hoc non placet, petenda eſt enim relaxatio. Vel dicendum, quòd hoc, quod iſti aſſerunt, verum eſt in materia matrimonij, quia ſicut matrimonium coactum timore cadente in conſtantem virum non valet, ſaltem, lege Eccleſiaſtica, Cap. Cum locum. 14. in ord. & cap. Veniens 15. *De Sponſal. c. Cũ locũ, et Cap. veniẽs. De eo, qui duxit in matrim. quam poll. per Adult. c. ſignificauit.* de Sponſal. Ità iuramentum metu extortum de contrahendo eſt irritum, c. ſignificauit, 2. in ord. & Gloſ. in verbo *tanta vis*. De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

Circa quartam cauſam, quæ eſt ex parte relaxationis obſeruo, quòd Iuramentum. Poteſt relaxari ab eo, in cuius fauorem eſt factum. Silu. Iuram. 5. q. 8. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. ad 2. Tolet. lib. 4. c. 22. Item ceſſat iuramentum, ſi ceſſet cauſa principalis, ob quam eſt factum.

Item qui iurauit ſoluere centum, non poteſt ea repetere, niſi priùs abſoluatur à iuramento; Et ſi iurauit non repetere, non poteſt repetere, C ſed Eccleſiæ denunciare, vt illum cogat reſtituere. Item qui ſic iurauit, *Silueſter.* poſterioris iuramenti abſolutionem petere poteſt, & illa obtenta, prioris *S. Thom.* etiam relaxationem petere poteſt, niſi iurauerit, vel de neutro iuramẽto ſe *Toletus.* petiturum abſolutionem, vel niſi, cum iurauit, intellexit nec per ſe, nec per alium petere relaxationem; poteſt tamen patefacere iuramentum Prælato, & ſi Prælatus voluerit diſpenſare, poterit illa vti, quia talia iuramen- *Silueſter.* ta ſunt fatua. Silueſtr. Iuramentum. 5. q. 14.

Dubium. Pro complemento huius Articuli dubitari poteſt de eo, qui coactus *Solutio.* iurauit latroni, quod ipſum non denunciabit ſuperiori, An poſſit illũ, vel

debeat

debeat denunciare non petens relaxationem iuramenti. A

In hoc caſu, & dubio obſeruandum eſt, quòd, vel ille, qui ſic iurauit tenetur denunciare ſub peccato mortali, puta, ſi res eſſet talis, quæ vergeret in damnum Reip. Vel non tenetur ſub peccato mortali denunciare, puta ſi res eſſet ſua, quia poteſt vnuſquiſque propriam pecuniam, & iniuriam alteri remictere. Si primo modo tenetur denunciare, & ſi non denunciet, peccat mortaliter, etſi iurauit ad euadendam mortem, & tale iuramentũ non eſt ſeruandum. Si ſecundo modo poteſt non denunciare nec peccaret ſimpliciter iurando quòd non denunciabit, intelligendo in mente ſua, quòd ſponte ſua non denunciabit, aut quòd non, niſi legitimè interrogatus à Superiore.

De Ablatione obligationis Iuramenti.

Cap. V.

B

QVòd in Eccleſia Dei ſit poteſtas relaxandi Iuramẽta adeò certum eſt, quòd hoc negare impium, & hereticum eſſet. Manifeſtè id patet Num. cap. 30. & 22. q. 5. cap. Pueri. 15. in ord. Vterque textus clarus eſt, & videri dignus. Ratio eſt, Nàm fieri poteſt, vt quod aliquis iurauit, fiat nociuum, & minùs honeſtum. *Num. 30. 22. q. 5. cap. Pueri.*

Tribus autem modis auferri poteſt iuramenti obligatio, Primò abſolutione, ſiue diſpenſatione Superioris, vel per relaxationẽ partis. Secundò Commutatione, vel redemptione. Tertiò Irritatione. Silu. Iuramentũ. 5.

Abolitio iuramenti locum non habet, cum manifeſtè iuramentum non obligat, quia tunc poteſt, qui iurauit propria auctoritate contrauenire. Sed ſolùm vbi per iuramentum cõtrahitur verè, vel apparenter obligatio, quę alicuius auctoritate, aut voluntate aboleri, aut relaxari poteſt.

Tunc autem iuſiurandum dicitur relaxari, aut abſolui, vel diſpenſari, cum eius vinculum diſſoluitur, & qui iurauit, eo eximitur, ac ſoluitur auctoritate Eccleſiaſtici Magiſtratus, qui ſuperior paſſim dicitur, nimirum Roman. Pontificis, ideſt Papæ, qui habet ſupræmam poteſtatem in Eccleſia militante à ſolo Deo dependentem immediatè, qui poteſt ſuper omnia, & omnium iuramenta, & vota, Epiſcopi, aut alterius Eccleſiaſtici Præfecti, vt ſunt Regulatium Superiores. C

Commutatur Iuramentum, cum eius vinculum ex vna materia, & re ſibi ſubiecta in aliam, transfertur; Remictitur, cum tollitur voluntate eius, cuius gratia iureiurando ſeſe aliquis obſtrinxit; Reſcinditur ſeu etiam relaxatur, hoc eſt, irritum, & inane redditur, vel irritatur,

A cum eius vinculum, auctoritate eius, in cuius poteſtate, & dominio eſt is, qui iurauit, ſoluitur.

Articulus Primus.

De Abſolutione, ſeu diſpenſatione Iuramenti.

ABſolutio non poteſt extendi ad formam iuramenti, ideſt, ad veritatem iuramenti, quia eſt omninò indiſpenſabilis, & contrà ius diuinum, vt quis permittatur peccare mortaliter iurando falſum, quod repugnat formæ iuramenti. Extenditur ergo ad materiam tantùm ad hunc ſenſum, vt id, quod ſub iuramento cadit, ſcilicet, quod erat materia B iuramenti, per abſolutionem non ſit ampliùs eius materia. Cadit ergo diſpenſatio ſolùm circa Promiſſorium, non autem circà Aſſertorium, quia materia iuramenti Aſſertorij, cum ſit de præterito, vel de præſenti tranſit in quandam neceſſitatem, ita vt fiat immutabilis, ideò, ſi fieret diſpenſatio, non referretur ad materiam, ſed ad ipſum actum iuramenti, & ita eſſet contrà præceptum diuinum; Sed materia iuramenti Promiſſorij, cum ſit aliquid futurum, quod variari poteſt, itaut fiat illicitum, & nociuum, & propterea non ſit ampliús debita Iuramenti materia, ideo diſpenſari poteſt. D. Thomas 2. 2. q. 89. artic. 9. Io. Azorius lib. 10. cap. 9. q. 6.

S. Thomas. Azorius.

Dupliciter autem cum poſſit homo aliquid alteri ſub iuramento promittere, bifariam quoq; de abſolutione Iuramenti determinandum eſt. Primò enim poteſt homo promittere quod ad vtilitatem illius, cui iurat pertineat, & à tali promiſſione abſoluere ille poteſt, cui promiſsio facta C eſt, quia intelligitur ſoluiſſe promiſſum; Quare iurantes ſibi inuicem, iuramenta relaxare poſſunt. Siluester. Verbo Iuramentum. 5. q. 8. Secundò poteſt quis promittere quod ad honorem Dei, vel aliorum vtilitatem pertineat, vt, cum quis iurat ingrædi Religionem, vel facere opus miſericordiæ, & ſic conſulendus eſt Prælatus. Idem Siluester. Vbi ſupra.

Siluester.

Aliquando Iuramentum promiſſorium (vt tactum eſt) non indiget relaxatione, neq: diſpenſatione Superioris, ſed ille, qui iurauit, tenetur non ſeruare, vt quando illud, quod promiſſum eſt, repugnat iuſtitiæ, vel eſt peccatum, vt ſi iurauit furari, vel quia impedit maius bonum, vt ſi quis iurauit non ingrædi Religionem. Quando verò eſt dubium, an ſit illici-

tum

tum, vel nociuum, poſſet Epiſcopus diſpenſare. A

Quando promiſſum per iuramentum eſt manifeſtum, & licitum, non poteſt diſpenſari, neq; commutari, ſine cauſa legitima, tale autem eſt, quando occurrit aliquod melius faciendum propter communem vtilitatem, idque ſine iniuria tertiæ perſonæ, vel in vtilitatem ſpiritualem iurantis, quia ſi daretur diſpenſatio ſine cauſa, eſſet nulla. Silueſter. Verb. diſpenſatio q. 3.

§ *Primus. De Cauſis quibus exiſtentibus, Vinculum Iuramenti tolli poteſt.*

CAuſæ, ob quas Iuramenti vinculum ſolui, & tolli poteſt, ipſumque proinde iuramentum abſolui, & diſpenſari ſex potiſſimùm à Doctoribus aſſignari ſolent, nimirùm. B

Primà, ſi turpido inſit iuramento, vel ratione materiæ, & rei promiſſæ, vel ratione eius, qui iuſiurandum iniquè, aut vi, aut dolo, aut metu extorſit. Secundò, ſi dubitetur, an iuſiurandum vim habeat, & locum, necne. Tertio, vt aliorum offenſio tollatur. Quartò, ſi grauius, & maius bonum faciendum occurrat. Quintò, vt peccati periculum, & occaſio præcidatur. Sextò ſi temerè, & inconſideratè quis iurauit, ſeu quadã animi leuitate, & ſubita, aut graui perturbatione.

§ *Secundus. Vtrum Abſolutio iuriſiurandi abſq; legitima cauſa impetrata ſit alicuius momenti?*

EX communi omnium Doctorum Sententia negatiuè ad hanc dubitationẽ reſpondendum eſt, quia ex eorum ſententia iuſiurandi vinculum eſt iuris naturalis, & diuini, & proinde qui eius relaxationem citrà iuſtam cauſam petit, peccat, & qui relaxat, peccat, & ipſa relaxatio inutilis eſt, & inanis. Ratio, quia ea, quę iuris ſunt naturalis, vel diuini, non poſſunt autoritate humana relaxari, & diſſolui ſine iuſta cauſa. Vide Azorium, Vbi ſupra. C

Arti-

A

Articulus Secundus.

De Irritatione Iuramenti.

Silueſter. SVbditorum ſuorum Iuramenta legitimus ſuperior irritare poteſt, in rebus nimirùm, quæ eius poteſtati ſubduntur. Silueſter. Verb. Iuramentum. 5. q. 7. Quapropter poſſunt Patres irritare filiorum ſuorum iuraméta ante pubertatis annos facta. Cap. Pueri. 22. q. 5. Similiter Domini irritare poſſunt iuramenta ſeruorum. Vir irritare poteſt iuramenta Vxoris. Papa iuramenta Clericorum circa res Eccleſiaſticas, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Similiter Superiores Religionum iuramenta Religioſorum.

B Ad hanc irritationē, vel relaxationem, nulla requiritur cauſa, niſi, quia non placet Superiori. Ità dicendum eſt de Votò, vt infrà ſuo loco.

§ *Vnicus Articuli Secundi Quinti Capitis.*

De Conditionibus, quæ ſubintelliguntur in quolibet Iuramento, quàmuis non ponantur à iurante.

QVàmuis à Iurante non ponatur expreſsè conditio aliqua in iuramento, ſeptem tamen ſunt conditiones præcipuę, quæ in quolibet iuramento ſubintelliguntur. Videlicet. Prima, *Si Deo placuerit*. Secunda, *Si placuerit Papę, vel Superiori* nempè ſi res eſt ei ſubiecta. Tertia, *Si non fiat in re mutatio tanta, vt ſi praceſſiſſet, non iuraſſet*. Quarta. *Si eſt res honeſta, & poſſibilis*. Quinta, *Si ſeruetur fides, ſiue promiſſum*. Sexta, Quando iurat quis obedire, intelligitur, *niſi pracipiat aliquid extraordinarium, vel irrationabile*. Septima, *Vt ſubſit facultas*, nàm ſi extrinſecè prohibeatur per vim, vel alio modo, non tenetur. Silueſter. Verb. Iuramentum.

C Silueſter.

His conditionibus, cum ſint generales, non redditur Iuramentum conditionatum, ſed etiam cum illis adhuc remanet abſolutum; fit autem conditionatum, cum adiunguntur ſpeciales, quæ, ſi non exprimàtur, non ſubintelliguntur in iuramento, quàmuis mente concipiantur. Idem. q. p. in fine. Iuramentum autem conditionatum, niſi impleatur conditio, non obligat. Idem. Iuramentum. 3. q. 22.

Arti-

Articulus Tertius.

A

De Interpretatione Iuramenti.

CVM de Iuramenti interpretatione agimus ſecundùm duplex forum loqui de ea poſſumus, vel enim eſt ſermo in foro Dei, & conſcientiæ, vel in foro iudiciali. In foro conſcientiæ ſemper accipiendum eſt iuramentum iuxtà mentem iurantis. Cap. Quacunq; 9. in ord. 22. q. 5. *22. q. 5. Quacunq;* Quacumq; arte verborum, quiſq; iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita, hęc accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit, duplex autem perpetrat malum, quia, & Dei nomen aſſumit, & proximum dolo capit; Et Cap. Qui peierare. 13. eiuſd. Cauſæ 12. Qui peierare paratus eſt antequã *Cap. Qui peierare.* iuret, iam periurus eſſe videtur, quia Deus non ex operibus iudicat, Sed ex cogitationibus, & ex corde. Et ex cap. 1. tit. de iureiurando in 6. B In foro iudiciali ſemper eſt iudicandum ſecundùm communem ſenſum, *De Iureiur. cap. 1. in 6.* quem reddunt verba ipſa, & ſecundùm vtriuſq; iuris regulas, & communem hominum vſum. Ex cap. Literis 10. in ord. De Sponſal. & Matrim. *De Sponſ. & matrim. Literis.* Qui iurauit cum aliqua contrahere, ſi non ſubeſt impedimentum per cēſuram Eccleſiaſticam contrahere compellitur.

In dubio, an quis iurauerit, necne, & an habuerit voluntatem obligandi ſe iuramento, quidam cenſent, eſſe interprætandum, quòd nullo iuriſiurando vinculo tenetur. *Silueſter.* Silu. iuramentum 4. q. 7. Si ſumus in dubio (inquit) quòd ille homo debet ſeruare iuramentum, nec peccati vinculo ſeſe obijciat, quamuis ſi non ſeruet, pæna periurij puniendus non ſit.

Item, Iuſiurandum, quo iuramus non feciſſe nos aliquid, accipiendũ eſt, & interprętandum non ſolum ſecundùm communem ſenſum, quem verba verè ſignificant, ſed etiam ſecundùm communem eum ſenſum, in quo Canones, & leges, & iura voces ſolent accipere; At ſecundùm Canones, & leges, aliquis feciſſe dicitur non ſolùm quod per ſe ipſum fecit, C ſed etiam quod per aliũ fecit, is enim iuris fictione feciſſe dicitur, ideò periurij crimen admictet is, qui aliquid ad ædes alterius, per alium appoſuit, & iurauit, ſe illud non appoſuiſſe.

Item ille, cui Epiſcopus licentiã conceſſit, vt abſens, in ſtudia literarũ incumberet, & eum abſentem ad certũ diem redire iuſſit, ſub iureiurãdo promiſit ſuo creditori, ſe non receſſurum, antequàm ei debitũ ſolueret, ſi iſte debitum, vel æs alienũ contraxit ob aliquid literarũ ſtudio neceſſariũ, tenetur ſtare iuramēto, quia eo ipſo videtur ſe obligaſſe tacito Epiſcopi cõſenſu, nàm vno cõceſſo, cõcedũtur omnia, ſine quibus illud conceſsũ,

Digitized by Google

A effectum habere non poteſt. Cap. Præterea 5. in ord. & cap. Prudentiam. De Officio delegati. Si autem ſine permiſſu Epiſcopi contulit ſe ad literarum ſtudia, aut abſq; neceſſitate, vel cauſa legitima debitum contraxit; tenetur obedire Epiſcopo, & redire.

De Officio Delegati ca. Præterea, et c. Prudētiā.

Item quandocumque duo iuriſiurandi vincula, & obligationes, ad ſe inuicem referuntur, ſi vna deſit, altera quoq; ceſſat. Silu. iuramentum q. 13.

Item quando iuſiurandum attinet ad iurantem, non tranſit ad hæredem, vel ſucceſſorem, quia iuſiurandum eſt vinculum perſonæ, & obligatio vndè vltrà iurantem non extenditur, quando verò attinet ad ſucceſſorem eius, cui eſt aliquid iureiurando promiſſum, transfærtur ad ſucceſſorem: Exemplum. Quando quis fidem, & obedientiam promiſit alteri, expreſſo nomine dignitatis, in qua eſt conſtitutus, aut muneris, & officij, quo fungitur, eo ipſo cæteris in ea dignitate, vel munere ſuccedentibus promiſiſſe cenſetur. Si vero quis promittat alicui expræſſo tantummodo nomine perſonæ, non erit ſic, quia tunc, denuò fidem, & obedientiam, iureiurando ſucceſſori promittere debet.

B

S. Iueſter.

Iuramentum numquàm poteſt interpræteri cum detrimento, & incommodo alterius. Silueſter q. 14. & cap. ſicut noſtris 27. in ord. de Iureiurando. Vbi verba ſummæ ſunt. Iuramentum contra vtilitatem Eccleſiaſticam pręſtitum non tenet; Et in textu habetur, Quia non iuramenta, ſed periuria potiùs ſunt dicenda, quę contra vtilitatem Eccleſiaſticam attentantur.

Debitor, qui iurauit, ſe creditori ſoluturum pecuniam ad certum diē, poſteà ſoluendo non eſt, ſi cum iurauit, præuidet, ſe ſoluendo non fore, periurium admiſit, quia promiſit iurando, quod facturus non erat; Si verò veriſimiliter credidit, ſe ad præſcriptum diem poſſe promiſſum ſoluere, periurus non erit Silu. ſup. q. 25.

C

Qui iurando promiſit. N. decem, & N. debet promittenti alia decem, poteſt illa decem promiſſa iurando retinere, ob alia decem ſibi debita ab N. Idem. Et debitor, qui debet tantùm quinquaginta interrogatus in iudicio an debeat centum, verè poteſt negare, ſe centum debere, & hoc eſt probabilius.

Sanchez.

Iuramentum generaliter præſtitum reſtringendū eſt, vt quantùm fieri poteſt, minùs obliget. Sanchez. lib. 1. de matrim. diſp. 9. num. 11. Iuramentum autem generaliter præſtitum exequendi voluntatem alicuius, vel concedendi quamcumque rem petitam non extenditur, niſi ad ea, de quibus veroſimiliter cogitatum eſt, vel iure optimo cogitari debuit Cap. Quintauallis; de Iureiur. 23. in ord. Silu. Verbo Iuramentum. 3. q. 1.

Verſ.

Verſ. 9. & q. 2. Item Verb. Iuramentum. 4. q. 6. Hinc eſt, quòd ille, qui iurauit exequi aliquid inordinatum ſibi impoſitum, non tenetur, vt ſi iubeatur Clericus deponere beneficium, nec appellare, vel cauſidicus non intrare Curiam Principis, Vir repudiare Vxorem, exhæredare filium. D. Thom. 2. 2. q. 98. a. 2. ad Tertium. Ad Tertium (inquit) dicendum, quòd cum aliquis iurat, vel promiſit, ſe facturũ voluntatem alterius, intelligenda eſt debita conditio, ſi ſcilicet id quòd ei mandatur, licitum ſit, & honeſtum, & portabile, ſiue moderatum Hæc. S. Thom. Vnde ſi iurans animo deſtinet etiam abſurdum, & mortale exequi, vt contingit Herodi. Marci. 6. peccat mortaliter. A *Cap. Quint. De Iureiur. Siluester. S. Thom. S. Marcus.*

Iuramentum faciendi aliquid, aut ommittendi, interpratari, & intelligi debet ex cauſa ſubſiſtenti, tempore, quo præſtitum eſt, ſecùs, ſi noua cauſa ſuperueniat. Cap. Cum inter. De Renunciat. 2. in ord. Vbi dicitur, quod renuncians beneficium, licitè poteſt illud acceptare, ſi denuò ſibi conſæratur; Vndè promittẽs. N. ſub pæna, &c. vel iuramento, nõ eſt pęnæ, vel iuramenti reus, ſi ex noua inimicitia, & illata denuò iniuria eum offendat, quia illa promiſſio intelligitur ratione iniuriæ præteritæ. Item renunciatio iurata iuris habiti, & ſperati intelligitur de iure, quod ſperabatur in poſterum ex cauſa præſenti, quia non dicitur ſpes, quę nullum de præſenti fundamentum habet. *De Renunc. Cum inter.* B

Iuſiurandum ſortitur naturam, & conditiones contractus, cui adijcitur, & iuxtà eius naturam, & cum iiſdem conditionibus, quas ille imbibitas habet interpretandum eſt, quia Iuramentum non auget obligationem, neq; conſenſum, ſed ei tantùm intrà limites ſuos manenti addit Religionis vinculum.

Nullas vires obtinet Iuramentum contra priorem promiſſionem, ſiue iuratam, ſiue ſimplicem.

Actus validè contra iuramentum geſtus regulariter eſt validus, quia Iuramentum id efficit, vt tranſgreſſor in periurium incidat, non tamen impedit valorem actus contrarij. Azorius. lib 11. cap. 6. q. 3. C *Azorius.*

Iuramentum ſemel iàm pręſtitum non poteſt extendi ex ſolo conſenſu, & voluntate iurantis ad alium caſum, niſi iterum illud iuramentum præſtetur. Siluester. Verb. Iuramentum. 4. q. 23. & Cap. Clericus. de Iureiur. 35. in ord. Vtrumque vide. *Siluester.*

Iuſiurandum ità interpratandum eſt, vt non ſit cum detrimento, & incommodo alterius, vt, ſi iurauit quis, quòd ſecretum ſibi commiſſum ſeruabit, non tenetur ſeruare, ſi ſibi, vel alijs noxium eſſet Azor. lib. 10. cap. 8. q. 6. Siluester. vbi ſupra. Vide. *Azorius. Siluester.*

A

§ *Primus. De Interpretatione Iuramenti, ſeu Voti non ludendi.*

Nauarrus. NAuarrus in Manuali cap. 12. num. 11. & alij abſolutè tradunt, quòd iuramentum, vel Votum non ludendi interpretari, ac intelligi debet de ludo illicito magnæ quantitatis, non de licito paruę quantitatis, qui ratione honeſtæ recreationis exercetur.

S. Thomas. Alijs videtur, quòd iuramentum, & Votum abſtinendi ab hoc modico ludo ſint irrita, quia, cum ille ludus ſit actus virtutis ex D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 2. Iuramentum, vel votum abſtinendi ab eo, eſſet contra bonos mores, & actum virtutis, & proinde irrita ſunt.

Sanchez. Thomas Sanchez tenet, quòd, ſi iurans, vel vouens intendit, ſe obligare ad abſtinendum à ludo modicæ quantitatis, & qui alias ſecluſo iuramento, vel voto eſſet actus virtutis, Iuramentum, & Votum eſſent valida; Ratio, quia reperiuntur quidam virtutis actus, quorum priuatio perfectius bonum continet, eò quòd includunt acceſſum ad res terrenas, & mẽs circà eas vagaretur; Inter hos numeratur ludus honeſtus, vti cibis corpori ſalubribus, quę ad vrbanitatẽ, & alias virtutes pertinent Ergo Sic valet, ſicut valet de abſtinẽdo à Matrimonio, quod tamen res bona eſt, & Sacramentũ. Quando autẽ non conſtat de vouentis, ſeu iurantis expræſſa intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt; Qui finis poteſt eſſe duplex, alter priuare ſe illa delectatione ludi, quo peccata ſua puniat, aut mens diuinis tractandis aptior reddatur: Alter finis poteſt eſſe vitare pecuniæ iacturam, & prodigalitatem, quia vterq; finis poteſt cadere ſub iuramẽto.

B

Iurans, vel vouens non ludere, poteſt alijs mutuare pecuniam, vt nomine ſuo ludant, & poteſt ipſos docere in ludo, niſi expræſſè voluit ſe obligare ad abſtinendum etiam ab iſtis.

Iuramentum, vel votum non ludendi cum perſona determinata, vel in determinata domo, loco determinato, vel determinato ludo, manente libertate ludendi cum alijs, in alijs domibus, & locis, & alijs ludis communiter non obligant, obligabunt tamen, quando res illæ determinatæ ſunt alicuius mali occaſio.

C

Non ſufficit, quòd res iuramento, vel voto promiſſa poſſit ordinari in bonum finem, & illi ſeruire, ſed oportet, vt ad id tacitè, vel expręſsè dirigatur à iurante, & vouente.

Iuramentum, vel votum nullo ludo ludendi, niſi tali determinato, eſt validum. Item eſt validum de non ludendo cum perſona determinata.

§ *Secun-*

§ *Secundus. De Modis, quibus peccatur malè iurando.* A

NOuem præcipui modi ſunt, ad quos reduci ſolent peccata, quę malè iurando committuntur, quos hic ſubijciemus.

Primò peccat mortaliter iurans ſcienter falſum etiam ſi ioco, coactione, metu, vel etiam lapſu linguæ.

Secundò peccat mortaliter, & eſt periurus affirmàns pro certo, eſſe verum, quod ita eſſe certò ignorat, ſed dubitat in animo.

Tertiò peccat mortaliter, & eſt periurus iurans quod verum exiſtimat, & tamen re vera eſt falſum, niſi quantùm potuit, curam, & diligentiam adhibuerit, vt totam rem compertam, & exploratam haberet.

Quartò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui iurat alicui, aliquid ſic eſſe, vel nō eſſe, intēdēs verba aliter, quā ſonāt, ſi legitimè ſit interrogatus.

Quintò peccat mortaliter qui iurat per falſos Deos. C. Mouet. 22. q. 1. Exod. 23. *Per nomen externorum deorum non iurabitis, neq; audietur.* Item peccat mortaliter qui alios inducit ad iurandum per falſos Deos, non tamen peccat qui recipit iuramentum, ſi adſit iuſta cauſa, dummodo non inducat ad iurandum. D. Thom. 22. q. 98. art. 4. Quod etiam ſupra notauimus. B

Sextò peccat mortaliter qui inducit alios ad falsò iurandum ſcienter, etiam per verum Deum. C. Ille 22. q. 5.

Septimò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui cum iuramento promittit, quòd licitum aliquid faciet, cum tamen non habeat in animo, aut promiſſum implere, aut ſi ſic, promiſſum non implet; niſi ille cui, promiſit, iuramentum relaxet. 22. q. 2. c. 1.

Octauò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui iurat, quòd faciet aliquod illicitum.

Nonò peccat mortaliter qui iurat, quòd tenebit aliquid ſecretū, & poſteà aduertenter, & ex propoſito illud reuelat, ſi illud ſecretum, tuta conſcientia tenere poteſt ſecretò. C

§ *Tertius: De Iuramento incauto.*

ALiquid eſſe iniuſtum dupliciter intelligi poteſt, Vno modo dicitur iniuſtum, quia prohibitum; Alio modo prohibitum, quia iniuſtū; Prohibitum quia iniuſtum dicitur illud, quod de ſua natura vitioſum eſt. Iniuſtum, quia prohibitum, dicitur illud, quod de ſe erat licitum, ſed ex prohibitione factum eſt illicitum, vt commedere de ligno ſcientiæ boni, & mali Gen. 1. Iuramentū primo modo de faciendo aliquid, nullo modo eſt obligatoriū. Cum iuramentū eſt ſecundo modo, iterū diſtinguēdū eſt *Geneſis.*

quia.

A

§ *Primus. De Interpretatione Iuramenti, ſeu Voti non ludendi.*

Nauarrus. NAuarrus in Manuali cap. 12. num. 11. & alij abſolutè tradunt, quòd iuramentum, vel Votum non ludendi interpretari, ac intelligi debet de ludo illicito magnæ quantitatis, non de licito paruę quantitatis, qui ratione honeſtæ recreationis exercetur.

S. Thomas. Alijs videtur, quòd iuramentum, & Votum abſtinendi ab hoc modico ludo ſint irrita, quia, cum ille ludus ſit actus virtutis ex D. Thom. 2. 2. q. 168. a. 2. Iuramentum, vel votum abſtinendi ab eo, eſſet contra bonos mores, & actum virtutis, & proinde irrita ſunt.

Sanchez. Thomàs Sanchez tenet, quòd, ſi iurans, vel vouens intendit, ſe obligare ad abſtinendum à ludo modicæ quantitatis, & qui alias ſecluſo iuramento, vel voto eſſet actus virtutis, Iuramentum, & Votum eſſent va-

B

lida; Ratio, quia reperiuntur quidam virtutis actus, quorum priuatio perfectius bonum continet, eò quòd includunt acceſſum ad res terrenas, & mẽs circà eas vagaretur; Inter hos numeratur ludus honeſtus, vti cibis corpori ſalubribus, quę ad vrbanitatẽ, & alias virtutes pertinent Ergo Sic valet, ſicut valet de abſtinẽdo à Matrimonio, quod tamen res bona eſt, & Sacramentũ. Quando autẽ non conſtat de vouentis, ſeũ iurantis expræſſa intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt; Qui finis poteſt eſſe duplex, alter priuare ſe illa delectatione ludi, quo peccata ſua puniat, aut mens diuinis tractandis aptior reddatur: Alter finis poteſt eſſe vitare pecuniæ iacturam, & prodigalitatem, quia vterq; finis poteſt cadere ſub iuramẽto.

Iurans, vel vouens non ludere, poteſt alijs mutuare pecuniam, vt nomine ſuo ludant, & poteſt ipſos docere in ludo, niſi expræſſè voluit ſe obligare ad abſtinendum etiam ab iſtis.

Iuramentum, vel votum non ludendi cum perſona determinata, vel in determinata domo, loco determinato, vel determinato ludo, manente

C

libertate ludendi cum alijs, in alijs domibus, & locis, & alijs ludis communiter non obligant, obligabunt tamen, quando res illæ determinatæ ſunt alicuius mali occaſio.

Non ſufficit, quòd res iuramento, vel voto promiſſa poſſit ordinari in bonum finem, & illi ſeruire, ſed oportet, vt ad id tacitè, vel exprę̃ſsè dirigatur à iurante, & vouente.

Iuramentum, vel votum nullo ludo ludendi, niſi tali determinato, eſt validum. Item eſt validum de non ludendo cum perſona determinata.

§ Secun-

§ *Secundus. De Modis, quibus peccatur malè iurando.* A

NOuem præcipui modi ſunt, ad quos reduci ſolent peccata, quę malè iurando committuntur, quos hic ſubijciemus.

Primò peccat mortaliter iurans ſcienter falſum etiam ſi ioco, coactione, metu, vel etiam lapſu linguæ.

Secundò peccat mortaliter, & eſt periurus affirmans pro certo, eſſe verum, quod ita eſſe certò ignorat, ſed dubitat in animo.

Tertiò peccat mortaliter, & eſt periurus iurans quod verum exiſtimat, & tamen re vera eſt falſum, niſi quantùm potuit, curam, & diligentiam adhibuerit, vt totam rem compertam, & exploratam haberet.

Quartò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui iurat alicui, aliquid ſic eſſe, vel nō eſſe, intēdēs verba aliter, quā ſonāt, ſi legitime ſit interrogatus.

Quintò peccat mortaliter qui iurat per falſos Deos. C. Mouet. 22. q. 1. Exod. 23. *Per nomen externorum deorum non iurabitis, neq; audietur.* Item peccat mortaliter qui alios inducit ad iurandum per falſos Deos, non tamen peccat qui recipit iuramentum, ſi adſit iuſta cauſa, dummodo non inducat ad iurandum. D. Thom. 22. q. 98. art. 4. Quod etiam ſupra notauimus. B

Sextò peccat mortaliter qui inducit alios ad falsò iurandum ſcienter, etiam per verum Deum. C. Ille 22. q. 5.

Septimò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui cum iuramento promiſit, quòd licitum aliquid faciet, cum tamen non habeat in animo, aut promiſſum implere, aut ſi ſic, promiſſum non implet; niſi ille cui, promiſit, iuramentum relaxet. 22. q. 2. c. 1.

Octauò peccat mortaliter, & eſt periurus, qui iurat, quòd faciet aliquod illicitum.

Nonò peccat mortaliter qui iurat, quòd tenebit aliquid ſecretū, & poſteà aduertenter, & ex propoſito illud reuelat, ſi illud ſecretum, tuta conſcientia tenere poteſt ſecretò. C.

§ *Tertius. De Iuramento incauto.*

ALiquid eſſe iniuſtum dupliciter intelligi poteſt, Vno modo dicitur iniuſtum, quia prohibitum; Alio modo prohibitum, quia iniuſtū; Prohibitum quia iniuſtum dicitur illud, quod de ſua natura vitioſum eſt. Iniuſtum, quia prohibitum, dicitur illud, quod de ſe erat licitum, ſed ex prohibitione factum eſt illicitum, vt commedere de ligno ſcientiæ boni, & mali Gen. 1. Iuramentū primo modo de faciendo aliquid, nullo modo eſt obligatoriū. Cum iuramentū eſt ſecundo modo, iterū diſtinguēdū eſt *Geneſis.*

quia

A quia, aut iurando ſic ſeruatur intentio prohibentis, aut non; Si ſeruatur intentio, licitum eſt, & obligatorium, ſi non ſeruatur intentio, non eſt obligatorium, nec licitum, quia deeſt illi comes iuramenti ſcilicet iuſtitia. Primo modo fuit iuramentum Ioſuæ cum Gabaonitis, iurando enim cũ eis fœdus, de non interficiendo, ſeruauit intentionem Diuinæ prohibitionis Deuteron. 7. vbi præcipitur, vt occiderentur habitatores terræ promiſſionis, ne, ſi dimiterentur viuere, viuentes interficerent filios Iſrael, & auerterent à Diuino cultu; Vbi dicitur *Percuties eos vſque ad interitionem, non inibis cum eis fœdus, nec filiam eius, accipies filio tuo, quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me*. Quid ergo dicemus, quòd Ioſue non interfecit eos? D. Ambroſ. lib. de Officijs. Mulctauit (inquit) eòs Ioſue meliori morte, ſcilicet obſequio miniſterij, vt eſſet clementior ſententia, ſed diuturna ſeruitus, licèt ergo non fuerint occiſi morte naturali, quæ eſt in ſeparatione animæ à corpore, fuerunt tamen occiſi morte legali, quæ eſt Seruitus, Seruitus enim eſt mors interpratatiua, interpratatur enim mors ſecundùm leges, ſeruata intentione prohibitionis Diuinæ, quia neminẽ poſſunt corrumpere ſeruituti addicti. Dicendum itaq; quòd Iuramentum Ioſue obſeruatum non vergebat in malum exitum immò in bonum.

Deuteron.

S. Ambroſ.

B

Triplici præterea ratione Gabaonitæ fuerunt reſeruati, non interfecti. Vna ratio fuit literalis, quia melius erat, vt damnarentur perpetua ſeruitute, quàm punirentur morte, maximè, cum prompti eſſent ſeruire, magis, quàm mortem ſuſtinere, ſicut ex ipſo textu apparet. Secunda ratio eſt moralis, quia in hoc ſignificatur, quòd quantumcumq; Deus minetur alicui, & indignetur in præſenti vita, ſi tamen ad ipſum reuertatur toto corde, non claudit viſcera miſericordiæ. Tertia ratio eſt figuralis, quia in hoc ſignificatur, quòd ſemper in nobis ſunt duo populi, ſecundùm quòd duo fuerunt in terra promiſſionis ſcilicet Amorrheorum, & filiorũ Iſrael, hoc eſt, motuum rationabilium, & brutalium, ſecundùm quòd dicit, S. Bernardus. Quantùmcumque labores, neceſſe eſt, vt intra fines tuos, habitet Iebuſeus. Hæc S. Bonauent. in 3. ſent. diſt. 39. quæſt. vlt. ad primum princip.

S. Bernard.

C

S. Bonauent.

Ad illud autem, quòd dicitur, Dominus præceperat, ne inirent fœdus cum eis.

Reſpondetur, quòd hoc eſt intelligendum quantùm ad eos, qui erant incorrigibiles.

F. VIN-

Digitized by Google

A

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Tractatus Quintus.

De Tertio Decalogi Pręcepto.

De Tertij Decalogi Præcepti Intelligentia. Cap. I.

PRęceptum, quod tertio loco in Decalogo ponitur his verbis expræſſum habetur Exodi 20. n. 8. vſq; ad 12. *Memento, vt diem Sabbati Sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: Non facies omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſeruus tuus, & ancilla tua, Iumentum tuum, & aduena, qui eſt intrà portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus Cælum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo, Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & Sanctificauit eum.* Duo Itaq; ad primum hoc caput ſpectare iudicamus, prout duo præcipuè ſunt quę ad huiuſmet Præcepti intelligentiam conducunt. Primum quidem eſt nominis *Sabbati* vis, & ſignificatum; Secundum eſt explicatio eorum, quę circa iſtud Pręceptum in ſacra ſcriptura habentur; Vndè duo quoq; erunt Capitis iſtius Articuli. B *Exod.* C

Articulus Primus.

Quid ſignificet hoc nomen, Sabbatum.

HÆC Vox *Sabbatum* eſt vox hebraica, & dicitur a Verbo *Sabbat*, quod latinè ſignificat *quieſcere, & ab operando ceſſare*; Eſt igitur, dictum *Sabbatum*, quia ſeptimo die, ceſſauit Deus ab omni opere, quod fecerat.

A fecerat, *Et requieuit die ſeptimo, ab vniuerſo opere, quòd patrarat.* Gen. 2. num. 2. & 3. Sumitur *Sabbatum* aliquando pro ſeptimo die hebdomadæ, in quo Deus quieuit, poſtquam vniuerſam mundi machinam ex nihilo procreatam ex omni parte perfecerat. Aliquando ſumitur, pro hebdomada (per ſinechdochem, qua per partem, totum intelligi ſolet) vndè illud phariſei, *Ieiuno bis in Sabbato*, Lucæ 18. num. 12. intelligitur bis in hebdomada; Et cum dicitur, prima, vel ſecunda *Sabbati*, idem eſt, quod prima, vel ſecunda dies hebdomadæ. Aliquando ſumitur pro, quolibet die feſto, in quo veteris legis præſcripto vacandum, ac ſupraſedendum erat à priuatis, & publicis ciuilibus operibus, quales erant Paſchæ, Ponthecoſtæ, Tabernaculorum, Et de *Sabbato* hoc modo ſumpto intelligitur illud Leuit. 23. num. 32. A veſpera, vſq; ad veſperam celebrabitis *Sabbata* veſtra, ideſt dies feſtos veſtros.

Geneſis. *S. Lucas.* *Leuiticus.*

B

Articulus Secundus.

De Intelligentia eorum, quæ circa hoc tertium Decalogi Præceptum de Sabbati ſanctificatione in Sacra Scriptura habentur.

Ex verbis initio Capitis allatis, quibus in Exodo iſtud præceptum à Domino preſcribitur, manifeſtè colligitur, quòd hoc præceptum eſt inductiuum ad participandum bonitatem Dei, & continet tres particulas. In prima præcipitur ſanctificatio, cum dicitur, *Memento, vt diem Sabbati ſanctifices*, In ſecunda operatio, cum dicitur, *Sex diebus operaberis*, In tertia, interdicitur omnis operatio in die Sabbati, cum dicitur,
C *Non facies omne opus, in eo*. In prima præcipitur ſanctificatio, ideſt, vacatio ad Deum; Sanctum enim dicitur, à communi vſu ad cultum Dei ſeparatum; Præceptum, ergo ſanctificationis eſt, de ſeparando à curis ſuperfluis animum, & mancipando cultui Diuino, & hoc eſt vacare Deo. Hoc facimus, tribus modis, Generaliter, Specialiter, Specialiſſimè. Generaliter, ſeparando nos à vitijs, & intentionem noſtram, *ad Sabbatum* habentes. Gloſſa, ideſt, ad requiem æternitatis. Specialiter, temporibus determinatis, & horis debitis, & diebus vacationi intendentes, orando, meditando, & ſeparando nos ab operibus externis. Specialiſſimè, ab omnibus mundanis nos ſeparando, vt totaliter Deo vacemus, vt faciunt

ciunt viri contemplatiui. Prima ſanctificatio eſt neceſſaria. Secunda, debita. Tertia, perfecta. In prima, ſeparatio fit à vitijs. In ſecunda, à à licitis. In tertia, à ſollicitudinibus. A

Operatio, ſiue operari, quod præcipitur in ſecunda particula accipitur duobus modis. Vno modo literaliter. Alio modo ſpiritualiter. Primo modo præcipitur cuilibet operari tempore determinato, contra otioſitatem. Secundo modo præcipitur operari, ſecundùm opera miſericordię, contra immiſericordiam.

Quod continetur in tertia particula, *non facies, &c.* accipitur etiam duobus modis, Vno modo, literaliter. Alio modo ſpiritualiter; Primo modo præcipitur vacatio à corporalibus operibus, quæ impediunt vacationem ad Deum in ſolemnitatibus, vt negotiatio, & huiuſmodi, & ideò non tantùm de rationalibus, ſed etiam de irrationalibus iniungitur, vt quieſcant, quia non laborant irrationalia ſine ducatu rationalium hominum; Secundo modo accipitur quies iſta per deſignationem quietis à vitijs. B

In prima ergo particula, qua præcipitur ſanctificatio iniungitur conuerſio, ad ſummam bonitatem. In ſecunda iniungitur imitatio, quæ eſt opus miſericordiæ, *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt*, non enim eſt illa bonitas otioſa, immò diffundit radios beneficiorum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Matth. 7. *S. Matthæus.* In tertia, in qua pręcipitur quietudo à vitijs, iniungitur omnis malitiæ declinatio.

Tria ſunt in hoc præcepto, Sanctificatio; Temporis aſſignatio; Obſeruatio. Sanctificatio eſt ipſamet ad Deum vacatio orando, colendo, meditando, &c. Temporis aſſignatio, ideſt ſeptimæ diei, ſeptemnarius enim numerus apud Hæbreos honorabilis eſt, Deo iubente, ipſum honorari. Primum eſt purè morale. Secundùm eſt purè cæremoniale. Tertium ſcilicet obſeruatio, ſi conſideretur cauſa inſtitutionis, quia eſt inſtitutum ad ſignificandum mentis, & Animę pacem, eſt cæremoniale, ſi verò conſideretur ratione inſtitutionis operandi, quod eſt operari in aliquo genere virtutis, eſt morale. C

Additur huic tertio pręcepto, & non alijs verbum commemorationis *Memento*, quia in Superioribus, puta Gen. 2. n. 2. & 3. Et Exod. 16. n. 23. *Geneſis. Exod.* inſinuata fuerat ipſis Iudæis *Sabbati*, ideſt, ſeptimę diei obſeruatio in colligendo manna, feria ſexta etiam pro Sabbato. Hęc Alenſis. p. 3. q. 32. Et quia die ſeptimo (vt dictum eſt) quieuit Deus ab operando.

Quieſcere in Deo, poteſt intelligi duobus modis. Vno modo per negationem. Alio modo per poſitionem. Et vtroque modo dupliciter.

A Vno modo, vt ſit negatio, ex parte creaturæ, ac ſi ſit ſenſus, *requieuit*, quia poſtea nihil nouum fecit in ſpecie. Alio modo, vt ſit negatio ex parte creatoris, & hoc modo eſt ſenſus *requieuit*, ideſt, operibus non indiguit, vt in eis requieſceret, ſed in ſe ipſo quietus fuit. Secundo modo, ſcilicet per poſitionem; Vno modo, vt per ly *requieſcere* ponatur actio; Alio modo, vt ponatur ſignificatio. Si primo modo ſcilicet, ſi ponatur actio, intelligitur, per cauſam, vndè requieſcere Dei ſecundum D. Aug. eſt, rationali creaturæ in ſe requiem præſtare, vt illuc deſiderio færatur, vbi requieſcat; Sicut enim facere dicitur, cum ipſo in nobis operante, facimus, & cognoſcere, cum cognoſcimus, ſic requieſcere eum, eius munere quieſcere. Si ſecundo modo, ſcilicet ſi ponatur ſignificatio, intelligitur duobus modis, Vno modo Anagogicè; Alio modo Allegoricè. Primo modo ſic, *requieuit die ſeptimo*, ideſt, ſignificauit, quòd poſt bona opera in præſenti, dabit requiem, in futuro; Secundo modo ſic, *requieuit*, ideſt, diem, quo Chriſtus poſt mortē requieuit in ſepulchro, præfigurare voluit.

S. Auguſt.

B Determinatio circà operationem in Sabbato aliter ponitur Exod. 20. & Deut. 5. & aliter, Deut. 23. Nam Exod. 20. & Deut. 5. ponitur moraliter. Deut. 23. ponitur figuraliter; Quia in præceptis moralibus ponitur determinatio moraliter. In figuralibus, figuraliter; Moraliter ſic, *non facies omne opus in eo*, videlicet ſeptimo die *tu*, *& filius tuus*, *&c. iumentum tuum*, *&c.* Vbi interdicitur opus impediens vacationem ad Deum, primò quòad ſe, *tu*, ſecundò quòad alium *nec filius tuus*, *&c. nec iumentum tuum*, *&c.* Quòad alium interdicitur duobus modis, ſicuti duobus modis contingit operari, vno modo, miniſterio rationalis hominis. Alio modo, miniſterio irrationalis iumenti, & vtrumque eſt morale, inquantùm ſcilicet reducitur ad vacationem, quæ eſt ad Deum. Figuraliter, ſic, *ſeptima die ceſſabis*, *vt requieſcat ſeruus*, *Ancilla*, *Bos*, *Aſinus*. Secundùm Damaſcenum, ſignificatur Appetitus ſenſualis nàm per bouem, ſignificatur ira, per Aſinum, concupiſcentia, & eſt ſenſus, vt quieſcere faciamus appetitum ſenſualem, iram, & concupiſcentiam malam, vt Deo Vacemus.

Exod. Deuteron.

S. Io. Damaſ.

C Vacatio, quæ eſt ad Deum, intelligitur duobus modis. In habitu, & in actu; In habitu, non recipit taxationem temporis, quantùm ad ſeruiētes Deo ex charitate, ille enim, qui eſt in charitate, in habitu, totum tempus vitæ ſuæ Deo offert. Quantùm ad ſeruientes Deo ex timore pœnæ, qui redimunt tempus in ſeruiendo, quia tempus ſeruitij eſt eis, ſicut coactum, taxatur tempus. In actu, vacatio recipit taxationem temporis, quia non eſt poſſibile degentibus in vita mortali ſemper vacare,

indè

indè eſt, quód Iudæis determinabatur dies ſeptima, ſicut Chriſtianis, dies octaua, in qua (ſicut dicit Damaſcenus) ab amplexu, qui eſt circà materialia, ad Deum congregentur in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, & meditationibus Scripturarum. A

De ordine, & connexione, ſeu continuatione huius tertij præcepti ad duo alia primæ tabulæ.

Cap. II.

TRIA (ſicut aliàs dictum eſt) Deo debemus, Fidelitatem, Reuerentiam, & Famulatum; Fidelitas conſiſtit in hoc, vt principatus non deferatur ad alium. Reuerentia, hoc exigit, vt nihil iniurioſum in eum committatur; De primo, in primo præcepto; De ſecundo, in ſecundo. Famulatus debetur Deo in memoriam, & compenſationem beneficiorum, quæ ab eo ſunt nobis collata, & de hoc, in hoc tertio præcepto de ſanctificatione Sabbati in memoriã creationis mundi, & eorum, quę in mundo ſunt, Redemptionis generis humani, & beneficiorum omnium præteritorum, præſentium, & futurorum. B

D.Th.2.2.q.122.art.4. Remotis (inquit) impedimẽtis verę Religionis per primũ, & ſecundum pręceptum Decalogi, vt ſuprà dictum eſt, cõſequens fuit, vt tertium præceptum poneretur, per quod homines in vera religione fundarentur. Ad religionem autem pertinet, cultum Deo exhibere. Sicut autem in ſcriptura diuina traditur nobis cultus interior ſub aliquibus corporalium rerum ſimilitudinibus, ita cultus exterior Deo debetur per aliquod ſenſibile ſignum. Et quia ad interiorem cultum, qui conſiſtit in oratione, & deuotione, magis inducitur homo ex interiori Spiritus ſancti inſtinctu, præceptum legis dandum fuit de exteriori cultu ſecundùm aliquod ſenſibile ſignum. Et quia præcepta Decalogi ſunt quaſi quædam prima, & communia legis principia: ideo in tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus ſub ſigno communis beneficij: quod pertinet ad homines, ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, à quo requieuiſſe dicitur Deus ſeptima die: in cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda, id eſt deputanda ad vacandum Deo. C

Digitized by Google

A Et ideo Exod. 22. præmiſſo præcepto de ſanctificatione ſabbati, aſſignatur ratio: quia ſex diebus fecit Deus cælum & terram, & in ſeptima die requieuit.

Hic autem externus cultus, qui Deo à nobis debetur, hoc legis præcepto præſcriptus, eſt quidam veluti fructus primi præcepti, quo interior & exterior cultus Deo debitus precipitur, quia illum, quem mente, & animo, Fide, & Spe ad ſucti, piè, ac Religioſè veneramur, & colimus, externò etiam cultu honoramus, & illi debitas gratias agimus; Quoniam, autem rerum humanarum multis, & varijs occupationibus, & curis diſtracti impedimur, ita vt difficilè huius Religionis Diuinæ officia præſtemus, certum, & definitum tempus ſtatutum eſt, quo ea commodè præſtare valeamus, & ita hoc tertio præcepto, certa tempora conſtituuntur, quibus externus Deo cultus, & honor, grato animo, & voluntate tribuatur. Ex Chatechiſmo Rom. cap. 3.

Cathechiſ.

B S. Bonau. in 3. d. 37. dub. 3. circa literam. In mandato (ait) Sabbati erat duo conſiderare, vel ceſſationē ab opere ſeruili, vt homo deo liberè vacaret, & intenderet. Aliud erat ibi conſiderare, videlicet ſignificationē diei, & determinationē operum exteriorũ, à quibus erat ceſſandum. Quãtùm ad primum, mandatum de ſabbato erat morale: hoc enim omni tempore dominus requiſiuit, vt homo ſibi habitaculum cordis præpararet, & eidem aliquandò vacaret, vt per dilectionem eidem adhæreret: & quãtùm ad hoc non tantùm erat morale, ſed etiam quodãmodo faciebat ad aliorum moralium integram impletionem: quia dum homo vacat ſibi, & deo, melius cognoſcit quid agendum, & quid eſt faciendum; & propterea iſti mandato ſpecialiter præmittitur *Memento*, quia in eius memoratione cætera memorantur. Aliud verò eſt ibi diei ſignificatio, & determinatio operis; & quantùm ad hoc cæremoniale eſt, & figurale, ſignans, a quo ceſſandum eſt: quoniam ab opere peccati: & quid credendum, & expectandum, videlicet quies paſſionis Chriſti in ſepulcro.

C Et quãtùm ad hoc reponi habet inter cæremonialia: & hæc eſt ratio quare mandatum illud frequentiùs in lege exprimitur, quàm aliquod aliorum, quia ſecundùm diuerſas ſui conditiones ſpectat ad diuerſa genera mandatorum. Vndè aliquando nominatur inter cæremonialia, & aliquando inter moralia: & inquantũm morale eſt, manet in lege noua: inquantùm cæremoniale, euacuata eſt, veritate adueniente. Vnde obſeuantia ſabbati euacuata eſt in lege noua.

In obſeruatione alicuius temporis Diuino cultui dicati duo poſſunt conſiderari. Alterum ſpectans ad ius naturale; Alterum ad ius poſitiuum; Quia inuenitur aliquid, quod dictante ratione naturali neceſſariũ

eſt

eſt, etiamſi per nullam aliam legem extrinſecã ſit præcipiatur, & aliquid, quod alicuius legiſlatoris voluntate inductum eſt. Vndè naturale, ideſt, iuris naturalis eſt, quòd aliquod tempus tribuatur ſolo Diuino cultui. quòd verò tale tempus ſit determinatum ad talem diem, vel horam, hoc eſt iuris poſitiui. Modò, Cultus Dei externus, eſt iuris naturalis: At quoniam homo, ad ſuas actiones, præſertim externas, indiget tempore, ideò ſub eodem præcepto cadit, vt in eo cultu exercendo tẽpus aliquod inſumat. Et quia non poteſt homo conuenienter vacare Diuino cultui, niſi vacet ab alijs operibus, ſequitur, quòd hoc etiam cadat ſub eodem præcepto, pro eo, nimirum, tempore, quo cultui Diuino vacandum eſt. Ex his elicimus, quòd præcepta, quatenùs certa tempora determinant, ſunt poſitiua, non naturalia; Vndè hoc tertium præceptum, quatenùs abſolutè præcipit cultum Dei externum, eſt morale; D. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 1. Ineſt enim homini, naturalis inclinatio, ad hoc, quòd cuilibet rei neceſſariç deputet aliquod tempus, ſicut corporali refectioni, ſomno, & alijs huiuſmodi. Vndè etiam ſpirituali refectioni, quâ mens hominis in Deo reficitur, ſecundùm dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo. Et ſic habere aliquod tempus deputatum ad vacãdum Diuinis, cadit ſub præcepto morali.

A — *S. Thom.* — *B*

Erat quidem cæremoniale quòad multa. Primò, quòad ſignificationem, nàm datum eſt illud præceptum (vt dictum eſt) in ſignum rememoratiuum beneficij creationis. Secundò erat cæremoniale quòad allegoricam ſignificationem, allegoricè enim fuit ſignum quietis Chriſti in Sepulchro, quæ fuit ſeptima die. Tertiò ſecundùm moralem, prout ſignificat ceſſationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo. Quartò ſecundum anagogicam, Anagogicè enim ſignificat, & præfigurat quietem æternæ patriæ, ideſt fruitionis Dei, quæ eſt in patria. Item fuit cæremoniale quòad temporis determinationem. Fuit cæremoniale, & iuris poſitiui in illa determinatione, quòd ſcilicet ſolemnitas illa *Sabbati* iuſſa eſt obſeruari per vigintiquatuor horas integras, iuxtà illud Leuit. 23. *A veſpera, vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra.* Fuit cæremoniale, & poſitiuum, in illa determinatione, otium; & ceſſatio ab operibus, ibi præcepta, quia illa ceſſatio non erat per ſe, & ex ſola ratione naturali, neceſſaria ad cultum Diuinum. Cautè intellige propter dicta ſuperius. Modò inquantùm eſt morale obligauit, obligat, & obligabit omnes. Inquantùm cæremoniale, quantùm ſcilicet ad totam illam determinationem, quam addit vltrà moralem, ac naturalem obligationẽ, ceſſauit, & in lege gratiæ non obligat. Sicut nec præcepta de alijs feſtiuitatibus in veteri lege lata nunc obligant; Et hoc eſt de fide.

Præceptum de Sabb. quomodo erat Cæremonial. — *C* — *Leuiticus.* — *Præcept. de Sabb. quomodo nũc obliget.*

Ex

A

Lex vetus mortua, & mortifera.

Ex his habemus, quòd Lex vetus mortua eſt, & mortifera. Dicitur mortua, quatenùs non obligat, & eſt per Euangelium, euacuata. Dicitur mortifera, quia non ſolùm obligat, nec tenemur eam ſeruare, ſed etiam, quia peccatum eſt, illam ſeruare, & mortem affert illam ſeruantibus. Eſt mortua, quia fuit poſita ſolùm vſque ad conſumationem Chriſti; Eſt mortifera, quia erat vmbra, & figura futurorum, & ideo, adueniente luce, & veritate, ceſſare debuit, & prohiberi, quia lex vſque ad Chriſtum, iàm enim eius ſignificatio, & profeſſio falſa eſt. Hinc intelligimus, quòd eſt abſolutè mortifæra nunc obſeruatio *Sabbati*, qualis ſcilicet præſcribebatur à lege Veteri.

Hac etiam de re egregiè loquitur Scotus in 4. D. 3. q. 4. ad Arg. cuius doctrinam, & verba, quoniam ſuperius Tractatu 2. in Appendice ad III. Caput attulimus, nunc cõſultò ommiſimus, ad eum locum lectorem remictentes. Vnicam tantùm addentes dubitationem ex eodem Scoto ad maiorem dilucidationem.

B

Chriſtus dominus fuit circumciſus, ergo Circumciſio non ceſſauit.

Scotus.

Reſpondet Scotus, quòd non oportuit, legiſlatorem ſtatim circa Natiuitatem ſuam, legem ferre; & ideo in principio ſui temporis lex prior adhùc durauit, vndè, & illa, quæ fuerunt legis naturæ, fuerunt obſeruanda circà Moyſem vſq; ad tempus dationis legis in monte Synai: ita hic. Et eodem modo poteſt dici de Agni Paſchalis manducatione in cæna, quia in morte Chriſti cauſaliter exſpirauit lex vetus, licèt non pro tunc, ſed pro tempore publicationis huius cauſæ, & legis Euangelicæ, & ideo, vſque ad mortem potuit Chriſtus illa cæremonialia ſeruare.

De Mutatione Sabbati in diem Dominicum.

C

Cap. III.

CIrca hoc caput duæ dubitationes principales eſſe poſſunt, Altera An temporre gratiæ, & Euangelicæ legis obſeruandum ſit Sabbatum. Altera qua de cauſa, & quanàm ratione Eccleſia Sabbatum commutarit in Dominicam. Et quoniam vtraq; dubitatio, propria indiget diſcuſſione, duos proponemus articulos, & ſoluemus.

Arti-

Digitized by Google

A

Articulus Primus.

Vtrum tempore gratiæ, & legis Euangelicæ obſeruandum ſit Sabbatum, & an licitè ſeruari poſsit?

DVobus modis intelligi, & accipi poteſt obſeruatio Sabbati: Vno quidem modo indeterminatè; Aliò modo determinatè; Primo modo eſt ſenſus, dies Sabbati, ideſt dies requiei, ſeu vacationis ad Deũ; Secundo modo eſt ſenſus, dies Sabbati, ideſt determinata dies ſcilicet ſeptima. Hoc ſtante, ſi quæratur de obſeruantia Sabbati, primo modo, ideſt, indeterminatè, Reſpondetur affirmatiuè, quia hoc modo dies Dominica, & quælibet dies inſtituta ad Diuinam vacationem, poteſt dici dies Sabbati, vndè, Deuter. 5. eſt interpretatio talis *Sabbatum, ideſt requies Domini Dei tui eſt*. Et dicebatur dies Sabbati, dies requiei Domini; Et hoc modo ſemper ſeruatur, etiam tempore gratiæ. Si quæratur ſecundo modo, ideſt, determinatè iuxtà illud Exod. 20. *Sex diebus facietis opus; Septima dies erit Sabbatum*. Reſpondetur negatiuè, quia hoc modo erat figurale; Et figura impleta iàm tranſijt.

B *Deuteron.*

Exod.

Sabbatum, duplicem habuit figuram, alteram, qua figurabatur futurũ, videlicet quies animarum poſt mortem Chriſti; & hęc erat principalis ratio inſtitutionis Sabbati. Alteram quæ erat figura faciendi, ideſt ceſſationem à peccato; Et hęc duobus modis accipitur, Vno modo pro aliquando, ideſt, ſecundùm partem temporis; Alio modo pro ſemper, ideſt pro toto tempore; Primo modo accipiebatur à rudibus, & carnalibus Iudæis, qui tenebant, quòd tunc temporis ſolùm erat vacandum à peccato. Secundo modo accipitur à Chriſtianis, qui credunt, omni tempore eſſe abſtinendum ab illicitis. Dies Dominica non eſt inſtituta ad ſignificandum futurum, ſed quod iàm præteritum eſt, & prȩſens, ideſt, Reſurrectionem Domini, quæ fuit octaua die, & gloriam Reſurgentis, quæ iàm præſens eſt in cœlo.

C

Colligitur ex dictis, quòd in obſeruantia diei Sabbati (vt dictum eſt) præcipitur et obſeruantia diei Dominicæ, maximè ſecundùm indeterminationem, prout Sabbatum tẽpus aliquod vacationis ad Deum inſinuat.

Adde, quòd Prȩceptum in Iſrael de obſeruantia Sabbati, ideſt, ſeptimę diei, in qua Deus requieuit ab vniuerſo opere, quod patrarat, fuit ad de-

ſtructio-

A ſtructionē erroris, præuidit enim Deus, quòd venturi erant, qui dicerent, mundū ſemper fuiſſe, vt Philoſophi Gentiles; voluit, ergo Deus, vt cuſtodiretur vnus dies hebdomadæ, in memoriam, quòd ipſe omnia creauit in ſex diebus, & ſeptima die requieuit, ideſt ceſſauit à creatione nouarum ſpecierum. Iudæi, ergo, celebrabant Sabbatum in memoriam primæ creationis. Sed quia Chriſtus adueniens fecit nouam creationem, iuxtà illud Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia*, quę melior eſt, quàm prima, quia in prima factus eſt homo terrenus, in ſecunda factus eſt homo cæleſtis, videlicet in Reſurrectione ipſiuſmet Chriſti, quæ Reſurrectio, quia facta eſt in Dominica, ideo Eccleſia pręcepit, omnem diem Dominicam, ad honorem Reſurrectionis Ieſu Chriſti D. N. De veſpera ad veſperam obſeruari. De conſecr. diſt. 3. c. Pronunciandum. 1. in ord. vbi etiam præcipitur ſeruari alios dies feſtos.

Apocalipſ. — *De Conſ. d. 3 c. Pronunc.*

B

Articulus Secundus.

Qua de cauſa, & quanàm ratione Eccleſia Sabbatum in Dominicam commutauerit.

S. Bonauent. SEcundùm D. Bonauenturam in 3. d. 37. dub. 3. literali id multis de cauſis, tribus verò præcipuè factum eſt. Primò in memoriā Reſurrectionis Chriſti Ieſu, quæ (vt dictum eſt) facta fuit in Dominica. Secundò in præfiguram futuræ Reſurrectionis, quæ ſimiliter fiet in Dominica. Tertiò in amotionem erroris, quia ſecundùm Gentiles dies dominicus primus eſt, cum in principio illius diei incipiat dominari principalis planeta, vt dicunt, ſcilicet ſol, propter quod vocabant illum, Diem Solis, & exhibebant ei venerationem; Vt igitur ille error excluderetur, & reuerentia cultus ſoli Deo exhiberetur, pręfixa fuit dies Dominica, in qua populus Chriſtianus vacaret cultui Dei, & prætermitteret negotia terrena, quæ animam diſtrahunt, ne Deo intendat. Hæc D. Bonauent.

C

Prȩterea, cum hoc præceptum fuerit cæremoniale, quatenùs attinet ad tempus in die Sabbati præſcriptum (vt dictum eſt) ſicut cæremonialia alia omnia erant antiquanda morte Chriſti, ita etiam Sabbatum, qua parte cæremoniale fuit, ceſſare debuit, nàm cum illæ cæremoniæ fuerint quaſi adumbratæ imagines lucis, & veritatis, neceſſe erat, vt aduentu lucis, & veritatis, (quæ Chriſtus eſt) remouerentur. Cathechiſ. Rom. cap. 3. Adueniente figurato, ceſſare debuit figura, & in diem Dominicā tranſ-

Cath. Rom.

tranſmutari, in qua Animarum, & corporum requies ſignificabatur, & ita à die ſeptima in diem octauam Chriſtianum Sabbatum mutatum eſt. A

§ *Vnicus Secundi Articuli Tertij Capitis.*

Qua de cauſa, præter Dominicam, Eccleſia alios dies faſtos celebrandos inſtituerit?

MVltis, iiſque iuſtiſſimis, ac ſanctiſſimis de cauſis Eccleſia Catholica præter dominicam, alios etiam feſtos dies celebrandos inſtituit, vt patet dicto Cap. Pronunciandum de Conſ. D. 3. & Cap. primo, & vltimo. Titulo de Ferijs, & ex Gloſſ. Ibi. Primò enim rationabiliter huiuſmodi fæſti dies inſtituti ſunt, vt in eis gratias Deo agamus reuocantes ad memoriam beneficia nobis ab ipſo miſericorditer in illis exibita, & in Sanctorum victorijs Diuinam bonitatem, potentiam, & ſapientiam laudemus. Secundò, vt deuotiùs oremus eos, vt apud Deum pro nobis intercedant. Tertiò Ad confuſionem hereticorum, fuerunt enim quidam heretici, qui dixerunt animas Sanctorum non videre Deum ante diem iudicij, contrà quos Eccleſia, quæ docta, & recta à Spiritu Sancto errare non poteſt, Sanctorum feſta clebranda inſtituit, prædicans illos eſſe in cælo nunc, quantùm ad Animas beatas; iuxta illud, *Gaudent in cælis Animæ Sanctorum qui, Chriſti veſtigia ſunt ſecuti*. Quartò, vt ſic prouocemur ad eorum imitationem, Vndè Iacobi Quinto dicitur, *exemplum accepiſtis, fratres, laboris, & patientiæ Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini, ecce beatificamus eos, qui ſubſtinuerunt*. Quintò, quia ſicut celebrare conuenit diem Natalis Regis, vel principum eius imperij ad honorem eius, L. fin. C. de Ferijs. Ità, & multò magis dies natalitios Sanctorum, in quibus Regnum Cœlorum adæpti ſunt, celebrare decet. Vndè canit Eccleſia, *Gaudeamus omnes in Domino diem fæſtum celebrantes ſub honore Sanctorum Omnium B. Virginis, B. Franciſci, &c.*

De Fer. c. 1. & vlt. Gloſ.

B

S. Iacobus.

L. fin. C. de Ferijs.

C

A

De his, quæ hoc tertio Decalogi præcepto facienda fidelibus imponantur, aut prohibeantur.

Cap. IV.

QVòd in hoc tertio Decalogi præcepto exterior Dei cultus præcipiatur, & iam ſuperiùs tactum eſt, & apud omnes manifeſtum. Videndum eſt igitur in hoc Capite quòad primam illiùs partem, de his, nimirum, quę fidelibus facienda imponuntur per hoc præceptum per quos actus, per quæ opera Deus exteriori hoc cultu colatur, & quibus proindè operibus huiuſmodi feſtis diebus inſiſtendum ſit. Quòad ſecundam verò partem, de his, quæ fieri prohibentur, videndum erit, quænam ea ſint, à quibus ijs diebus fideles abſtinere debeant eiuſdem præcepti prohibitione, & vigore. Et hinc duo erunt huius Capitis Articuli.

B

Articulus Primus.

In quo conſiſtat exterior cultus, qui Deo à fidelibus ex hoc tertio præcepto debetur.

EX communi omnium conſenſu dicendum eſt, quòd hoc præceptum obligat fideles omnes poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, & vſum rationis adepti fuerint ad audiendam miſſam integram in diebus feſtis, puta, ſingulis dominicis diebus, & alijs diebus feſtis, quę ſub præcepto obſeruari præcipiuntur. Probatur ex Sacris Concilijs, Sacris Canõ. ex conſuetudine, ex doctoribus, & cõgruentia, ſiue auctoritate, & ratione.

C

Conc. Agat. Concilium Agathenſe Cap. 47. tempore Symmachi Papæ. Miſſas (Inquit) die Dominico ſecularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis ægredi populus nõ præſumat, quod, ſi fecerit ab Epiſcopo publicè confundatur. Idem habetur, & ſub ijſdem formalibus verbis de Conſ. d. 1. Cap. Miſſas. 64. in ord. & ead. d. cap. Omnes fideles. 62. in ord. & D. Auguſt. libro de Virginitate. Cap. 14. & 15. Omnes fideles, qui conueniunt in ſolẽnitatibus Sacris ad Eccleſiam,

cleſiam, & Scripturas Apoſtolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perſeuerant in oratione, vſq; dum Miſſa peragatur, nec Sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commouentes, communione priuari. A

Ex vſu, & Conſuetudine Eccleſiæ ſic probatur, quia inter prima fidei rudimenta, hoc præceptum inter Eccleſiaſtica numeratur, & ita eſt communi ſenſu omnium Catholicorum receptum. Et hæc ſufficiunt pro omni probatione.

Ex communi Doctorum conſenſu Probatur cum Nauarro in Manuali cap. 13. num. 17. vbi citat Angelum, & Caietanum. Videri etiam poſſunt alij doctores, qui idipſum vnanimi conſenſu docent, & aſſerunt. *Nauarr.*

Ex congruentia tandem talis ratio confici poteſt ad probationem Catholicæ huius aſſertionis. Dies illi, ſcilicet, dominica, & alij dies feſti ad diuinum cultum deputati ſunt, ſicut, ergo, aliquid illis diebus ab Eccleſia prohibetur, quò poſſint homines expediti eſſe ad vacandum diuinis, ita etiam aliquid poſitiue præcipi oportuit quò fideles eiſdem diebus Deum colerent, ſed nihil accommodatiùs præcipi potuit quàm vt Sacroſancto Miſſæ ſacrificio aſſiſterent, in quo ſupræmus Dei cultus exterior continetur; Ergo &c. De Miſſa, deo dante cum de Præceptis Eccleſiæ tractabimus, fusè diſſerendum eſt. B

§ Primus. *Vtrum præter Miſſam teneamur ad aliquid aliud in die feſto?*

NEgatiuè reſpondemus, quòd, ſcilicet, hoc preceptum colendi Deum in die feſto, quatenus affirmatiuum eſt, non obligat ad exercendum intra illum diem alium actum externum diuini cultus, preter Miſſam. Ratio, quia Eccleſię nihil aliud precepit, nec ſcriptum inuenitur tale præceptum, nec traditione, neq conſuetudine habetur. C

Excipitur tamen dies Paſchatis, in qua obligamur ad communicandum, quia eſt actus Religionis, & ad cultum Dei ſpectans. Aduerte, quòd Tom. p. Concil. in princ. habetur Canon. 10. Apoſtolorum, in quo dicitur Communione priuãdos eſſe illos, qui in ſolemnitatibus ſacris ab Eccleſia diſcedunt, antequam Miſſa peragatur, & Sanctam Communionem percipiant, ſed quicquid ſit de hoc, non facit ad rem, quia illa determinatio de communicando in Paſchate non eſt ad feſtum diem, nàm poteſt in profeſtis diebus antecedentis, & ſubſequentis hæbdommadæ impleri; Multò verò magis conſuetudine ſublatum eſt id, quod de communione videtur fuiſſe ordinatum in illo Canone Apoſtolorum. *Tom. 1. Côc.*

A

Auctoritat. in contrariũ Prima. Sexta Synod.

Adducendę tamen ſunt, & explicãdæ nõnullæ auctoritates, quę etiam contra hoc aſſertum facere videntur. Sexta Synodus cap. 8. habet. Diei dominicæ tanta debet eſſe obſeruantia, vt præter orationes, & Miſſarum ſolemnia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat. Et infra datur licentia iter agendi, ita dumtaxat, vt huius occaſione Miſſę & orationes non prætermittantur, ergo orationes ſub eadem neceſſitate, qua Miſſa, conſtituuntur. Et in Conc. Tribunien. cap. 35. Tomo 3. Conc. p. 2. pag. mihi 1034. dicitur. Diebus dominicis, & ſanctorum feſtis, Vigilijs, & orationibus inſiſtendum, & ad Miſſas cuilibet Chriſtiano cum oblationibus eſt currendum, Et multa alia alibi.

Cõc. Tribur. Tom 3. Cõc. p. 2.

Ad primã. Solutio ad auctoritates Conc.

Ad hæc loca dicendum eſt, quòd hoc præceptum non obligat ad alias orationes fundendas in die feſto, prętereas, quę in Miſſa dicuntur, aſſiſtendo ad illas; quod patet ex vſu Eccleſiæ. Ex allato Can. 10. Apoſtolorum interpretanda ſunt Concilia, ex verbis enim eorum non præcipiuntur aliæ orationes ex vi huius præcepti, præter illas, quæ in Miſſa fiunt, in qua iubentur fideles perſeuerare, quia cum debita attentione debent illi aſſiſtere. Canones ergo, qui de orationibus, & oblationibus loquuntur, vel intelliguntur de orationibus, quæ in Miſſa fiunt, vel ſi intelligantur de alijs, continent conſilium non pręceptum, aut certè indicant tantùm finem pręcepti. Silu. verb. Dominica q. 6. Qui finis non ſemper cadit ſub pręcepto ex D. Thoma 1. 2. q. 104. art. 9.

B

Silueſter. S. Thom.

Ad Concilium Tribunienſe reſpondetur, quòd hæc verba ſolùm admonitionem quandam continere videntur.

Secunda. Conc. Cartaginenſe 4. De Conſ. d. 1 Sacerdote.

Secunda auctoritas habetur ex Conc. Cartaginenſi 4. c. 24. Vbi dicitur Sacerdote, verbum Dei, in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur, & refertur de Conſecr. diſt. 1. c. Sacerdote 63. in ord. vbi videntur fideles obligari ad audiendam concionem in die feſto, quando in publico Eccleſiæ conuentu fit. Idem habetur in Can. 10. Apoſtolorum, Omnes fideles debent, qui ad Miſſas conueniunt, ſanctas Scripturas audire.

C

Ad ſecũdã.

Ad has auctoritates, reſpondetur, quòd nullum eſt præceptum obligans in rigore, ac per ſe ad audiendam concionem in die feſto, quòd conſtat ex communi vſu, & ſenſu fidelium. Præterea, ſi fideles tenerentur audire concionem Sacram, Paſtores Eccleſię, tenerentur prouidere, vt omnibus diebus Dominicis, & feſtis fieret concio in Eccleſia; At paſtores ad hoc non tenentur, nec de facto ita fit, ergo.

Ad illud tamen quod habet Concilium Cartaginenſe, dicitur, quòd magis videtur poſitum ad terrorem, & comminationem, quàm ad proprium præceptum, ſaltem quod obliget ſub peccato mortali, dicit enim

excom-

excommunicetur, non autem excommunicatus ſit; Præterea ibi non præcipitur, vt audiant, ſed vt Sacerdote concionante, nemo egrediatur, ſi ergo aliquis egrederetur, antequàm Sacerdos inciperet concionari, non ageret contra illum Canonem, qui ad vitandam perturbationem, & ſcandalum, mandat, vt dum ſit concio, nemo egrediatur; Tandem, licèt in eo loco, vel tempore fortaſſe fuerit illud ſtatutum neceſſarium ad vitandam aliquam prauam conſuetudinem, nunc de illa re nullum eſt peculiare præceptum, præter id, quod naturalis ratio dictat de cauendo ſcandalo, & publico impedimento Verbi Dei. A

Tertia auctoritas educitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de Reform. vbi præcipit Epiſcopis, & inferioribus paſtoribus, ſeu parochis, vt ſaltem, diebus Dominicis, & ſolemnioribus feſtis, populis ſuis, per ſe, vel per alios prædicent verbum Dei. *Tertia. Conc. Trid.*

Reſpondetur, quòd paſtores Eccleſiæ, ex officio tenentur prædicare Verbum Dei, & docere, inſtruere, & excitare populum, & hanc obligationem Concil. ibi proponit, & quia de ſe non habet tempus definitum ex Diuino iure, neq; ex antiquis canonibus, vt frequentiùs executioni mandetur determinat, vt ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnioribus feſtis, hoc faciant. Non tamen videtur tàm rigorosè, ac præcisè id præcipere, vt peccare grauiter cenſeantur, ſi interdum, vel ſæpiùs illud ommittant, quia non vtitur Concilium verbis tantam obligationem inducentibus, ſed mandat, vt id faciant illis diebus, & alijs per Quadrageſimam, & Aduentum, ſi ita oportere duxerint; vt ibi additur, & aliàs, quotieſcumque id opportunè fieri poſſe iudicauerint; Debent ergo, paſtores hoc officium non negligere, & curare, vt illis diebus, quantùm commodè fieri poſſit, Verbum Dei, populo prædicetur, pro ſingulis tamen Dominicis, & feſtis non eſt rigoroſum præceptum, vt etiam conſuetudo interpretatur, & hoc ſatis eſt; vt ex parte fidelium non ſit talis obligatio audiendi concionem ſingulis feſtiuitatibus. *Ad tertiam.* B C

Quarta auctoritas expreſsè habetur De conſecr. diſt. 1. cap. Omnis Chriſtianus Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid offerre, &c. *Quarta. De Cõſ. d. 1. Omnis Chriſ.*

Reſpondetur, quòd hoc non eſt præceptum per ſe, ſed ſolùm conſiliũ. Gloſſ. ibi. Poſſet tamen quis ad hoc teneri per accidens in quatuor caſibus. Primò quando eo modo alitur miniſter Eccleſiæ, nàm alere miniſtrum eſt de iure naturali. Secundò ex conſuetudine præſcripta. Tertiò ratione ſcandali vitandi. Quartò quando ex eo maior pars populi ſumeret occaſionem non offerendi. Silu. verb. Dominica q. 2. *Ad Quartã. Gloſſa. Siluester.*

A

§ *Secundus. Vtrum præter cultum externum teneamur etiam ad internum?*

Scotus.

SCotus in 3. Sent. diſt. 27. §. Quantum ad ſecundum, affirmatiuè reſpondere videtur. Hæc ſunt verba Scoti loquentis de actu bono erga Deum. Quando autem ſit hoc, fortè determinat illud præceptum Diuinum, *Sanctificate Sabbatum*, vt maneat vnuſquiſque apud ſe, ideſt recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum. Deut. 6. & Eccleſia ſpecificauit quantùm ad Miſſam audiendam in die Dominica, obſerua Scoti modeſtiam.

Alexander de Aleſ.

Alex. de Aleſ. p. 3. quæſt. 32. num. 5. art. 2. videtur ſentire, quód peccans in die feſto duplex peccatum committit, vnum ratione culpæ, alterum contemnendo feſtum.

Angelus.

Angelus verb. feriæ, num. 41. dicit, quòd tenentur homines ad contritionem in diebus feſtis, ſi ſint in peccato mortali.

B

Nauarr.

Alij, vt Nau. in man. c. 13. num. 17. Reſpondet negatiuè, quòd ſcilicet non tenentur homines ad actum internum dilectionis, aut contritionis diebus feſtis quid ergo dicendum? Reſponſionem quęre.

Articulus Secundus.

A quibuſnàm abſtinere debeant fideles feſtis diebus ex vi, tertij huius Præcepti?

De Ferijs cap. 1.

PRO huius articuli intelligentia ſupponitur primò; Quòd præcipitur fidelibus vacatio quædam ab operibus in die feſto. Hoc ſuppoſitum multis auctoritatibus patet, nam Cap. 1. De Ferijs pręcipitur abſtineri ab omni opere illicito. Verba Can. hæc ſunt *Omnes dies Dominicos, à veſpera in veſperam, cum omni veneratione, decernimus obſeruari, & ab omni illicito opere, abſtinere, vt in eis mercatum minimè fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec Sacramenta (niſi pro pace, vel alia neceſſitate) præſtentur.* Hæc verò ſunt verba ſummæ illius Canonis. *Diebus Dominicis mercari, litigari, iudicari, vel iurari non debet, ſed de veſpera in veſperam debent celebrari.* Vndè verſus, qui patefaciunt caſus, in quibus licet.

C

Pax, & fama, fides, reuerentia, cautio damni,
Defectus veri ſibi poſcunt magna caueri.

Et

Et cap. licet, tertio in ord. eod. tit. præcipitur abſtinere ab omni opere ſeruili. Et cap. conqueſtus, 5. in ord. Hæc ſunt verba text. *Conqueſtus eſt nobis*, & inf. *Quàmuis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones, debet tamen, iudicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reuerentiam Dei noſcuntur eſſe instituti*. Et numerantur iſti dies, qui ſint. Et inf. *Quibus vtique ſolemnibus ferijs, niſi neceſſitas vrgeat, vel pietas ſuadeat, vſque adeò conuenit, ab huius abſtinere, vt conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contingit diebus huiuſmodi promulgari. Licèt diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate*. Huius etiam Cap. Summæ verba ſunt iſta. *In ferijs introductis in honorem Dei, & Sanctorum, niſi ob neceſſitatem, vel pietatem iudicium exerceri non poteſt, etiam de conſenſu partium, ferijs tamen introductis fauore hominum, partes renunciare poſſunt*. A *Eod. tit. cap. licet, et cap. Conqueſtus.*

In Conc. Aurelian. 3. cap. 27. dicitur abſtinendum ab opere rurali. Verba Conc. ſunt. Quia perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque vllam rem ad victum, præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem, nullatenus exercere, quæ res, quia ad iudaicam magis, quàm ad chriſtianam obſeruantiam pertinere probatur, id ſtatuimus, vt die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat; De opere tamen rurali, ideſt, agricultura, vel vinea, vel ſectione, vel miſſione, excuſſione, vel exactione ſæpè cenſuimus abſtinendum, quò faciliùs ad Eccleſiam venientes orationis gratia, vacent. Hæc ibi. *Tom. 2 Côc.* B *Conc. Aurelianenſ. 3.*

In Conc. Matiſconenſi, 2. cap. 1. Præter ſeruilia opera numerantur quędam alia; verba Conc. ſunt. Videmus populum Chriſtianum temerario more diem Dominicam contemptui tradere, & ſicut in priuatis diebus operibus continuis indulgere, propterea per hanc Synodalem noſtrã epiſtolam, decernimus, vt vnuſquiſque noſtrum in Sacroſanctis Eccleſijs admoneat, ſibi ſubditam plebem, & ſi quidem admonitioni conſenſum præbuerint, ſuis proderunt vtilitatibus, ſin autem, ſubiacebunt pœnis à nobis Diuinitus definitis; Omnes itaque Chriſtiani, qui non incaſſium, hoc nomine fruimini, noſtræ admonitioni aurem accommodate, ſcientes, quoniam noſtrę eſt auctoritatis, vtilitati veſtræ proſpicere, & à malis operibus coercere. Cuſtodite diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & a peccatis omnibus liberauit, Nullus veſtrum litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat, nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum iumentorum ceruibus imponere cogat; Eſtote omnes in hymnis, & laudibus Dei animo corporeque intenti. Hæc Concilium. *Conc. Matiſconenſ. 2.* C

In

A In Conc. Antiſiodorenſi, cap. 16. dicitur. Non licet die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere, ideſt ſimilia.

Tom. 2. Cõc. pag. 954. Tom. 3. Cõc. p. 1.

In Conc. Maguntino. cap. 36. & 37. Hęc ſunt verba Concilij cap. 36. Feſtos dies celebrari ſancimus. Et numerantur dies; Et infrà additur, Et illas feſtiuitates Martyrum, vel Cõfeſsorum obſeruari decernimus, quorum in vnaquaque parochia ſancta corpora requieſcunt; Similiter etiam dedicationem templi. Et cap. 37. Omnes dies Dominicos cum omni veneratione decernimus obſeruari, & à ſeruili opere abſtinere, & vt mercatus in eis minimè fit, nec placitum, vbi aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur. Exempla operum ſeruilium, quę ex dictis colliguntur ſcilicet arare, ſeminare, hortum, vel vineam colere, aut ſępem circumdare, & adduntur alia opera, quę forenſia appellantur.

Secundò ſupponitur, quòd ceſſatio ab operibus aliter præcipitur Chriſtianis in diebus feſtis, quàm præcipiebatur Iudæis, nàm Chriſtianis non
B fit tàm arcta prohibitio operum in die Dominico, ſicut Iudæis fiebat in Sabbato. Hoc ſecundum ſuppoſitum patet, quia multa opera nunc permictuntur Chriſtianis in feſtis, quæ non permictebantur Iudæis in Sabbato, tùm quia in lege noua, facilè conceditur licentia laborandi in feſto, quæ in lege veteri non concedebatur.

Tertiò ſupponitur, quòd opera, quæ hoc præcepto prohibentur ſunt externa, & corporalia. Hoc tertium ſuppoſitum probatur. Primò ratione comprehendente etiam legem Diuinam datam Iudæis de obſeruatione Sabbati, quia illa lex tantùm data eſt de cultu exteriori Dei, ergo ſolùm præcipiebat vacationem ab operibus externis, & corporalibus, ergo opera prohibita tantùm corporalia ſunt; Secundò ratione ſpeciali Eccleſiæ, quia Eccleſia non præcipit, nec prohibet actus internos ſecundù n ſe, ſed per ſe verſatur circa externos; De internis autem ſolùm diſponit, quatenùs cum externis connexi ſunt, ergo, dum præcipit vacare
C in diebus feſtis, externam, & corporalem ceſſationem ab operibus mandat: Ergo dum prohibet ſeruilia opera, prohibet opera corporalia, & externa, interna enim opera animæ non ſunt ſeruilia.

Quartò ſupponitur, quòd non omnia corporalia opera ſunt prohibita Chriſtianis, in die feſto, conſtat ipſo vſu, & colligitur ex ipſa lege, quia non omne corporale eſt ſeruile, & in lege ſeruile tantùm prohibetur, iuxtà illud omne opus ſeruile non facietis in eo. Quòd autem abſolutè dicitur Exod. 20. *Non facies omne opus, in eo*; Et quod inſuper habetur Leuit. 23. *Omne opus non facietis in eo*, Vbi ſimpliciter omnia opera prohibentur in die feſto, & Eccleſia ſuum præceptum tulit ad imitationem illius. Intelligendum eſt, quòd præceptum Eccleſiæ ſumptum eſt

ad

ad imitationem, non verò ad æqualitatem præcepti antiqui. A

His ſuppoſitis, nonnulla etiam notanda ſunt pro reſponſione ad propoſitam Articuli difficultatem, & primò obſeruandum eſt, quòd opera hominis ſunt duplicis generis, Quædam ſeruilia, Quædam non ſeruilia, quæ liberalia, vel ſpiritualia latè dici, & ſolent, & poſſunt. Seruilia dicuntur, quæ cômoditatibus corporis inſeruiunt, & idcircò per ſeruos fieri ſolent, vt terram colere, artificia facere, &c. Ab his diſtinguuntur opera, quibus animus excolitur, vt legere, docere, &c. Quoniam autem humana ſeruitus, ſecũdùm corpus attenditur, animus verò liber eſt, ideò priora opera dicuntur ſeruilia, poſteriora verò libera.

Not. 2. Quòd opus ſeruile eſt triplicis generis, videlicet Religioſum, quod Diuinum ſeruitium dici poteſt. Peccaminoſum, quo dicitur homo ſeruire peccato, aut dæmoni. Et indifferens, ac humanum, quo vnus homo ſolet ſeruire alteri homini. Opera, quibus colitur Deus, ſeruilia ſunt Deo, quia latria eſt quędam ſeruitus, eſt tamen Religioſa, & Diuina, quia in Deum terminatur; Peccata dicuntur ſeruilia, quia qui facit peccatum, B ſeruus eſt peccati, quia vnuſquiſq; eſt ſeruus illius, cui obedit, Ad Rom. 6. *Ad Rom. 6.* & 2. Petri 2. A quo quis ſuperatus eſt, eius, & ſeruus eſt. Opera quibus *2. Petri. 2.* vnus homo miniſtrat alteri in his, quæ ad corpus pertinent, indifferentia ſunt, & ad ſeruitutem humanam pertinent.

Ex his quæ ſuppoſita, & prænotata ſunt, pono quinq; Concluſiones.

Prima Concluſio. In feſtis prohibentur omnia ſeruilia opera, niſi iure, & conſuetudine ſint exempta.

Secunda Concluſio. Nulla opera libera prohibentur. Patent duæ iſtæ Concluſiones Cap. ſupracitato. De ferijs. Licet. 3. in ord. Vbi etiam verba ſummæ ipſius Cap. ſunt iſta: Propter neceſſitatem alimentorum licet diebus feriatis in honorem Dei operi ſeruili intendere.

Tertia Concluſio. Opera Religoſa, ſeruilia dici non debent, ſed maximè liberalia, quia ſeruire Deo, regnare eſt, & licèt per corpus exerceantur, principaliter tamen ordinantur ad ſubijciendam mentem Deo, & ad C excitandum animum ad deuótionem, & internum Dei obſequium; Ideo illa non ſolùm non prohibentur in die feſto, immò maximè commendantur.

Quarta Concluſio. De operibus peccaminoſis, ſeu de peccatis, non conſentiunt Doctores.

Quinta Concluſio. Opera tertij generis, quę indifferentia appellauimus, & humana, propriè hoc tertio Decalogi pręcepto prohibentur, quia huiuſmodi tantùm dicuntur propriè opera ſeruilia.

Digitized by Google

A

§ *Primus. Vtrum omne opus mercennarium ſeruile ſit, & ita ſit ſpecialiter probibitum in die feſto.*

OPus illud dicitur mercennarium, quod fit propter temporale lucrũ, vel ſtipendium, quod ſepè contingit eſſe conditionis ſeruilis, & ſi opus ſeruile non propter mercedem fiat, non propterea deſinit eſſe ſeruile; Et hoc non queritur. Quando verò lucrum vel merces, ſeu intentio eius additur operi de ſe non ſeruili, ſecundum probabiliorem, & veram ſententiam (ni fallor) numquàm opus fit ſeruile, eò quòd fit propter mercedem, vel ſtipendium, ſi aliàs ingenuè factum, non ſit ſeruile, ſed liberum; Immò licèt opus de ſe ſeruile ſit, & mæchanicum, ac per ſe prohibitum in die feſto, ſi tamen hìc, & nunc occurrat neceſſitas, vel cauſa iuſta excuſans à præcepto, non erit illicitum, nec contra præceptum illud facere propter mercedem, & non aliàs; Ac ſubindè non fit ſpecialiter

B illud opus ſeruile ex relatione ad mercedem. Nauarrus in Manuali cap.

Nauarr. 13. n. 5. Azor. t. 2. lib. 1. cap. 28. Ratio moralis eſt, quia Eccleſia nul-

Azorius. libi prohibuit operari in die feſto proter mercedē, niſi inquantū prohibet opus ipſum; Quotieſcumq; ergo ex vi feſti non prohibet opus, non prohibet, nec curat, an fiat propter mercedem, vel gratis, ſed hoc naturali iuri, & profeſſioni relinquit. Et ſimiliter, licet opus aliàs ſit ſeruile, & de ſe prohibitum, ſi hìc, & nunc permictatur ex cauſa, quamuis non fiat ſine mercede, non propterea magis violatur feſtum, quàm ſi gratis fieret, nàm licèt aliàs reſpectu aliarum virtutum ex hac conditione, vel intentione poſſit benè, vel malè fieri, aut minùs benè, reſpectu tamen Religionis, vel feſt[illegible] magis violatur, eò quòd ex mercede fiat, quam ſi fiat gratis, [illegible] caſu, in quo permiſſio ſit per diſpenſationem ſub illa conditione conceſſam, nàm tunc eſt ſpecialis ratio. Relatio ergo ad mercedem fa-

C cit opus mercennarium, non ſeruile, nec intentio operandi propter mercedem facit opus eſſe prohibitum, quod aliàs non eſſet prohibitum.

Dicendū eſt ergo, Quòd ad hoc, vt opus dicatur ſeruile, & per conſequens prohibitum in die feſto, neceſſarium eſt, vt ipſum opus in ſe, & abſolutè, & (vt ità dicam) materialiter ſpectatum habeat proprietatem, & conditionem operis ſeruilis.

§ Secun-

A

§ *Secundus. Quidnàm ſit de ratione operis ſeruilis hoc præcepto prohibiti.*

OPus ſeruile dicitur Opus laborioſum organorum executiuorum nulla vrgente cauſa ad humanã vitam nõ immediatè ſubſtentandam, aut fouendam. *Laborioſum* ponitur ad excludendum opus de ſe facile, vt comedere, bibere. Per *organa executiua* intelliguntur opera manus, linguæ, & potentiæ ſecundùm locum motiuę, quia organa iſtarum actionum ſunt propriè actiua, & voluntati obediunt, quæ duo requiruntur ad propriam executiuàm virtutem humanã, & ità excludunt opera ſenſuum quæ per ſe non ſubſunt voluntati. *Nulla vrgente cauſa* quia hoc opus ità eſt ab executiuo organo, vt ab intrinſeco moueatur, & non per coactionem ab aliqua extrinſeca cauſa, quę vrgens cauſa, & quaſi vim inferens dici poteſt. *Ad ſubſtentandam vitam humanam, non immediatè* per quod excludunt præparationem ciborum à ratione operis ſeruilis, quia iſta non prohibentur in die feſto. Tranſeat iſta expoſitio. B

D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. Opus ſeruile eſt aliquod corporale opus exhis, in quibus vnus ſolet ſeruire alteri homini. Et in 3. Sent. diſt. 37. art. 5. quæſt. 2. Ad 2. Opera ſeruilia, propriè dicuntur illa, ad quorum exercitium ſeruos deputatos habemus, in quibus debent artes mæchanicæ dirigere, quæ à liberalibus diſtinguuntur. Ex quibus habemus, quòd non omnia opera, quæ per corpus exercentur, ſeruilia dicuntur, licèt per ea poſſit vnus homo iuuare alium, ſed illa, quæ per mæchanicas artes dirigi poſſunt. Et ita ratio operis ſeruilis poſtulat, vt ſit opus męchanicum, & corporale non ſolùm ex parte inſtrumenti, ſed etiam ex proximo effectu, ad quem natura ſua, vel ex vi ſuæ inſtitutionis ordinatur, & hoc modo excluditur à prohibitione huius præcepti omne opus liberale, quantùm eſt ex parte vniuerſalis prohibitionis operis ſeruilis, niſi aliàs ſpecialiter prohibitum ſit. *S. Thom.* C

Notandum verò eſt. Quòd omne opus eſt ab anima, & à mente, tamquàm à principio, & per corpus exercetur, tamquàm per organum. Hinc etiam opus mæchanicum poteſt dici ſpirituale, quia mente, & ratione dirigitur. Ideo ex terminis, ſeu ex paſſionibus proximè intentis, diſtinguenda ſunt hæc opera, nàm opus mæchanicum, ita eſt ab anima, & exercetur per corpus, vt pro fine habeat aliquod opus materiale, & corporeum, & in corporis vtilitatem proximè cedens, vt exempligratia, calceos, veſtes, domus conſtruere, aut alia artefacta, & omnia, quæ ad culturam terræ ordinantur. Opus verò liberale, licèt organo corporeo

Digitized by Google

A fiat, quia homo aliter non poteſt exponere alijs mentem ſuam, tamen immediatè non fit propter materialem paſſionem, ſed ordinatur ad ſpiritualem, puta, ad inſtruendum alium, ad illuminandum, vel excitandum animum, &c.

Dicendum eſt ergo, quòd multa opera ſeruilia, ſiue quæ ſeruilia videntur, non ſunt prohibita hoc præcepto, vel ſi ſunt prohibita, aliquando tamen licent, cum cauſa ſubeſt. Exemplum: Opera mæchanica, quæ ordinariè, & quaſi per ſe ſunt neceſſaria corpori humano quotidiè ad ſui ſubſtentationem, vt ſunt comedere, bibere, & parare ea, quæ ad cibum, & potum quotidianum neceſſaria ſunt; comedere enim, & bibere non ſunt opera ſeruilia, nec continentur propriè ſub opere, quòd in ea partitione diuiditur. Nam opus, quod in ſeruile, & liberale diuiditur, eſt opus artificiale aliquo modo, quod per artem dirigi poteſt quandoque, veluti inuentum eſt ad iuuandam naturam in ſpiritualibus, vel corporalibus; Ab opere autem ſic ſumpto diſtingui poteſt opus naturale, & ideo

B proprie ſeruile non eſt, nec liberale, ſed naturale. Tale eſt comedere, & bibere, & ideo non cadit ſub prohibitione huius pręcepti. Tale eſt etiam generare, ſiue turpiter fiat, vt per fornicationem, ſiue honeſtè, vt inter coniuges. Tale eſt opus lauandi manus, pedes, & corpus. Eadē ratio eſt de alijs operibus neceſſarijs, quæ corpus humanum, etiam diebus feſtis vitare non poteſt, vt indui, ſpoliari, & alia viliora, quæ licèt magis ſeruilia videantur, ſi conditio eorum attendatur, non tamen ſunt propriè ſeruilia, ſed naturalia.

De actione coquendi cibos, & de alijs, quæ ad præparationem coquinę, & menſę ordinariè fiunt, dicendum, quod ſunt ſeruilia, & ex vi verborum præcepti continentur ſub illius prohibitione, ſaltem quoad ea omnia, quæ præcedenti die præparari poſſunt, tamen ex conſuetudine populi Chriſtiani exempta ſunt ab illa lege.

C Item, opera, quæ circa infirmos propter neceſſitatem exercentur, ſæpè ſunt ſatis ſeruilia, nàm & corporalia ſunt, & pro termino habent opus aliquod materiale artefactum, quod corpori ad eius leuamen, applicatur, vt emplaſtrum, potio, &c. Externa opera chirurgorum, & minuentium ſanguinem, ſeu venam ſcindentium, hæc enim opera, & ſimilia, & męchanica ſunt, & ſeruilia, & tamen prohibita non ſunt, quia licitum eſt, hæc opera facere, tunc enim lex non obligat iuſta interueniente cauſa, videlicet neceſſitate proximi.

§ Tertius.

A

§ *Tertius. Vtrum Prohibitio, quæ hoc præcepto ſit, intelligenda ſit etiam de operibus corporalibus, & machanicis, quæ fiunt in cultum Dei, & videntur ſeruilia, vt templum ſcopis mundare, tapetis ornare, vel etiam (ſi neceſſe ſit pro ratione ſolemnitatis) tabulatum efficere, vel aliud ſimile, Item campanas pulſare, onera aliqua deſærre, &c.*

QVÆ in cultum Dei fiunt opera corporalia, & męchanica, in dupli-
ci differentia ſunt. Quædam ſunt omninò intrinſeca Diuino cul-
tui, quia illis exhibetur, vel quaſi componitur cultus Dei; Quæ-
dam ſunt, quæ licèt fiant tantùm propter cultum Religionis, non tamen
continent ipſum cultum, ſed remotè concurrunt ad illum, vel ornando
locum templi, aut viarum, ſi futura ſit proceſſio, vel alia neceſſaria præ-
parando; Et hæc inſuper ſunt triplicis generis. Quædam ſunt ita propin- B
qua Diuino cultui, vt in eodem die requirantur, vt pulſatio campanarũ,
& ſimilia, de quibus eadem eſt ratio, ac de ipſo cultu, quia acceſſorium
ſequitur principale, & quia ibi vera interuenit neceſſitas publica. Quæ-
dam ſunt antecedentia, quæ licèt pro tali feſto requirantur, poſſunt tamen
antecedenti die præparari, vt mundatio Altaris, ornatus, &c. Quædam
ſunt, quæ remotè cedunt in vtilitatem templi, vt arare, & colere agros
Eccleſiæ gratis, in Eccleſiæ ſubſidium, ligna, & lapides ad Eccleſiæ ędifi-
cium cõgerere, & à longinquo vehere, partem aliquam templi ædificare,
dealbare parietes; Pręter hęc autem alia ſunt opera, quæ immediatè
verſantur circa homines, vel in eorum commodum fiunt, referuntur ta-
men in cultum, & honorem Dei, vt reficere veſtes pauperis, aut Religio-
ſi ex affectu ad Deum. His conſideratis pro deciſione Quæſiti pono
quinq; dicta.

Primum Dictum. Opera omninò intrinſeca cultui diuino quantùm- C
cumq; grauia, vel oneroſa corpori, aut mæchanica videantur, licita
ſunt in die feſto abſq; alia neceſſitate, ſed ſolùm ad exercendum cultum
diuinum. Ratio, quia per illas actiones non ſeruitur homini, ſed Deo
immediatè, ergo nõ ſũt ex operibus ſeruilibus hac lege prohibitis, immò
ſunt ex ijs, quæ præcipiuntur, vel quibus maximè ſolet feſtum ipſum
celebrari.

Secundum Dictum. Opera antecedentia non ſunt prohibita, licèt con-
ſulendum ſit, vt ante feſtum fiant, tùm propter turbationem vitandam,
tùm vt tempus, & locus maneant tota die expedita, & libera ad cultum
Dei. Sed ſi ex negligentia aliud fiat, non erit peccatum mortale, ſecluſo
ſcandalo.

Digitized by Google

A Tertium Dictum. Actio mundandi ſcopis Templum, & parietes veſtiendi tapetis, & huiuſmodi, quia magis remotę ſunt à cultu, & ex ſe ſunt ſeruiles, & communes ad alia loca, vel domos, reſeruari non debent in diem feſtum, ſi autem reſeruentur, ſecluſo ſcandalo, non erit peccatum mortale, quia materia de ſe non eſt grauis, & fit leuior ex coniunctione ad cultum Dei. Si intercedat obliuio, vel inaduertentia præcedens, excuſari poterit omnis culpa.

Quartum Dictum. Opera tertij generis, quia ſunt verè ſeruilia, & meræ materialia, & mæchanica, & de ſe ordinata ad corporale ſeruitium hominum, licèt ex relatione operantis extrinſecùs referri poſſint, & de facto referantur in cultum Dei, ſunt ſine dubio prohibita ne fiant in die feſto. Dico *per ſe*, quia iuſta neceſſitas excuſare poteſt, & pietas ſufficit ad iuſtam diſpenſationem.

B Quintum Dictum. Opera miſericordiæ corporalis, & de ſe ſeruilia relata ab operante in honorem Dei, vt cōſuere veſtem pauperis, aut Religioſi, vel ligna illis portare, &c. Per ſe non licent, quantùm eſt ex ui pręcepti, & non interueniente neceſſitate. Ratio, quia ſunt opera ſeruilia. Secus eſt de operibus miſericordiæ corporalis, quæ non includunt opus ſeruile, vt viſitare infirmos, paſcere eſurientes, &c. hæc enim licita ſunt in die feſto, immò laude digna.

§ *Quartus. Quidnàm dicendum ſit de operibus liberalibus?*

Liberalia opera duplicis generis ſunt; Quædam continent cultum Dei, vel ad ipſum proximè conferunt, vt Oratio, quæ cultum Dei continet, & lectio, doctrina, Concio, & huiuſmodi, quæ ſpiritualia dicuntur ex ſpiritu gratiæ; Quædam ſunt quæ ad cultum Dei per ſe non ſpectant, ſed ad alia obiecta, vt opera artium liberalium, & ſtudium inferiorum ſcientiarum. Hac ſtante diſtinctione pono quinq; propoſitiones.

C Prima Propoſitio. Opera liberalia primi generis non ſolùm non prohibentur, verùm etiam commendantur in die feſto.

Secunda Propoſitio. Opera liberalia ſecundi generis, & non ſeruilia ſunt prohibita in die feſto, nec eſt peccatum contra feſti obſeruationem in eis conſumere totum diem, quacumq; intentione fiant, dummodo ab audienda Miſſa homines non impediant.

Tertia Propoſitio, & elicitur ex dictis. Licitum eſt die feſto docere quā cumque ſcientiam, & artem, prout ad mentem pertinet, ſiue voce, ſiue ſcripto fiat, quia totum hoc liberale eſt.

Quarta Propoſitio. Actus ſcribendi numquàm eſt prohibitus ex vi

gene-

Digitized by Google

generalis prohibitionis operis ſeruilis. Probatur morali demonſtratione, Suppoſito illo principio, quòd opus ſecundùm ſe liberale non tranſit in ſeruile ex eo ſolùm, quòd fiat propter lucrum, nàm inter ſcriptionem factam propter lucrum, vel non factam propter lucrum, nulla alia differentia aſſignari poteſt, ergo, ſi vna non eſt ſeruilis, nec reliqua. A

Pro iſta tamen Propoſitione Notandùm eſt, quòd tripliciter poteſt quis ſcribere; Vno modo per ſe ſe proprios conceptus exprimendo; Secundo modo, vt diſcipulus, alterius dictata ab illo excipiendo; Tertio modo, vt inſtrumentum alteri miniſtrans, & illi ſcribens; Vndè ipſa ſcriptio aliquando eſſe poteſt in vtilitatem ſcribêtis tamquàm diſciplina eius, interdum in vſum, & vtilitatem dictantis, aliquando in vtilitatem aliorum, tandem poteſt eſſe in vtilitatem omnium iſtorum. Sermo eſt de ſcriptura, vt ſignum mentis eſt. Quando, ergo, quis vel per ſe ſe ſcribit conceptus ſuos, vel ab alio recipit dictata in ſuam diſciplinam, non exercet opus ſeruile, etiam ſi fiat ob lucrum, Exemplum de concionante. B

Quando quis ſcribit, vt inſtrumentũ alterius, non facit opus ſeruile, & per conſequens nec prohibitum. Probatur, quia ille ſcriptor non operatur, vt inſtrumentum inanime, ſed mente concipiendo, & poſtea ex ſuo conceptu ſcribendo, At rem priùs viſam, vel auditam ex propria mente ſcribere ſeruile opus non eſt, ergo nec erit ſeruile rem ſimul audire, & eamdem ſtatim ſcribere.

Quinta Propoſitio. Tranſcriptio non eſt opus ſeruile, nec prohibitum in die feſto. Probatur primò, quia tranſcribere gratia addiſcendi ſeruile non eſt, ſed liberale opus, nec peccat ſcholaris, qui in die feſto tranſcribit lectionem omm ſſam, vel materiam aliquam, vt illam tunc, vel poſtea addiſcat, vel vt eam memoria retineat, quia tunc illud opus eſt doctrinæ, vel diciplinæ, ergo non eſt ſeruile, ſed ſpirituale. Prob. Secundò. Iſte eſt actus à mente procedens, & ad mentem ordinatus, ſcilicet, vt illi ſignificet, & illam inſtruat, & non ſiſtit in commoditate corporis. Ergo. Prob. tertiò. Scripto accipere lectionem in die feſto à Præceptore dictante illam voce non eſt opus ſeruile, ergo nec accipere eamdem lectionem ab eodem Præceptore quaſi docente illam per ſcriptum ſuum. Prob. conſequentia, quia perindè eſt loqui ſcripto, ac verbo, ergo perindè eſt ſcribere quod verbo audire, vel quod viſu, &c. Et (vt ita dicam) ab eo qui per ſcripturam mihi loquitur, ergo ſicut non eſt ſeruile ſcribere quæ magiſter voce dictat, ita nec ſcribere, quę per ſuum ſcriptum dictat, & hoc eſt tranſcribere. Idem erit dicendum, ſi tranſcriptio fiat ex quaternione condiſcipuli, quia non accipitur, niſi vt ſignum Magiſtri loquentis. Et hoc verum eſt ſiue iſta tranſcriptio fiat per mercedem, ſiue gratis, C

quia

A quia merces addita non facit opus ſeruile, quòd aliàs non erat ſeruile.

§ *Quintus. Quidnam dicendum ſit de Itineratione, vel de iter agentibus?*

ITer agere non eſt opus ſeruile, nec per ſe prohibitum in die feſto. Probatur, quia hoc opus non eſt tale, vt animum impediat, quò minùs poſſit vacare Deo, ergo, cum in particulari non prohibeatur, non eſt cur in generali prohibitione contineri cenſeatur; Præterea in lege veteri, in qua erat ſtrictiſſima prohibitio, iter agere non omninò erat prohibitum, ſed potiùs concedebatur intrà certam menſuram, quæ dicebatur iter Sabbati. Actor. 1. Ergo agere iter de ſe non eſt opus ſeruile, nec omninò contrarium cultui Diuino, aut quieti Sabbati. *Acta Apoſ.*

B Verum eſt tamen, quòd itineratio poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, vt ſic, nulla adiuncta circumſtantia; Alio modo adiunctis circumſtantijs includentibus, vel requirentibus opera ſeruilia. Primo modo Iter agere non eſt opus ſeruile, nec prohibitum. Secundo modo eſt prohibitum per ſe loquendo, vt beſtiam, aut currum onuſtum ducendo, ita vt interdum onera leuare, interdum imponere neceſſe ſit, nàm hoc eſt de ſe ſeruile, & ideò, niſi aliqua iuſta cauſa intercedat, vel paruitate materiæ excuſetur, non licet. Prob. ex Conc. Matiſconenſi, vt ſupra, vbi dicitur, *Nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iumentorum imponere cogat*. Quæ verba generalia ſunt de omni vſu ſeruili iumentorum. Verùm hoc quoque poteſt dupliciter intelligi. Vno modo quantùm ad inchoationem. Alio modo quantùm ad continuationem itineris. Primo modo, ſi iter ſcilicet ante diem feſtum bona fide inchoatum eſt cum hiſce oneribus, excuſatur, et continuatio, vel propter publicam vtilitatem, ad quam neceſſarium ſępè eſt, vt ſine mora, & grauamine hæc transportatio rerum, & mercium fiat, vel certè ad vitandum graue nocumentum, quod paterentur iter agentes, & præſertim agaſones, ſeu muliones, ſi cogerentur omnibus diebus feſtis quieſcere quòcùmque iter agendo peruenirent, & ideò conſuetudo hanc excuſationem approbauit. Secundo modo, quòad inchoationem videlicèt, non eſt admittenda conſuetudo, quòad hæc onera; Si verò muliones ducant iumenta, ſine oneribus, non eſt illicitum, ita progredi, vel ab vno loco in alium transferre animalia in die feſto, quia id ſolùm eſt iter agere, & non habet adiunctum opus ſeruile.

C

Item, quando homines in lectica, vel curru deferuntur, licitum eſt, omnia opera neceſſaria ferre ad illos iuuandos, vel ad imponendum lecticam

ſticam quia omninò ordinantur ad iter agẽdum perſonarum. Licitum inſuper eſt onera neceſſaria ad vſus itineris deſerre, vt neceſſaria ad menſas, & cibum, etiam iumentorum, ſi opus ſit, vel quia hæc omnia cenſentur acceſſoria itineri, vt ſic, vel quia parua reputantur; Vel certè, quia conſuetudine recepta ſunt. **A**

§ Sextus. De Venatione, & Piſcatione, Vtrum liceant in die feſto?

EOdem modo de Venatione, & Piſcatione dicendum eſt, quia eodem etiam modo ſatisfit obiectionibus de venatione, quo de piſcatione. Et in hac re pro vtraque parte ſunt Doctores. Nonnulli diſtinguunt ſic, Hæc fieri poſſunt duplici ex cauſa. Vel enim fiunt ad delectationem. Vel fiunt ex officio ad ſubſtentationem vitæ. Primo modo ſunt liberæ. Secundo modo ſeruiles, & à multis numerantur inter actiones communes, quę etiam mediæ dicuntur, quia conueniunt etiam hominibus liberis, Dominis, & Seruis. **B**

¶ Alij abſolutè dicunt, quòd venatio non eſt opus ſeruile, nec prohibitum in die feſto, etiam ſi fiat quæſtus gratia. Nauarr. c. 13. num. 11. §. Sexto. *Nauarr.*

Alijs videtur, quòd venatio, vt ſic, & per ſe ſpectata opus ſeruile ſit; Primò, quia ars venatoria inter mæchanicas computatur; Secundò, quia eſt opus corporale laborioſum ſiſtens omninò in materia, & effectu corporali, vndè quodammodo eſt commune homini cum beſtijs, nàm etiã beſtiæ venationi inſiſtunt: ſolum addit artem, & induſtriam, ac varia inſtrumenta venationum, & vtitur etiam his animalibus brutis, ad venandum aptis, vt eis in eo opere iuuetur: tota verò hæc induſtria in materia, & corpore ſiſtit, & ideò non excedit actionem ſeruilem. Vndè vlterius dicunt, quòd opus hoc per ſe eſt prohibitum in die feſto, quia ſub generali prohibitione operis ſeruilis continetur. **C**

Quid ergo dicendum? Omnis venatio peccatum mortale? Non.

Aliqua enim venatio recreationis gratia aſſumpta excuſatur, non quia per ſe ſeruilis non ſit, nec prohibita, ſed primò ob leuitatem materiæ, & ex quadam morali neceſſitate ad vitandum otium, vel, &c. Secundò poteſt excuſari ex conſuetudine, quæ poteſt legem remittere, quę videtur in hac parte præualuiſſe, ſcientibus & tolerantibus paſtoribus Eccleſię; Quàpropter etiam piſcatio in fluminibus recreationis gratia facta ex eadem conſuetudine licèt, maximè quando eſt moderata. Quæ verò fit in mari, non eſt in conſuetudine, niſi propter peculiarem

Gg neceſſi-

Digitized by Google

A neceſſitatem, ideo non licet, & de hac maxi nè loquitur Cap. licet. 3. in ord. De Ferijs. Cuius hæc ſunt verba Summæ. *Propter neceſſitatem alimentorum licet diebus feriatis in bonum Dei operi ſeruili intendere, maxime circa rem tempore perituram.* Verba autem textus ſunt iſta. *Indulgemus, vt liceat parochianis veſtris diebus Dominicis, & alijs feſtis (præterquàm in maioribus anni ſolemnitatibus) ſi Alecia terræ ſe inclinauerint, eorum captioni ingruente neceſſitate, intendere; ita quòd poſt factam capturam, Eccleſijs circumpoſitis, & Chriſti pauperibus, congruam faciant portionem.* Gloſſa. Alecia genus piſcis eſt, & rarò, & certis diebus apparet, ideoq; propter neceſſitatem faciliùs indulgetur, vt Dominicis diebus, &c.

De Ferijs. Cap. Licet.

Gloſſa.

§ Septimus. De Militia, Vtrum in die feſto liceat?

B IN militia duo poſſumus conſiderare, Vnum eſt ipſum opus militiæ, ſiue ipſa executio militiæ, ſiue ipſe actualis pugnæ congreſſus. Alterũ eſt ipſum regimen militiæ, & ordinatio neceſſariorum ad ipſam. Quantùm ad primum, Militia eſt opus ſeruile, tùm quia, hoc modò militiæ ars inter mechanicas computatur, tùm quia intendere occiſioni ferarum, opus eſt ſeruile, ergo & hominum, à fortiori, quia hęc eſt actio merè corporalis, & laborioſa, & circa effectus corporales omninò inſiſtit. Quantùm ad ſecundum, Militia eſt opus liberale, quia eſt potiùs opus mentis, quàm corporis.

Duplex autem eſt finis militiæ, Proximus, & Remotus. Proximus eſt occiſio hominum. Remotus eſt defenſio Reipublicæ, Militia non habet nobilitatem ſuàm ex fine proximo, quia ex eo attenditur ratio operis ſeruilis, quid enim magis ſeruile, quàm occidere homines? Sed habet nobilitatem ex fine remoto, quia ordinatur ad defenſionem Reipublicæ, tùm etiam, quia ſi iuſta cauſa fiat, inſignis actus virtutis, & fortitudinis eſt, & indicium præſtantis animi, & fortis corporis, & magnarum virium.

C Dico igitur, quòd Actualis militia per ſe eſt prohibita in die feſto, per accidens autem, & ex cauſa interdum tolleratur, & permictitur. Primum probatur ex principio poſito, quia illud opus, ſcilicet militiæ actualis, de ſe ſeruile eſt. Ergo per ſe continetur ſub generali prohibitione.

Quòad ſecundum, quòd ſcilicet interdum per accidens tolleretur, Notandum, quòd duplex eſt bellum, Aggreſſiuum, & Defenſiuum. Defenſiuum eſt licitum in die feſto ratione neceſſitatis, & de hoc iura. Aggreſſiuum ordinariè non licet in die feſto, ſed per epicheiam, & diſpenſationem, dicto Cap. Licet. De Ferijs (cum proportione applicata) licebit in

Bellum. Duplex.

bello

bello iuſto, ſi ſe offerat bona occaſio comparandi victoriam, quæ ſemel ammiſſa, non facilè ſolet redire. A

Addo, quòd tempore pacis fiunt in die feſto quædam exercitationes, & demonſtrationes militares, quæ in conſuetudine ſunt, & damnari non poſſunt, non ſolùm ratione conſuetudinis, ſed etiam ratione moralis neceſſitatis ad publicam cuſtodiam ciuitatis, quia non poſſunt commodè alijs diebus fieri, deindè, quia illa, quæ tunc fiunt, aut parum, aut nihil habent de ſeruilibus operibus, & potiús ordinantur ad memoriam exercendam, vel ad habendam cognitionem perſonarum, quàm ad exercendam militiam, & ſi aliquid ſeruile miſcetur, ex alijs cauſis honeſtatur.

§ *Octauus. De Actu pingendi, An ſcilicet die feſto pingere liceat?*

Reſolutè dicendum eſt, quod pigendi opus ſimpliciter eſt prohibitum in die feſto, ſiue pretio, ſiue liberaliter fiat, quia pretium (vt vidimus) non variat rationem operis ſeruilis; Immò etiam cauſa pietatis, vel religionis per ſe non licet, niſi aliqua iuſta excuſatio intercedat: Nec per ſe licet pingere in die feſto ad artem addiſcendam quòad vſum, & facilitatem ipſius corporalis operis, quia hoc totum non tranſcendit conditionem ſeruilem, & intentionem, nec intentio addiſcendi honeſtat actionem, quia medium eſt ſeruile. Actio verò delineandi tantum imaginem attentè inſpectam ad illam poſtea imitandam, & pingendam, poteſt excuſari ex paruitate materiæ, & ex benigna interpretatione præcepti cum quodam colore neceſſitatis. Vel dici poteſt quod illud propriè non eſt pingere, ſed ſolum memoriam, & mentem iuuare, vt poſſit poſtea idolum talis imaginis perfectè formare; & hoc videtur ad diſciplinam liberalem accedere. B

§ *Nonus. De alijs actibus corporalibus, Muſica nimirum, pulſationis inſtrumentorum, agitationis corporum, quæ in ſaltationibus, Choreis, & tripudijs fiunt, & huiuſmodi, An diebus feſtis liceant?* C

De his omnibus actibus dicendum eſt, quòd nullum iſtorum operum propriè, & ſtrictè loquendò ſeruile eſt. Hoc de Muſica manifeſtè patet, quoniam inter artes liberales computatur, & ad eam hę actiones reducuntur. Præterea iſta omnia non ſunt propriè & per ſe opera ſeruorum, neq; ad ſeruiendum fiunt ex genere ſuo. Quòd hæc autem interdum fiant mercennariè; id non mutat naturam operis, quod multoties iam animaduertimus.

A

§ *Decimus. Vtrum præter actiones ſeruiles, ſint alia opera prohibita in diebus feſtis.*

De Ferijs C. Omnes dies. AFfirmatiuè reſpondendum eſt ex Cap. Omnes dies. De Ferijs. 1. in ord. Vbi prohibetur mercatum, placitum, iudicium ad mortem, vel ad pænam, & iuramentum. Hæc ſunt verba textus. Omnes dies dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſeruari, & ab omni illicito opere abſtinere, vt in eis mercatum minimè fiat, neq; placitum, neq; aliquis ad mortem, vel ad pęnam iudicetur, nec ſacramenta (niſi pro pace, vel alia neceſſitate) præſtentur. Gloſſa. *Gloſſa.*

Pax, & fama, fides, reuerentia, cautio damni
Defectus veri ſibi poſcunt magna caueri.

B

Ex his autem ipſis verbis allati textus clarè patet, quòd quinq; ſunt opera prohibita in die feſto, quæ ſimpliciter non ſunt ſeruilia. Primum eſt, Mercatum. Secundum, Placitum. Tertium, Iudicium mortis, vel pęnę. Quartum, Iuramentum ſolemne, & in iudicio præſtitum. Quintum, Proceſſus, & ſtrepitus iudicialis Iudicum, & Notariorum.

Mercatum eſt triplex, Vnum, quod fit quotidiè in venditione rerum omnibus locis; Alterum, quod fit ſingulis hebdomadis; Tertium, quod dicitur Nundinæ, quæ fiunt bis, vel ter in anno. Primũ, & ſecundum prohibita ſunt in die feſto, & niſi conſuetudo excuſet, vel alia cauſa, neutrum licitum eſt. Tertium, ſaltem ex conſuetudine eſt licitum diebus feſtis. Nauar. cap. 13. num. 8. *Nauarr.*

Placiti nomine in Iure Canonico venit quælibet lis, iurgium, & cauſa forenſis, quæ in iudicio agitur. Vel *Placitum*, ideſt Iudicium Ciuile, vel ſententia Ciuilis.

Iudicium mortis, vel pænæ, ideſt Iudiciũ criminale, vel ſententia criminalis.

C

Iuramentum ſolemne indicio præſtitum Intellige, pro temporalibus, nàm pro ſpiritualibus (vt exquirunt Inquiſitores) vel pro pace, aut alia graui neceſſitate, eſt licitum, vt dicto Cap. Omnes dies.

Quoniam autem multa prohibentur, quæ, ſi fiant, facta tenent, quando per legem expræſsè non irritantur. Ideo notandum eſt, quòd partes Iudicij (quæ omnes prohibentur) ad tres reuocantur; Prima eſt inchoatio cauſæ, quæ à citatione maximè incipere videtur. Secunda eſt Proceſſus formatio, & cauſæ cognitio; Tertia, Terminus iudicij, ſeu ſententię prolatio. *Partes iudicis, quæ, & quot.*

Hìc obſeruo, quòd in Cap. vlt. De ferijs. adduntur duo valde notanda. Vnum eſt, quòd tales actiones non ſolùm ſunt prohibitæ in die feſto,

ſto, ſed etiam ſunt ipſo iure nullæ, expreſsè enim dicitur *Nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia.* Alterum eſt, quod ita ſunt prohibitæ huiuſmodi actiones in die feſto, quòd neq; ex conſentione partium fieri poſſunt, neq; etiam ſi fiant, factę tenent. Vbi ex eod. textu nota differentiam inter ferias feſtiuitatum, & aliorum temporum, quòd in ferijs poſterioribus poſſunt partes renunciare, in ferijs feſtiuitatum, non poſſunt; Ratio, quia ferię aliorum temporum, ſeu temporales, conceduntur in leuamen, & fauorem partium; Feſtiuales in honorem, & cultum Dei, & Sanctorum. Vndè in die feſto nec iudicium, nec mercatum licet, etiam ex cõuentione partium, quia vtrumq; eſt in honorem Dei prohibitum. Nihilominùs contractus ita factus in die feſto validus eſt, & inſtrumentum etiam extra iudicium factum ad illius confirmationem validum eſt; Acta verò in iudicio non ſunt valida, Ratio, quia lex ipſa prohibens mercatum, non irritat illud, dicto Cap. 1. De Ferijs. Lex autem prohibens acta iudicij, irritat illa, dicto Cap. vlt. De Ferijs. A B

§ *Vndecimus. Vtrum Citatio facta in die feſto licita ſit, & teneat?*

HÆC dubitatio quòad litis initium occurrere poteſt, & pro eius explicatione animaduertendum eſt, quòd aliud eſt citationem fieri pro die feſto; Aliud, vſq; ad diem feſtum; Aliud verò, in die feſto. Primo modo facta, iniqua eſt, & inualida ex vi dicti Cap. vlt. De Ferijs, quia continet præceptum iniquum, & iniuſtum, ſenſus enim eſt, *Citatur pars, vt in die feſto reſpondeat*, quòd indicat ly *pro.*

Notandum Primò, quòd fieri pro die feſto, poteſt intelligi duobus modis; Vno modo, directè, & formaliter, puta pro Dominica, vel pro feſto (exempli gratia) S. Petri; Alio modo, quòd expreſsè ſolùm fiat pro tali die menſis, vel hebdomadæ, & in illum diem contingat feſtum incidere. Primo modo, vera eſt ſententia communis, quę docet, quòd tale præceptum nullam omninò inducit obligationem, quia eſt irritum, & nullum, ex vi Cap. vlt. de Fer. citati. Secundo modo, probabilis eſt ſententia aliorum, qui docent, quòd cùm illud præceptum, ſiue citatio illa duo cõtineat præcepta, vnum comparendi, aliud comparendi tali die, ſcilicet feſto, primum impleri poteſt: Secundum, non; Et tunc Iudex non peccat, nec agit contra feſtũ, nec præſumenda eſt praua intẽtio, vbi nõ oſtẽditur. Hinc ſequitur, quòd talis actus non eſt contra legẽ, nec per illã eſt irritus factus, ſed obligat, prout poteſt, ſ. in diẽ proximè ſequẽtem, & habilẽ. Citatio facta ſecundo modo, ſcilicet, vſque ad diem feſtum, in legitimo ſenſu, quem habere poteſt, & debet (niſi aliud exprimatur) iuſta eſt, & C

valida.

A validà; Nam illa verba indicant prorogationem temporis, pro quo ſit mandatum, vſque ad talem diem; Et ſenſus eſt, ſiue eſſe debet, vt totum illud tempus vſq; ad illum diem incluſiuè prorogetur, & intra illum non peccetur, non comparendo, die autem proximè ſequenti comparendum ſit. Et hic ſenſus eſt ſatis vſitatus. Citatio facta tertio modo, videlicet in die feſto, etiamſi mandatum eius pro die profeſto fiat, & intimetur, prohibita eſt, ex vi d. c. vlt. de Ferijs, & ita irrita.

Notandum ſecundò, quòd in tali citatione, duo poſſunt conſiderari; Vnum eſt quaſi actio ex parte Iudicis ſcilicet emanatio præcepti, & decretum citationis; Alterum eſt quaſi paſſio reſpectu illius, qui citatur, ſcilicet, quòd ei intimetur præceptum, & contingere poteſt, vt vtrumque fiat in die feſto, vel alterum tantùm. Et omnibus modis nullus eſt ille actus. Primò [illegible]io Iudicis continens citationis præceptum in feſto facta nulla eſt, etiamſi non in feſto, ſed in profeſto ſit intimanda. Ratio, quia
B illa pertinet ad ſtrepitum iudicialem, qui totus prohibitus eſt, & irritus; Item, quia illud præceptum continere cenſetur interlocutoriam quandam ſententiam, & omnis ſententia in die feſto prolata prohibita eſt, & nulla. Item, quia illud præceptum non fit ſine cauſæ cognitione, quæ omninò prohibita eſt in die illo, & conſequenter etiam vox, ſeu præceptum, quod ab illa emanat. Secundo modo, ſcilicet, ſi Iudex protulit præceptum in die profeſto, & intimatio facta fuit in die feſto, duobus modis, poteſt intelligi, Vno modo ex vi ipſius citationis, quia nimirùm, per ipsā expreſsè præcipiebatur, vt ita fieret; Alio modo poteſt intimatio præcepti fieri in die feſto vel per accidens ex ignorantia miniſtri, vel ex malitia eiuſdem, aut Iudicis, qui priuatim, & extra iudicium id ordinauit; Primo modo, præceptum fuit iniquum, & nullum; Secundo modo etiam talis intimatio, quocumque ex illis modis fiat, nulla eſt, in die feſto, ex
C 6. d. c. vlt. de ferijs. Et Ratio clara eſt, quia ibi præcipitur quies à litibus, & à ſtrepitu Iudicij, & irritatur quidquid in contrarium fit, hæc intimatio eſt contra quietem, & eſt pars non modica iudicialis ſtrepitus, ergo. Ipſum tamen præceptum validum manet, quia in ſe non continet vllum errorem, & aliòqui habili tempore latum eſt; Potuit ergo alio die profeſto citatio fieri ex vi illius, quia non fuit extinctum propter indebitam applicationem eius, ſed ſolùm tunc non habuit effectum, & ita, niſi iterum intimetur, nullam inducet obligationem ex vi intimationis factæ in die feſto, nec ex vi illius, poterit proceſſus formari, alioquì omnia erunt nulla.

A

§ *Duodecimus. An in die feſto exigi poſſit iuridicum iuramentum? & alia fieri, quæ ad litis progreſſum attinent?*

OCcurrit hæc dubitatio quantùm ad ſecundam partem Iudicij, ideſt quãtùm ad progreſſum litis; & pro illius breui deciſione dico, duo.

Primum Dictum. Non poteſt in die feſto exigi iuridicum iuramentũ ex d. 1. cap. de Ferijs. Hæc prohibitio intelligitur de ſolemni ſiue à teſtibus, ſiue à partibus poſtuletur. Vndè, ſicut non iurare, ita, nec examinare licitum eſt, quia non poſſunt dicere teſtimonium, niſi præuio iuramento. Item teſtes non poſſunt cogi ad reſpondendum, ergo, nec iuridicè interrogantur. ergo, nec eorum depoſitio valida erit, vel econtrariò, ſi iuridicè interrogentur actus iudicialis eſt, & ita per legem Eccleſiaſticam irritus factus eſt. Item grauiter peccat tabellio ſcribendo, & fidem dando, quia illa ſcriptio pertinet ad proceſſum iudicialem conficiendum, quod prohibitum eſt, & conſequenter irritum, & prohibitio facta, in d. c. 1. eſt generalis ad iudicia, & ad cauſas forenſes, ſiue de temporalibus, ſiue de ſpiritualibus agatur. B

Secundum dictum. Quando verò occurrit neceſſitas, licitum poteſt eſſe iudicium, tùm in cauſis ſpiritualibus, tùm etiam in temporalibus.

§ *Decimuſtertius. Vtrum ſententia die feſto lata, & alia ad iudicij finem pertinentia, valida ſint?*

Excõmunic. ſent. in die feſto licet.

C

Abſol. ab excõmu. in die feſto licet.

QVantum ad tertiam partem Iudicij, ſcilicet quoad finem, dico, quòd non omnis ſententia eſt prohibita in die feſto, quia ſententia excõmunicationis non prohibetur, neque eſt nulla, quia non fit cum ſtrepitu iudicij; Vndè à fortiori abſolutio ab excommunicatione non eſt prohibita in die feſto eadem ratione, tùm etiam, quia eſt fauorabilior, eſt enim ſpirituale bonum, & periculo animæ per eam ſubuenitur. Hæc ratio poteſt etiam ſuo modo applicari ad excommunicationem, quæ eſt pęna medicinalis, & ad bonum animæ ordinatur.

Actus volũtariç iuriſd. non prohibẽtur in feſto.

Item, nec actus voluntariæ iuriſdictionis ſunt prohibiti in die feſto, quia ſolùm iudicialis ſtrepitus prohibetur, & ea, quæ ad illum pertinent; Dicitur autem eſſe iudicialis ſtrepitus, vbi cauſa eſt contentioſa, & litigioſa, ac denique, vbi quæſtiones, & iurgia tractantur. Sed ea, quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, vt emancipationes, & manumiſſiones, non fiũt, cum ſtrepitu iudiciali, aut diſpenſationes, indulgentiæ, priuilegia, & huiuſmodi, neque pertinent ad iudicium contentioſum; Ergo.

Appel-

Digitized by Google

A Appellatio poteſt in die feſto interponi, non licet tamen eam in die feſto proſequi. Gloſſa in d. c. 1. De Ferijs. Nam, cum appellatio ſit quędam defenſio naturalis, meritó tunc conceditur, ne homo illa priuetur. Conſulendum tamen, vt in die profeſto fiat, ſi commodè fieri poſſit.

Gloſſa.

Notandum tamen eſt, quòd, cum dicitur, quòd actus extraiudiciales validi ſunt, & liciti, intelligitur ex vi illius Decreti, ſeu legis, per quam Proceſſus, Sententia, & ſtrepitus iudicialis prohibentur, nàm ex alio capite contingere poteſt, vt actus malus ſit.

Not. 2. quod in d. 1. Cap. De Ferijs non additur irritatio, ſed in vltimo additur. Ideo omnia, quæ in 1. Cap. Prohibentur, ſi non prohibentur in vltimo, licet cum peccato fiant, valida tamen ſunt; Quæ autem in neutro cap. prohibentur, & ſeruilia non ſunt, illicita non ſunt, ex eo præciſè, quòd in feſto fiant, niſi aliundè habeant malitiam. Vndè habetur, quod licet Aduocato informare Iudicem in die feſto, quia in neutro cap. eſt prohibitum, quia eſt actus extraiudicialis, & non eſt ſeruilis.

B

§ *Decimusquartus. Vtrum Iudicium Arbitri ſit licitum in die feſto.*

PRæmitto hanc diſtinctionem, quòd duplex eſt arbiter, Verus, ſcilicet, & Internuncius, & breuiter deinde ſoluo quæſitum ponendo duas propoſitiones.

Prima Propoſitio. Non eſt licitum Arbitri Iudicium in die feſto, loquendo de vero Arbitro, non enim licet coram vero Arbitro cauſam agere in die feſto, nec ei licet ſententiā ferre ex l. Omnes dies. c. de Ferijs. Vbi dicitur, Nec apud ipſos arbitros vel à iudicibus flagitatos, vel ſpontè electos, vlla ſit cognitio iurgiorum. Ratio, Quia ille procedit iudiciali modo inſtar iudicis.

L. Omnes dies. Cap. De Ferijs.

Secunda Propoſitio. Arbiter Internuncius poteſt munus ſuum exercere in die feſto, eiusq; iudicium tali die licitum eſt; Quia ſolùm eſt amicabilis fæderator, & conciliator pacis; Fædera autem, & ſimilia pacta non ſunt prohibita in die feſto.

C

Cuius ſit inſtituere dies feſtos. Cap. V.

POteſtas inſtituendi, indicendi, præcipiendi dies feſtos, & cultui diuino dicatos, eſt propriè ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica, & ita ad ſolos Eccleſiæ paſtores ſpectat, & ideo ſine illorum conſenſu non poſſunt Principes, & Communitates laicæ feſtorum obſeruatio-

nem

Digitized by Google

nem præcipere. Silueſter. Verb. Dominica in princ. n. 2. Quod ſi inſti- A
tuerent, inſtituta non obligarent in conſcientia, & poſſent ſubditi ſecretò *Silueſter.*
laborare, ſecluſo ſcandalo. Silu. ſupr. Io. Azor. p. 2. l. 1. c. 26. q. 5. Pro *Azorius.*
pleniori tamen huius rei notitia dico quinque.

Dico primò. Summus Pontifex, & Concilium generale nouos dies feſtos in toto Orbe inſtituere, & antiquos inſtitutos abrogare poteſt.

Secundò dico. Epiſcopus nouos dies feſtos in ſua Diæceſi inſtituere poteſt; ſed cum conſenſu Capituli, aliter non. Cap. Conquæſtus. De *De Ferijs.* Ferijs. Poteſt etiā Epiſcopus abrogare feſta inſtituta à ſuo prædeceſſore, *Conquæſtus.* non tamē inſtituta à Papa, vel Cōcilio generali in ſua Diœceſi, vel ex conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ. An verò Prælati habentes poteſtatem, *Dubium.* poſſint abrogare feſta inuito populo. Silueſter. Verbo. Conſuetudo. q. 5. *Silueſter.* aſſerit, quòd ſi populus perſiſtat in obſeruatione dictorum feſtorum, ſiue *Solutio.* feſtorum ſine contemptu, talia feſta obligant. Idem nobis dicendum videtur.

B

Tertiò dico. Conſuetudo ſcita, & tollerata habet vim abrogandi feſta, & alia de nouo inſtituendi. Nauar. cap. 13. n. 1. *Nauarr.*

Quartò dico. Religioſi omnes, etiam exempti tenētur ſeruare dies feſtos, quos in ſua Diæceſi Epiſcopus ſeruandos præcepit. Conc. Trid. Seſſ. *Conc. Trid.* 25. de Regular. cap. 12.

Qunitò dico. Epiſcopi, & alij Prælati Eccleſię poſſunt diſpenſare, non ſolùm circa feſta particularis conſuetudinis, vel præcepti, ſed etiam circa feſta conſuetudinis vniuerſalis, vel præcepti vniuerſalis Eccleſiæ in caſu neceſſitatis, & ex cauſa rationabili, & non ſolùm cum perſona particulari, ſed etiam cum toto populo. Ita etiam Cl. Reg. *Clauis Reg.*

De his, qui obligantur ad feſtorum obſeruationē, & de pænis non obſeruantium dies feſtos.

C

Cap. VI.

PRimò videndum eſt de his, qui obligantur ad feſtorum obſeruationem, deinde de pænis non obſeruantium. Et quantum ad primum, Doctores omnes conueniunt, quòd ad feſta Eccleſię vniuerſalis tenentur omnes Chriſtiani; Ad feſta Epiſcoporum, ij tantum, qui ſunt illorum ſubditi. Et quidem de prima huius ſententiæ parte nulla occurrere poſſe videtur dubitatio, quandoquidem, Vniuerſalis Ec-

A cleſiæ præcepta omnes Chriſtianos ad eorundem obſeruationem ligant. De ſecunda verò parte non leuis oritur dubitatio, quam in ſequenti articulo examinandam proponimus.

Articulus Primus.

An ſubditi alicuius Epiſcopi extrà Diæceſim exiſtentes teneantur obſeruare feſta Patria, quando in loco, in quo exiſtunt non celebratur feſtum ſub præcepto iniunctum.

B

ISta Quæſtio vnum ſupponit, eſſe nimirùm in præſenti ſermonem de ijs, qui non mutarunt domicilium, ſed actualem ſolùm præſentiam, nam qui domicilium mutauit, eo ipſo eſſe deſijt ſubditus prioris paſtoris, & ideo ad feſta propria non tenetur, quæ ſunt prioris domicilij, ſeu Diæceſis, aut Parochiæ. Quô ſuppoſito, iuxtà communem doctorum ſententiam.

De Conſtit. Vt animarū in 6.

Negatiue reſpondendum eſt ad queſtionē. ex cap. Vt animarum. 2. in ord. §. Statuto. De Conſt. in 6. Vbi ex textu expreſsè habetur his præciſis verbis. *Statuto Epiſcopi, quo in omnes qui furtum commiſerint excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi eius furtum extrà Diæceſim illius committentes minimè legati noſcuntur, cum extrà territorium ius dicenti non pareatur, impunè.* Gloſſ. *Impunè.* ideſt, *ſine pæna*, ideſt, *non parens, ex eo pænam non patitur.* Accedunt in corroborationem verba ſummæ illius capitis, quæ ſequentia ſunt. *Statutum Epiſcopi extrà ſuam Diæceſim ſubditum non ligat.* Et Gloſſa hoc notabiliter obſeruat. *Eſt territorium Vniuerſitas agrorum infra fines cuiusq; ciuitatis, quod ab eo dictum quidam putant, & aiunt, quod Magiſtratus eius loci infrà eos fines terrendi, ideſt ſubmouendi ius habet.* Hæc Gloſſ. ibi. Quod etiam ſic probatur, quia Lex talis non fertur ad ſubditos abſolutè ſecundùm ſe ſpectatos, ſed ad ſubditos præſentes, & exiſtentes in tali loco, vel potiùs directè fertur ad locum, & præcipit, vt in eo ſeruetur tale feſtum, & ideo non comprehendit abſentes. Quare licèt non ſeruent illud extrà, non propterea agunt contra obedientiam ſui Epiſcopi.

Gloſſ.

§ Pri-

A

§ *Primus. Vtrum Peregrini obligentur ſeruare feſta loci, in quo verſantur, ſeu per quem tranſeunt.*

NON eſt vna Doctorum ſententia quantùm ad primam huius Quęſiti partem; Quidam enim abſolutè negant, aduenas obligari legibus loci, in quo morantur, niſi perpetuò habitaturi illuc accedant; Gloſſ. in Cap. Quæ contra. 2. in ord. diſt. 8. Verb. *Aut peregrini*. Verba Gloſſæ ſunt *Viatores non ſortiuntur forum illius loci, per quem tranſeunt; Et ſoli perpetuò habitantes obligantur legibus Ciuitatis.* *Diſt. 8. Cap. Quæ contra. Gloſſa.*

Alij aſſerunt, quod habitatio ita diuturna, quæ ſufficit ad forum adquirendum, & quaſi domicilium, ſufficit etiam ad obligationem ſeruandi feſta. Ex his quod probabiliùs, & magis rationi conſentaneum eſt, eligi poteſt.

B

Quantum autem ad ſecundam partem, an teneantur Peregrini ſeruare feſta loci per quem tranſeunt, Reſpondet Nauarrus in Man. cap. 13. num. 5. Quòd quando ſunt in tranſitu, non tenentur, cum autem permanent in die feſto, tenentur. *Nauarr.*

§ *Secundus. Quanta mora temporis, ſaltem animo, & propoſito concepta ſit neceſſaria ad obligationem fundatam in hoc titulo, quaſi domicilij?*

RESpondeo, quòd hoc poteſt intelligi duobus modis. Vno modo, quando quis peruenit ad locum, in quo per aliquot dies moretur, vel recreetur, vel negotietur, ita vt ille locus ſit quaſi terminus peregrinationis, & viæ, licèt in illo, paruo tempore permanſurus ſit; Alio autem modo, quando præſens in tali loco, tantum eſt in tranſitu, tamquam in hoſpitio viæ, prandendo, vel pernoctando, & ſtatim diſcedendo ſine mora. Primo modo, affirmatiuè dicendum eſt, & hoc probatur, vel ex conſuetudine, vel vi legis, & iuriſdictionis. Secundo modo, dicendum etiam affirmatiuè pro eo tempore, pro quo in tali loco quieſcunt ſeruata proportione, quòad tempus habile ad obligationem, & executionem præcepti. Nauarr. ſupra dub. 18. Et hoc verificatur, tùm de peregrinis habentibus alibi domicilium, tùm de Vagis, qui nullum habent fixum domicilium, ſed ſemper vagantur, & ideò vagi dicuntur. Qui vagi, licèt proprium domicilium reuera non adquirant, nec illud habeant, cum nunquàm habeant animum ibi manendi, dicuntur tamen adquirere domicilium, quòad effectus neceſſarios ad bonam eorum gubernationem, *Nauarr.*

C

Digitized by Google

A ideo poſſunt iſti vagi coerceri à Præfectis Vrbium, & à Paſtoribus Eccleſiaſticis ad ſe conformandum loco, in quo ſunt, ſecus eſſet contra bonos mores talium perſonarum, & non poſſet eſſe ſine perturbatione Reip.

Duo autem ſunt, quæ pertinent ad obſeruationem feſti. Alterum poſitiuum, ſcilicet audire Miſſam; Alterum negatiuum, ſcilicet abſtinere ab operibus ſeruilibus. Primum, ſcilicet poſitiuum, vno actu, & vna parte diei, impleri poteſt. Secundum, ſcilicet, negatiuum, habet tractũ temporis ſucceſſiuum, per totam diem, & per modum præcepti negatiui obligat ſemper, & pro ſemper intra illum diem. Pono igitur, his ſuppoſitis, aliqua dicta.

Primum dictum. Quantùm ad negatiuum, ille, qui peruenit ad talem locum, etiam ſi poſt horam ſit diſceſſurus, obligatur, quia tenetur pro illa hora abſtinere ab operibus ſeruilibus.

B Secundum dictum. Quantùm ad affirmatiuum, ſcilicet, de auditione Miſſæ, ſi ſtatim peruenturus ſit ad loca, in quibus feſtum illud non ſeruatur, non obligatur, quia non potuit tàm breuis, & tranſitoria mora inducere tantam obligationem cum incommodo itineris.

Tertium dictum. Si quis moretur toto tempore matutino in loco, vbi eſt dies feſtus, etiamſi alienigena ſit, & à prandio ſit diſceſſurus, tenetur audire Miſſam.

Reg. neceſſaria ad diſcernendũ morã quæ obligatiõẽ inducit.

Sit ergo regula generalis pro diſcernenda mora neceſſaria ad hanc obligationem. Si obligatio eſt præcepti negatiui, hæc ſemper vrget, pro rata temporis, quo durat præſentia in tali loco, quia prçceptum negatiuũ æquali proportione obligat pro toto tempore, & pro qualibet parte temporis, ſi obligatio ſit prçcepti affirmatiui, neceſſe eſt, vt quis ſit in loco, ſaltem pro toto illo tempore, quòd ad implendum actum præceptum per ſe conceditur. quia aliàs præceptum non obligat perſonam, nàm nec ratione domicilij, quod ibi non habet, nec ratione præſentiæ, quia eſt in puro tranſitu, nec tunc habet locum, ratio ſcandali, nec alia ratio boni communis.

C

Articulus

A

Articulus Secundus.

De pœnis non obſeruantium dies feſtos, ſiue de quantitate obligationis. An videlicet, obligatio ſeruandi dies feſtos ſit tanta, vt ex ſuo genere obliget ſub reatu peccati mortalis.

ABſolutè ſecundùm omnes Doctores reſpondendum eſt, quòd tanta eſt obligatio, vt eius transgreſſio ex genere ſuo eſt peccatum mortale, per accidens autem, ideſt in indiuiduo, ſiue in caſu poteſt eſſe veniale, puta, vel ex ignorantia, vel ex bona fide, vel ex leuitate materię. Hinc excuſantur Tonſores, vnum, vel alterum tondentes. Nau. cap. 13. num. 9. Sutores incidentes calceos, Sartores perficientes veſtes, in quibus laborant per vnam, vel duas horas, quia hoc multis non videtur longum tempus, pendet tamen, ex iudicio prudentis, & docti confeſſarij. Silu. verb. Dominica §. 6. reg. 4.

B

Nauarr.

Silueſter.

Sed quando feſtum cadit in diem impeditum, ex g. feſtum S. Andreę quod in primam Dominicam Aduentus cadens, quóad officium Eccleſiaſticum transfærtur in ſequentem diem. Non tamen transfærtur obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſeruilibus; Quod patet ex vſu Eccleſiæ.

Cũ trãslatione feſti, non transfartur obligatio.

Hoc etiam ſciendum eſt, quòd obligatio huiuſmodi ordinariè durat pro toto tempore vnius diei naturalis, ideſt, vigintiquatuor horarum, niſi aliquo particulari ſtatuto, pars tantùm diei deſignetur. Initium autem, & finis diei, pro quo vacandum eſt ratione feſtiuitatis, iuxtà regularem vſum Eccleſiæ, ſumendum eſt à media nocte ad mediam noctem, licèt in varijs Prouincijs aliud poſſit conſuetudine introduci, quod ſeruandum eſt. Verum eſt tamen, quòd aliud eſt agere de principio, & fine diei feſtiuitatum, in ordine ad officia Eccleſiaſtica, Aliud in ordine ad obligationem ſeruandi feſtum. Primo modo incipiunt feſtiuitates à primis veſperis, & durant vſque ad ſecundas veſperas, vel vſque ad Completoriũ diei Clem. 1. De Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Gloſſ. ibi, verb. In primis.

C

Quãtũ duret obligatio.

Initiũ feſti à media nocte quoád præceptum.

Init. feſti à 1. Veſp. quòad officium.

A

De Cauſa excuſante à peccato facientes opera prohibita in die feſto.

Cap. VII.

Nauarr.

Septem aſſignãtur cauſæ.

DVbitandum non eſt, quòd dentur aliquæ cauſæ legitimè excuſantes à peccato, opera prohibita in die feſto facientes, quia nonnullæ à Doctoribus aſſignantur. Nauarrus autem in Manuali. Cap. 13. n. 3. & alij multi ad Septem eas omnes reducunt, quas primó numerare, deinde examinare opere prætium eſt. Prima igitur eſt Pietas, ſiue Religio ergà deum. Secunda eſt pietas ergá proximum. Tertia eſt neceſſitas. Quarta eſt occaſio magni lucri, quod alio tempore haberi non poteſt. Quinta eſt communis vtilitas, & ſeruitium Reipublicæ. Sexta eſt licentia Papæ, vel Epiſcopi. Septima eſt conſuetudo rationabilis, non repræhenſa à Prælato, & præſcripta.

B

Ratione primæ cauſæ licita ſunt opera ſeruilia in die feſto, ſi immediatè ordinentur ad Diuinum cultum, vt portare crucem, vel ſtatuas Sanctorum in proceſſionibus. Item, quæ ſunt præparatoria ad Diuinum cultum concomitanter, vt pulſare campanes. Quæ verò antecedenter ſe habent ad Diuinum cultum, & ſunt præparatoria, vt verrere, & ornare templa, conficere hoſtias, non poſſunt fieri in die feſto, ſi tamen ſine cauſa fiant ſimplici corde, ideſt, bona fide, excuſarentur à peccató mortali. Dixi, *Quæ per ſe ordinantur ad Diuinum cultum*, nàm quæ ordinantur, per accidens, vt ædificare templa, colere terras Eccleſiæ, & ſimilia, non licent, ſine alia neceſſitate. Quia non omnia, quæ ſunt licita cauſa neceſſitatis, ſunt licita cauſa pietatis, Nauarr. ſup. num. 4.

Nauarr.

C

Pro ſecunda cauſa, quæ eſt pietas ergà proximum. Not. quòd quędã ſunt opera per ſe pietatis. Quædam quæ ſolùm per accidens ordinãtur ad pietatem. Exemplum primorum operum. Sepelire mortuos, Seruire infirmis, & huiuſmodi. Exemplum ſecundorum operum, vt reficere pontes viatorum, & ſimilia. Opera primi generis ſemper ſunt licita. Opera ſecundi generis ex ſola ratione pietatis non poſſunt fieri in die feſto, niſi cum pietate, adſit etiam neceſſitas, & cum licentia Epiſcopi. Hac ratione, excuſantur Iudices, qui in villis dicunt ius in die feſto, quia alijs diebus non poſſunt aduenire ſine damno.

Pro tertia cauſa, quæ eſt neceſſitas, not. quod quadruplex datur neceſſitas.

ceſſitas. Prima corporalis propria ad comparandum victum. Secunda corporalis proximi, qualis eſt infirmitas, &c. Tertia eſt neceſſitas victus. Quarta ad vitandum damnum imminens temporale proprium, vel alienum. Ratione primæ, excuſantur pauperes laborantes dummodo laborent ſine ſcandalo, & audiant Miſſam. Ratione ſecundæ, excuſantur Medici, Pharmacopolæ, Infirmarij, Notarij, qui conficiunt inſtrumenta in die feſto, Tonſores ex neceſſitate tondentes. Ratione tertiæ, excuſantur vendentes, vel parantes neceſſaria ad victum, macellarij, & piſtores magnarum vrbium. Ratione quartæ, excuſantur metentes, vindemiantes in die feſto, cum probabiliter timetur periculum iacturæ, ſimiliter, qui ſegetes, vel frumentum transferunt, & ſimilia. Item, qui frumenta purgant, vel ventilant, Artifices, qui ſine graui detrimento nō poſſunt ſua opera intermittere, vt qui vitrum fundunt, calcem, qui nauigant, &c. huiuſmodi. Item, qui ferrant Equos ad proſequendum iter, vel ad inchoandum, ne perdant ſocios. Item, qui bellant, vel faciunt mœnia, foſſas, aut propugnacula, qui ſuccurrunt ruinæ, vt extinguendo ignē accenſum in Domo, A B

Sed obſerua quòd omnis neceſſitas eſt duplex. Certa, vel Dubia. Quando neceſſitas eſt dubia, petenda eſt licentia ab ordinario, vel in eius abſentia, à proprio parocho; Quando neceſſitas eſt certa poſſunt hæc fieri ſine licentia.

Quarta cauſa, quæ eſt occaſio magni lucri, &c. vt piſcari halicias tranſeuntes. Cap. Licet. De Ferijs, vt dictum eſt ſupra, & alios piſces ſimiles, qui certo tempore tranſeunt, vt ſunt tymni, & ſardæ. Nau. ſup. num. 9. Idem dicendum de alijs rebus repentè occurrentibus, cum onere faciendi honeſtam portionem Eccleſijs. Verùm hoc eſt tantùm de conſilio. Silu. Verb. Dominica, p. 4. §. quæ autem neceſſitas excuſet. *Cap. Licet de Ferijs.* *Siluester.*

Ratione quintæ cauſæ, Communis videlicet, vtilitatis, & ſeruitij Reip. excuſantur nautæ, curſores, muliones, vinitores, qui coquunt lateres, calcem, conflantes vitra, & ſimiles, qui tamen, ſi talia inchoarent in die feſto, peccarent; Qui parant ſpectacula, ad excipiendum Principem, At in hoc caſu, tutiùs eſt petere licentiam ab Epiſcopo. C

Rationæ ſextæ cauſæ, quæ eſt licentia Papæ, vel Epiſcopi, excuſantur Tonſores, quibus conceſſum eſt ab Eugenio IV. vt per duas horas noctis, tondere poſſint. D. Antoninus p. 2. tit. 9. c. 7. §. 1. Nauarr. ſupra num. 8. At hoc priuilegium habet locum in illis tantùm locis, in quibus feſtum ſeruatur à veſpera, ad veſperam. Sufficit licentia interpretatiua, videlicet per diſſimulationem, & tolerantiam. *S. Antonin.* *Nauarr.*

Ratione ſeptimæ cauſę, rationabilis ſcilicet conſuetudinis non reprehenſæ:

A henſæ à Prælato excuſantur exercentes nundinas diebus feſtis, vel mercatum. Item conducentes operarios in ſequentem diem. Conducentes equos, vel mulos. Nauigantes etiam in fluuijs. Eadem ratione, licet continuare vecturam, non tamen inchoare. Item eadem conſuetudine, licitum eſt vendere carnes in macello. Ius dicere ruſticis. Eis vendere calceos, &c. huiuſmodi. Item vendere pignora, vel alia ſubhaſta, quando alijs diebus non ſolent emptores conuenire. Item, licitum eſt molere, præſertim in molendinis ad aquam, vel ventum.

Appendix

De Diſpenſatione.

B Diſpenſatio eſt duplex. Expreſſa, & Tacita. Expreſſa eſt illa, quæ ab ipſo Superiore, verbo, aut ſcripto apertè conceditur. Tacita eſt, quæ vſu, & conſuetudine cognita, & tolerata à Prælato inducta eſt. Expreſſa eſt etiam duplex. Vna ab homine. Altera à iure. Ad diſpenſationem ab homine tria ſunt neceſſaria, ſcilicet Poteſtas, Cauſa, & Voluntas. Poteſtas eſt moraliter neceſſaria ad ordinatum regimen animarum, pro caſibus repentinis, vel extraordinariè occurrentibus. Eſt ſermo, hîc de Epiſcopo reſpectu legis Papæ. Cauſa eſt neceſſaria, ſed rationabilis, diuerſo tamen modo, nàm quando Prælatus diſpenſat in lege propria, licèt cauſa deſit, diſpenſatio tamen erit valida, quàmuis non licitè concedatur. Quando diſpenſat in lege Superioris, ſi deeſt cauſa, diſpenſatio, & illicita eſt, & inualida, & nulla. Voluntas eſt neceſſaria, nàm per voluntatem conſumatur diſpenſatio, & ideo eſt neceſſarium, vt ſufficienter manifeſtetur, & de illa ſatis conſtet, iuxtà occaſionis exigentiam.
C In caſu etiam ſufficit voluntas præſumpta, & ratihabitio. Prudens, & doctus poterit iudicare, quando ſatis ſit.

F. VIN-

Digitized by Google

F. VINCENTII A
DE MONTE REGALI
Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Quintus.

De Quarto Decalogi Pręcepto.

Habeas in honore Parentes. B

De Quarti Pracepti Intelligentia, & quid eodem Pracepto pracipiatur.

Cap. I.

CVM præcepta Decalogi ordinent nos ad dilectionem Dei, & proximi iuxtà illud Saluatoris. *Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum, ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa* S.Lucas.
lex pendet, & Probeta, hoc fac, & viues Lucæ. 10. n.
27. & 28. Mattei 22 n. 37. & 38. Et Deuteromonij 6. num. 6. Hic pręcipitur ordinatio hominis ad proximum ſuum. Inter proximos autem S.Matt.
maximè obligamur parentibus, & ideo immmediatè poſt præcepta ordi- Deuteron.
nantia nos ad Deum, ponitur præceptum ordinans nos ad Parentes, qui ſunt particulare principium noſtri eſſe, ſicuti Deus eſt vniuerſale pincipiũ; Et ità apparet quedã affinitas huius præcepti ad præcepta primæ tabulæ. Ordinatio hominis ad proximum eſt ſecundùm duo; & ſecundùm beneficentiam, ſcilicet, & ſecundùm honoris reuerentiam; Secundùm beneficentiam eſt ordinatio ad omnem hominem; Secundum honoris reuerentiam eſt ad Patrem, & Matrem. Debet ergo vnuſquiſq; Patri, & Matri,

Digitized by Google

A

non ſolùm beneficentiam, ſed etiam debet eis honoris reuerentiam; At quoniam Exibitio beneficentiæ attenditur ſecundùm ordinem Charitatis, & in ordine Charitatis priores ſunt Parentes, hinc eſt, quòd Deus ſimul volens inſinuare obligationem ad proximum, potiùs expreſſit de Parentibus, quàm de alijs proximis, nomine Parentum etiam alios volens intelligere; Itemque quia Parentes poſt generationem filiorum frequenter perueniunt ad ſenium, & ætatem decrepitam, & maximè pro illo tempore indigent foueri, & ſubſtentari, cum alijs ſint graues, & oneroſi, ideo propter ſeruandum ordinem Charitatis, & inſinuandam iuris obligationem, & propter neceſſitatis indigentiæ releuationem, maluit Parentes exprimere, quàm alios. Non explicauit autem obligationem Parentum

S. Bonauent. in filios, quia omnes ad hoc per naturam ſunt proni. Ex D. Bonauentura 3. ſent. d. 37. dub. 4. litera.

Ad Thim. 1. Specialiter huic mandato promittitur longeuitas vitę, quia in iſto præcipitur opus pietatis, de qua dicit Apoſtolus. 1. Thimot. 4. Pietas ad

B

omnia vtilis eſt promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Vndè populo carnali promittebatur vita præſens, ſpirituali non tantùm pręſens ſed etiam futura: Magis pietati promittitur, quàm alijs propter commendationem ipſius miſericordiæ, in cuius actu maximè meretur homo Dei miſericordiam, & gratiam; Magis promittitur, quàm aliud bonum, quia vita maximè amatur, & vt homo expectans longæuitatem vitę, non aborreat longam vitam Parentum. Item, quia Iudei maximè proni erant ad Idolatriam, & auaritiam, quæ eſt Idolorum ſeruitus, ideo illi præcepto, quod eſt de Idolatria ſubiungitur comminatio, & illi, quod eſt de beneficentia, quæ eſt contra auaritiam, ſubiungitur promiſſio, vt per comminationem retrahatur à malo, & per promiſſionem attrahatur ad bo-

S. Bonauent. num. D. Bonauent. vbi ſupra.

S. Thom. S. Th. 2. 2. q. 122. a. 5. ad 4. Lōgæuitas (inquit) promittitur honorātibus parentes, nōn ſolùm, quātùm ad futurā vitā, ſed etiā quantum ad præſen-

C

tē, ſecundùm illud Apoſtoli. 1. ad Thim. 4. Et hoc rationabiliter, qui eſt ingratus beneficio, meretur ſecundùm quandā congruentiam, vt ſibi beneficiū conſeruetur; Propter ingratitudinem autem, meretur aliquis beneficium perdere; Beneficium autem vitæ corporalis poſt Deum à Parentibus habemus, & ideo ille, qui honorat Parentes, quaſi beneficio gratus meretur vitę conſeruationem, qui autem non honorat Parentes, tamquàm ingratus, meretur vita priuari; Quia tamen præſentia bona, vèl mala non cadunt ſub merito, vel demerito, niſi inquantùm ordinantur ad futuram remunerationem, ideo quandoq; ſecundùm occultam rationem diuinorum iudiciorum, quę maximè futuram remunerationem reſpiciunt

aliqui, qui ſunt pij in Parentes, citiùs vita priuantur, aliqui verò, qui ſunt impij in Parentes, diutiùs viuunt. Hęc D. Thomas. A

In hoc ergo primo Pręcepto primę tabulę, & quarto in ordine, pręcipitur Charitas erga proximum, & pręcipue erga Patrem, & Matrem; nàm ſicut in primis tribus pręceptis primę tabulę pręcipiuntur ea; quæ ſpectant ad Dei Charitatem, Religionem, & Cultum, ità in hoc ea, quę ad Charitatem proximi pertinet, In his enim duobus mandatis Charitatis, nimirùm de diligendo Deo, & proximo Vniuerſa lex eſt poſita; Vndè ſi non diligimus proximum, nec Deum diligere poſſumus, iuxtà illud. 1. Io. 4. num. 20. *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere poteſt?* *Io. 1. c. 4.*

Hoc autem inter amorem erga Deum, & amorem erga proximum intereſt, quòd Deum per ſe, & propter ſe, non alterius rei cauſa ſummo amore diligere debemus proximum autem propter Deum, quia amor, & Charitas proximi à Charitate Dei ortum ducit, & eam ad Deum, tamquàm ad certam regulam dirigere debemus, & tamquàm finem referre; Nàm ſi Parentes charos habemus; Si Dominis obedimus; Si eos, qui in dignitate, & auctoritate antecedunt, reueremur; Si proximos amamus, hæc de cauſa hæc præſtare debemus, quia eorum procreator eſt Deus, & quod eos alijs pręeſſe voluit, quòd eos à nobis diligi, & amari iuſſit gratia ipſorum, non emolumenti, & commodi noſtri cauſa, iuxtà illud Matthei. 10. *Qui vos recipit, me recipit.* Et illud Ad Epheſ. 6. num. 5. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus.* Quia pietas in parentes eſt adeò affinis illi, quæ debetur Deo, vt teſte Philoſopho, 8. Ethic. cap. 1. & 2. & Platone in legibus *Deo, Parentibus, & Magiſtris æquiualens reddi non poſſit.* Pietas enim eſt Virtus, qua debitus cultus, & honor tribuitur illis, quorum beneficio poſt Deum ſubſiſtimus, & gubernamur, nimirùm Parentibus, Patriæ, &c. Et etiam propter hoc illis, qui vel neceſſitate aliqua ſanguinis cum Parentibus, vel beneuolentia cum Patria coniuncti ſunt. Quia in cultu Parentum includitur cultus omnium conſanguineorum, nàm etiam conſanguinei ex hoc dicuntur, quòd ex eiſdem Parentibus proceſſerunt; In cultu autem Patriæ, intelligitur cultus omnium conciuium, & omnium patriæ amicorum, & ideo ad hos pietas principaliter ſe extendit. D. Thomas 2. 2. q. 101. art. 1.

Inter amorē Dei, & proximi, quæ differentia. B

Ariſtot. Plato. C

Honor eſt exhibito reuerentiæ in teſtificationem excellentiæ alicu-

A ius præſertim virtutis. D. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 3. Eſt enim honor proteſtatio quędam reuerentiæ, ratione pręeminentiæ exhibitæ ab eo, qui honorat, illi, quem honorat per aliquem actum interiorem, vel exteriorem. Præeminentia verò eſt duplex. Creata, & Increata. Hic eſt ſermo de creata. Honor etiam, qui debetur præeminentiæ eſt pariter duplex. Quidam debetur iure quodam naturæ, qualis eſt ille, quem vnuſquiſque debet ſuo Superiori. Quidam eſt debitus ex charitate, iuxtà illud ad Rom. 12. num. 11. *Honore inuicem præuenientes*, Et ad Philipp. 2. num. 3. *In humilitate Superiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Vndè honorare aliquem, eſt de illo honorificè ſentire, & quæ illius ſunt, maximi putare omnia. Scitè autem in lege poſita eſt vox honoris, non amoris, aut mætus, etiamſi valde amandi, ac metuendi parentes ſint, etenim, qui amat, non ſemper obſeruat, & veneratur. Qui metuit, non ſemper diligit. Quem verò aliquis ex animo honorat, item amat, & reueretur. Cathechiſmus. De quarto præcepto. num. 7.

Ad Rom. 12

Ad Philip.

Cathechiſm.

B

Parentum nomine quinàm intelligi debeant?

Cap. II.

Alexander de Aleſ.

ALexander de Aleſ. 3. p. q. 33. nu. 1. obſeruat, quòd hoc præceptum tribus modis intelligi poteſt. Primo modo, ſecundùm quòd educitur à lege naturæ. Secundo modo prout eſt legis ſcriptæ à Deo inſpiratæ. Tertio modo ſecundùm quòd accipitur iuxtà allegoriam impropriè. Si primo modo, intelligitur Pater carnalis, natura enim non nouit, niſi patrem, qui eſt principium in eſſe naturæ. Secundo modo, intelligitur Pater ſpiritualis, & in hoc addit lex ſcripta à Deo inſpirata, ad legem naturæ, iuxtà illud. 1. Ad Cor. 3. *Per Euangelium, ergo vos genui*. Tertio modo, intelligitur Deus, ſed hoc eſt impropriè, quia propriè, & per ſe in hoc non pręcipitur honorari Deus, ſed homo, qui eſt principium per generationem, quòad eſſe naturæ.

C

1. ad Cor.

Vel dicamus, cũ eod. Alex. Cũ huiuſmodi honor debeatur alicui ratione pręeminentię, & cum pręeminentia creata non ſit aliud, quàm participatio quædam, & ſimilitudo præeminentiæ increatæ, ex præcipuis attributis increatæ, videlicet Dei colligi poteſt omnis creata præeminentia, & conſequenter quibus debetur honor. Attributa præcipua ipſius Dei, ſunt

ſunt tria, potentia, ſapientia, bonitas. Potentia in hominibus attendi poteſt circa tria, ſcilicet circa eſſe naturale, circa eſſe ſpirituale, circa benè eſſe temporale. Primo modo, magna relucet in parentibus, quia nos genuerunt. Secundo modo relucet in Sacerdotibus, & Eccleſiæ Prælatis, qui nos, & per Baptiſmum regenerant, & per alia Sacramenta, paſcua nobis præbent in vita ſpirituali, & ſalutis noſtræ ſpiritualis curam gerunt, & ideo patres dicuntur, iuxtà illud Eccleſiaſtici 44. *Laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua.* Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri. Tertio modo potentia relucet in Regibus, Principibus, & alijs Magiſtratibus temporalibus, qui Rempub. gubernant, quorum cura, & diligentia, & ab hoſtibus defendimur, & domi tuti ſumus, & bonis noſtris fruimur, & ſi quid perdidimus, recuperamus, & iſti, Patres appellantur, iuxtà illud. 1 Reg. 24. Vbi Dauid Saulem, Patrem appellat, & 4. Reg. 5. Nahaman Syrus pater dicitur à famulis, & ideo illis, honor, & reuerentia debetur. Secundò præeminentia creata attenditur penès ſimilitudinem ſapientię Diuinæ, & ſic honor debetur Doctoribus, & viris ſapientibus præcipuè Magiſtris, iuxtà illud Eccleſiaſt. 37. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen eius erit viuens in æternum.* Item Tutoribus, Curatoribus, quorum prudentia, & ſapientia erudimur. Tertiò attenditur pęnès ſimilitudinem bonitatis Diuinæ, quæ in hominibus bonæ vitę relucet. Vndè omnibus iuſtis etiam, in hac vita debetur honor. Item Senibus, iuxtà illud Sap. 4. nu. 8. *Senectus venerabilis eſt, &c.* Et num. 9. *Ætas ſenectutis vita immaculata.* Et illud Leuit. 19. *Coram cano, capite conſurge, & honora perſonam ſenum.* Breuiter nomine Parentum, intelliguntur patres carnales, patres ſpirituales, Principes, Magiſtri, Senes, Sapientes, Iuſti, & Sancti in via, & in patria.

A | *Eccleſiaſt.* | 1. Reg. 24. | 4. Reg. 5. | B | *Eccleſiaſt.* | *Sapientiæ.* | *Leuiticus.*

De his, in quibus Parentes, præſertim carnales, honorandi ſunt.

C

Cap. III.

CVM præcipitur vnum, clarum eſt ex dictis, quòd prohibetur aliud, illud ſcilicet, quod eſt ei oppoſitum; Præcipitur reuerentia, prohibetur irreuerentia, pręcipitur amor, prohibetur odium, & econuersò prohibetur odium, pręcipitur amor, &c.

Duplex

A Duplex honor Parentibus exibendus eſt, Corporalis nimirùm, & ſpiritualis. Spiritualis in reuerentia, Corporalis in ſubſtentatione. In reuerentia tribus mod s debetur Parentibus honor Affectu, Effectu, & Signo; Affectu timendo offenſam patris, ex Amore. Effectu obediendo, iuxtà illud ad Epheſ. 6. num. 1. *Filij obedite parentibus veſtris in Domino*; Signo aſſurgendo. Subſtentatio etiam conſiſtit in tribus, in Solatio verborum, in Seruitio operum, in Exhibitione neceſſariorum. Alex. de Aleſ. ſup.

Ad Epheſ.

Nonnulli ſic explicant in quibus Parentes ſint honorandi. Honor exhibendus Parentibus conſiſtit præcipuè in quatuor, in Reuerentia, in Amore, in Obedientia, & Subſtentatione.

Reuerentia duplici actu poteſt alicui exhiberi, interno, & externo; Actus externus conſiſtit præcipuè in recognitione ſuperioritatis, & conſequenter in timore quodam reuerentiali ergà illam: Actus exterior cõſiſtit tùm in verbis, tùm in factis. In verbis, vt ſcilicet ſemper honorificè de eo loquatur, & conſequenter, ne de illis murmuretur, aut illis detrahatur; In factis, vt in ſignis, & nutibus.

B

Amor ergà Parentes conſiſtit in duobus. Primò in fuga contrarij, ratione cuius præceptum eſt negatiuum, quia in nullo vnquàm tempore, in nullo caſu, nec per vllam cauſam licet eos odio habere; Secundò in oſtenſione ſignorum amoris, ratione cuius eſt affirmatiuum, & quantùm ad vtumq; tenetur filius ſub peccato mortali amare Parentes.

Obedientia Parentibus debetur, quia filij tenentur obedire Parentibus in illis, quæ pertinent ad gubernationem domus, & ad bonos mores, ideò poteſt illos Pater verberare ad correctionem; Vndè, vt filij teneantur ſub peccato mortali obedire Patri, requiritur, vt in materia illa quæ præcipitur, ſubſi it Patri; Hinc eſt, quòd in rebus malis, in quibus non ſubſunt Patri, non debent obedire; Nec debent obedire in electione ſtatus perfectioris ſiue de Clericatu, ſiue de ingreſſu in Religionem, in his enim non requiritur licentia Patris; Nec tenetur filius obedire Patri in materia matrimonij. D. Bonauent. in 4. d. 29. q. 3.

C

S. Bonauent.

Subſtentationis ratione tenetur filius Parentum neceſſitati tàm ſpirituali, quàm corporali ſubuenire, quantùm poteſt, eſtò poſſit Pater ſibi ſubuenire arte, ſi ars illa ſit ſuo ſtatui indecens, quia in hoc caſu etiam Pater tenetur ſubuenire filio. Nauarr. cap. 14. num. 14. verſ. 11. Quòad ſpiritualem ſubuentionem, tenentur curare filij, vt in mortis articulo Pater confiteatur, vt faciat teſtamentum, Vndè filij, qui non ſinunt Patrem teſtari, ne rès diminuatur, peccant mortaliter. Tolet. lib. 5. cap. 1. n. 4. Tenentur inſuper curare, vt etiam poſt mortem, pia opera teſtamento Patris ordinata impleantur, cum primùm poſſunt, & ea differre abſque legi-

Nauarr.

Toletus.

Digitized by Google

legitima cauſa eſt peccatum mortale. Quòad corporalem ſubuentionē, A tenentur, ſi ſint infirmi, eos viſitare, et ſi quid deſit, ſubuenire; Si in carcere, canori debent pro eorum liberatione; Si mente capti, vt eis debitè prouideatur; Si in paupertate, aut vitæ periculo, eis ſubuenire, cum poſſunt.

Sed circa ea, quæ dicta ſunt, occurrere poſſunt aliqua dubia, quæ adducenda ſunt, & ſoluenda.

Primum dubium. Vtrum aliquando filius teneatur obedire Patri in materia Matrimonij; *Dub. 1.*

Reſpondetur, quòd ſic, quia filius non poteſt ducere indignam contra voluntatē Patris, quia ſic dehonoraretur familia Patris. Secundò, quamuis dignam ducat, ſi adeſt aliqua neceſſitas in familia, cui ſubueniri poſſit per filij matrimonium, tenetur filius ſub peccato mortali contrahere matrimonium iuxta Patris voluntatem. Nauarrus. Cap. 14. n. 15. verſ. 12. Toletus. lib. 5. cap. 1. n. 8. Rodriguez. p. 1. cap. 14. Concl. 1. *Reſponſio. Nauarr. Toletus. Rodriguez.* B

Secundum Dubium. Vtrum detur cauſus, in quo liceat filijs Parentes criminoſos accuſare? *Dub. 2.*

Reſpondetur, quòd non, abſolutè loquendo. Aliquando tamen licet, videlicet, quando Parentes eſſent Patriæ, vel Reip. hoſtes, vel proditores, aut Principi necem, vel interitum machinarentur, Vt ſi arma caperent contra Patriam, & in eam, aut Principem coniurati hoſtes irruerent. Tolet. lib. 5. c. 1. num. 10. Azorius, & alij. Item ſi Parentes eſſent hæretici, ſiue occulti, ſiue publici, & manifeſti. Filij enim numquam bona fide putare debent, quòd Parentes hæretici ſibi ſolis noceant, quia hæreſis ſerpit, vt cancer, & peſtiferum venenum. Tolet. vbi ſupra. *Reſponſio. Tolet. Azor.*

Tertium dubium. Vtrum in aliquo caſu liceat filio Patri ſuo manus violentas inferre? *Dub. 3.*

Reſpondetur, quòd tunc ſolùm licet, quando filius vult ſeipſum tueri à nece, quam ſibi pater intentat inferre, ſi alio modo ſe tueri non poſſit; Aut quando arma capit, vt Remp. & Principem defendat. Ex Azorio. *Reſponſio.* C *Azorius.*

Quartum dubium. Cumàm filius ſubuenire priùs teneatur, Patri, an filio? Suppoſito vtrumq; eſſe in neceſſitate conſtitutum. *Dub. 4.*

Reſpondetur, quòd, ſi vtriq; ſubuenire poteſt, vtriq; ſubuenire tenetur. Si non poteſt vtriq; tunc extrà caſum extremæ neceſſitatis, dummodo neceſſitas æqualis ſit, tenetur potiùs filio, quàm Patri, iuxta illud 2. ad Cor. 12. num. 14. *Non debent Filij teſaurizare parentibus, ſed Parentes Filijs*. In caſu extremæ neceſſitatis, potiùs Patri, quàm filio. Hoc videtur probabiliùs Tolet. lib. 5. cap. 1. nu. 7. Silueſt. Verb. filius §. 16. Huiuſmodi autem obligatio ergà Parentes tranſit etiam ad hæredes. *Reſponſio. Toletus. Silueſter.*

Diuus

A D. Auguſt. Tract. 30. in Io, & refertur 2. q. 7. Cap. Quæritur. 36. in ord. Quæritur (inquit) Pater de malo filio, Quæritur filius de duro Patre; Seruamus honorificentiam quæ debetur Patri à filio, quæ deficit à filio; Non æquamus filium Patri in honore, ſed preponimus, ſi bonam cauſam habet, filium Patri in veritate, & ſic tribuimus honorem debitum, vt non perdat æqualitas meritum. Gloſſa. Filius eſt Patri præferendus in veritate, In honore tamen Pater eſt filio præferendus, & ſic honor debitus Patri ſeruatur, vt æquitas non perdat meritum. Item aliquis poteſt eſſe maior, & minor altero, reſpectu diuerſo, & veritas à quocumq; prolata amplectenda eſt. Hæc Gloſſa.

S. Auguſt.

Gloſſ. in Cap. Quæritur. 2. q. 7.

Sunt etiam alia Dubia; Quē nám teneamur magis ex Charitate diligere, Patrem, an filium. Magis Patrem, quàm Matrem. Magis Vxorem, quàm Patrem, & Matrem. Magis meliores, quàm nobis coniunctiores? De quibus omnibus videndus eſt S. Thomas. 2. 2. q. 26. a. 9. 11. &c.

B *De exemptione filij ab obligatione huius præcepti.*

Cap. IV.

Alexander de Aleſ. disertè conſiderat, quòd cum honor patris conſiſtat in pluribus, & omnia intelligantur, cum dicitur, *Honora patrem, &c.* non ſoluitur obligatio exhibitionis honoris, licèt aliquando ſoluatur obligatio, quó ad debitum ſubſtentationis. Obſerua prætereà, quòd cum (vt dictum eſt) huiuſmodi honor ergà parentes, conſiſtat in duobus, & in exhibitione Spirituali, vt in reuerendo, in conſolando, in orando, & in exhibitione Corporali, vt in ſubſtentatione tempore indigentiæ; Primo modo nunquàm datur caſus, in quo filius eximatur ab obligatione honorandi Parentes. Secundo modo
C poteſt vtiquè dari caſus, in quo eximatur, vt per ingreſſum in Religionem, quia tunc moritur, quoniam moritur mundo. Sed hic oritur dubium.

Vtrum propter ſubuentionem Parentum, poſſit quis dimittere ingredi Religionem.

AD hoc dicunt quidam, quòd aut poteſt ſecurè manere in ſeculo ſine detrimento propriæ ſalutis, aut non, ſed videt ſibi imminere periculum,

riculum, & lapſum in peccatum. In primo caſu dicunt, quòd non debet intrare, ſed patri miniſtrare. In ſecundo caſu non tenetur, ſed poteſt ingredi. A

Alij dicunt, quòd quandocumq; Spiritu Dei agitur, non tenetur manere in ſeculo, vt miniſtret neceſſaria Parentibus. Signum, quód ducatur Spiritu Dei, triplex eſt. Primum eſt iucunditas mentis ex perfectione Religionis conſiderata. Secundum eſt propoſitum proficiendi in melius. Tertium eſt propoſitum cauendi circumſtantias peccatorum. Dicunt ergo, quòd aut habet temporalia, quibus poſſit ſubſtentari pater, aut nõ habet. Si habet, poteſt ea Patri dimictere. Si non habet, non tenetur tunc miniſtrare, ſed cum transfært ſe totaliter ad ſeruitium liberaliſſimi Dominatoris Patris cæleſtis, commendare ipſi curam Patris, qui dat eſcam omni carni, qui paſcit volucres cæli. Matth. 7. *Cui eſt cura de omnibus*, & ſic meliori prouiſori dimictuntur Parentes.

D. Th. 2.2, q. 101. art. 4. ad 4. Ille (inquit) qui eſt in ſeculo conſtitutus, ſi habet Parentes, qui ſine ipſo ſubſtentari non poſſunt, non debet eis relictis, Religionem intrare, quia tranſgræderetur præceptũ de honoratione Parentũ; Quàmuis quidã dicãt, quòd in hoc caſu licitè poſſet eos deſerere eorũ curã Deo commictens. Sed ſiquis rectè conſideret, hoc eſſet tentare Deũ, cũ habens ex humano conſilio, quid ageret, periculo, parẽtes exponeret, ſub ſpe Diuini Auxilij. Hæc D. Thomas. Quid ergo dicendum? B

Reſpondetur, quòd neceſſitas, qua prẹmũtur parentes, vel eſt extrema, vel quaſi extrema, vel nec ſic, nec ſic, ſed cõmunis, vel nulla. Si neceſſitas eſt extrema, vel quaſi extrema (ſiue præcedat profeſſionẽ, ſiue ſequatur) filius cogitur Parentibus ſubuenire, & non ſolùm non poteſt Religionem ingrædi, verùm etiã licet ingreſſo egrædi ad tẽpus, ſi aliter neceſſitas Parẽtũ ſubleuari non poſſit: poſtpoſito etiã Superioris præcepto, petita facultate, licèt non obtenta. Dixi *Ad tempus*, quia ſubleuata Parentũ neceſſitate, profeſſus Religioſus ratione voti Deo facti, debet ad Religionẽ redire, quia votum profeſſionis, non tollitur, ſed differtur. Si neceſſitas non ſit extrema, nec quaſi extrema, ſed cõmunis, vel nulla. Dicendum eſt affirmatiuè. Vndè D. Hieronymus in Epiſt. ad Heliodorum, Per calcatum perge Patrem, per calcatám perge Matrem, ad vexilla crucis euola, ſummum genus pietatis eſt, in hac re fuiſſe crudelem. C *S. Hieron.*

Notandum, quòd duplici medio ſolent vti parentes, vt filios remoueant à Religione, Primum eſt ſimulatio quædam paupertatis, & neceſſitatis. Secundum eſt ſimulatio ſcandali, ſimulant enim, & comminantur, ſe morituros, & manus violentas in ſeipſos iniecturos, aut in amentiam caſuros, & huiuſmodi. Quò circà pono quatuor dicta.

A Primum Dictum. Vt neceſſitas, & paupertas Parentum, cogat filiũ, ne ingrædiatur Religionem, quinque ſunt neceſſaria. Primum, vt neceſſitas ſit præſens. Secundum, vt ſit extrema, vel quaſi extrema. Tertium, vt filius remanendo in ſeculo, poſſit ſubuenire neceſſitati parentũ de præſenti, ideſt quàmdiù durat ipſa neceſſitas, & ingrædiendo Religionem, non poſſit. Quartum, vt non ſit alius, qui poſſit, & velit ſubuenire. Quintum, vt filius remanens in ſeculo, non habeat probabile periculum ſalutis ſuæ Spiritualis, ideſt, quòd in ſæculo non poſſit abſtinere ab aliquo peccato mortali, à quo tamen periculo eſſet liber, vel quaſi liber in *S.Thom.* Religione: D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. Ad tertium. Ratio, quia vnuſquiſq; ex charitate ordinata tenetur magis diligere propriam ſalutem ſpiritualem, quàm corporalem aliorum, etiam Parentum.

Secundum Dictum. Scandalum parentum, & propinquorum ex ingreſſu in Religionem filij, numquàm obligat filium ad abſtinendum ab B ingræſſu omninò, licèt aliquando illum obliget ad differendum vſque ad aliquod tempus. Vidè in Tract. de ſcandalo.

Tertium dictum. Quàmuis filij in multis caſibus non teneãtur, neque omninò abſtinere ab ingræſſu Religionis, neque illum differre propter paupertatem, aut propter ſcandalum Parentum, bonum tamen eſt, & laudabile ipſis filijs, vel abſtinere, vel differre.

Quartum Dictum. Qui ingræſſi ſunt Religionem, probabile eſt, iàm profeſſos, propter extremam Parentum neceſſitatem, teneri ægredi è Religione ad ſubueniendum illis. Vide in Tract. de voto.

De his, quæ econtrà debent Parentes ergà filios.

Cap. V.

C

S.Hieron. AMorem patris ergà filios, totum ſupponimus eſſe gratuitum, quia filij ſunt à Parentibus, & intenditur amor ille per naturã ſenſualitatis, Vndè D. Hieron. De Honorandis Parentibus. Memento parentum eſſe, quòd talis es, quorum manibus crementa ſumpſiſti, ſit tibi grata vita ipſorum, quibus carior eſt vita tua, quàm propria, redde Amoris vicem colendæ pietatis. Econtrà Amorẽ filiorum ergà Parentes, maximè ſupponimus debitum eſſe, quia acceperunt à parentibus eſſe, & educationem, Vndè debent ſeillis. Hinc Diuus *S.Hieron.* Hieron. Exolue fili quod debes, & officia debita qualicumque exhibe famu-

famulatu, quia Parentibus nemo reddere poteſt quod debet. Huiuſmodi Amor filiorum ergà Parentes, intenditur per viam rationis, non ſenſualitatis. Et ideo non eſt datum præceptum de honore filiorum, ſicut datum eſt de honore Parentum, quia natura ſufficienter inclinat ad hoc. Ad honorem parentum, inclinat ratio excitata per conſideratione debiti, & præcepti. Nec eſt præceptum de Amore ſui ergà ſeipſum, ſicuti eſt de Amore proximi, quia ad Amorem ſui ſufficienter inclinat natura. Prætereà, quia omnis honor theologicus eſt reſpectu præeminentiæ, Pater autem, in eo, quod eſt principium filij, præeminentiam habet reſpectu ipſius, non econuersò. A

Ex hoc Parentũ amore, ergà filios tria potiſſimùm Parẽtes illis debent. Primum eſt alimentatio neceſſaria, quæ debetur etiã ſpurijs. Secundum eſt inſtructio in fide, Religione, & bonis moribus. Tertium eſt cura, ſtudium, & diligentia, vt in certo vitæ ſtatu pro conditione perſonæ filius collocetur. Alimenta debent parentes filijs iure naturæ, Vndè quàmdiu filij infantes, & teneri ſunt, aut pueri, omninò ali debent à Parentibus donec adoleuerint. Appellatione alimentorum, intelliguntur victus, veſtitus, habitatio, medicinæ, quibus aduerſæ corporis valetudini ſuccurritur, & tandem tenentur non cogere ad ſtatum aliquem; Vndè Parentes qui inuitos filios, aut filias matrimonio iungunt grauiſſimè peccant, tùm etiam qui inuitas in monaſterium tradunt, &c. Matres tenentur per ſe, vel per alias lactare filios, & vſque ad triennium nutrire, quàpropter non præbendo lac per ſe, non peccant mortaliter, & ex cauſa iuſta nullo modo peccant, peccant tamen, quæ extra neceſſitatem hoſpitalibus tradunt. Nauarr. c. 14. num. 17. Pater tenetur dotare filiam, non mater, niſi quando ille non poſſit. Item tenetur dotare etiam ſpurias; Nauar. ſup. c. 14. num. 17. Item tenetur prouidere filijs in futurum iuxtà conditionem ſtatus. D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 2. Non poteſt eos priuare hæreditate, niſi in caſibus. Silu. verb. hæreditas 2. q. 2. Peccant, qui vendunt filios, quia non licet, niſi propter neceſſitatem famis, dummodo filij non ſint clerici in ſacris. Pater non tenetur ad pœnam corporalem, vel ſpiritualem pro delictis filiorum, immò neque ad pecuniariam de iure, poteſt benè per ſtatutum ſanciri, vſq; ad quantitatem legitimę partis, vt teneatur ad pecuniariam. Couar. B C

Obligatio lactandi. *Nauarr.* *Oblig. dotãdi filias.* *S. Thom.* *Silueſter.* *Couarr.*

Inſuper Pater debet præbere alimenta ſimpliciter vitæ neceſſaria filio, Principis, aut Reipublicæ autoritatę pręſcripto, ſi extrema inædia, aut inopia laboret: Etiam ſpurio, ideſt genito ex concubitu humanis legibus damnato, cuiuſmodi ſunt filij ex inceſtu, adulterio, & ſacrilegio ſuſcepti, ſecundùm ius Canonicum, de ſpurijs Pręsbiter. Vide Conſtitut. Pij V. *De oblig Patris alẽdi filios.*

A Etiam filio excommunicato, quando per ipſum non ſtat, quin abſoluatur, quando autem filius in excommunicatione ſpontè perſiſtit, cum abſolui poſſet, ſi velit de ſuo peccato legitimè dolere, non tamen curat, non tenetur. Præbere etiam tenetur alimenta filio Religioſorum vitam profeſſo, è monaſterio tamen per iuſtam Sententiam eiecto, ſi non habet, vnde viuat. Immo Pater Clericus tenetur præbere alimenta filię ſpuriæ, ex fructibus beneficij. Nauarr. de ſpolijs clericorum, §. vlt. num. 3. &c. non poteſt tamen eas dotare de beneficij fructibus, ex d. Conſtit. Pij V. vt ſup. Hoc autem ius alendi filios, tranſit ad hæredes patris. Neque hoc prætereundum eſt, quòd etiam Pater Catholicus debet alere filium hæreticum, maximè, ſi ſimpliciter ægeat alimentis ad vitam neceſſarijs.

De Peccatis, quæ contrà hoc præceptum committuntur.

B

Cap. VI.

QVę contrà hoc præceptum commicti poſſunt peccata, non ea tantùmmodo ſunt, quibus, Parentes in filios, aut vice verſa filij in Parentes committunt, ſed ea etiam, quæ Vir in Vxorem, dominus in ſeruos, & econuersò ſerui in dominos, Vxores in Viros perpetrant; Cum enim Parentum nomine in hoc præcepto non Parentes modò, qui genuerunt, ſed & aliæ multę perſonę, eæq; præſertim, quæ ſuperioritatem exercent, intelligantur, etiam cum de peccatis agitur, quæ contra iſtud Præceptum committuntur, de ijs quoque agere opus erit. Primò igitur uidendum eſt de peccatis Parentum.

C

Articulus Primus.

De Peccatis Parentum in filios.

PRimò peccat mortaliter Pater, qui negligit prouidere filijs in ſpiritualibus, tenetur enim ſub peccato mortali diligenter curare, ne filij malos mores imbibant, tenetur bonis eos artibus, & diſciplinis inſtruere, fidem Catholicam docere, nec vlla ratione permittere malorum conſortia

tia illos habere, & quantùm in eo eſt, ſtudere, vt legis mandata obſeruent, Eccleſiæ præcepta cuſtodiant, ab omni peccato abſtineant, & Virtutes ampleĉtantur. A

Secundò peccant Parentes, ſi abſq; rationabili cauſa filios reuocent, & impediant à progreſſu in bono, Verbi gratia, Si reuocent filiorum vota, ipſorum bona venia emiſſa, Si abſq; iuſta cauſa impediant, ne Religionem ingrædiantur, ſi filios poſt emiſſa continentiæ vota in ætate deliberandi vi, aut dolo ab eorum impletione retrahant, vel cogant aut conſulant eos tunc ad coniugium eligendum. Nauar. Cap. 14. n. 17. *Nauarr.*

Tertiò peccant Parentes, filios, aut filias inuitas ſine iuſta cauſa matrimonio iungentes. Item dolis, aut minis filias inuitas, niſi in caſibus iure permiſſis ad ingreſſum monaſterij, vel ſuſceptionem habitus, aut profeſſionem faciendam cogentes; Tales per Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. Cap. 18. excommunicantur, & qui ſcientes, ad hoc conſilium, vel auxilium dederint, vel his actibus præſentiam, vel auctoritatem, vel conſenſum interpoſuerint; Vbi ſimiliter excommunicantur illi, qui ſine iuſta cauſa, ſanctam Virginum, aut aliarum mulierum voluntatem vel Veli, aut habitus accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo impedierint. Hæc ſunt verba Concilij. Anathemati Sancta Synodus ſubijcit omnes, & ſingulas perſonas cuiuſcumq; qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm laicos, ſeculares vel regulares, atq; etiam qualibet dignitate fungentes, ſi quomodocumq; coegerint, aliquam Virginem, vel Viduam, aut aliam quamcumq; mulierem inuitam, præterquàm in caſibus in iure expreſſis ad ingrædiendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumq; Religionis, vel ad emittendam profeſſionem; Quiq; conſilium, auxilium, vel fauorem dederint; Quiq; ſcientes, eam non ſponté ingrædi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel cōſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint. Simili quoque modo Anathemati ſubijcit eos, qui ſanctam, Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, Veli accipiendi, vel voti emittendi quomodocumq; ſine iuſta cauſa impedierint. Hæc Conc. *Conc. Trid.* B C

Quartò peccant Parentes non inſtruentes filios iuxtà timorem Dei, maximè in tenera, & puerili ætate: Eſt enim puerorum animus tamquàm tabula, in qua nihil eſt depictum, & ſicut facilè ducitur ad bonum, ità etiam Parentum in curia facilè euadunt mali, iuxtà illud Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxtà viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*. Et Poeta Venuſinus. *Quo ſemel imbuta eſt recens, ſeruabit odorem teſta diu*. Vndè Parentes in corrigendis filijs negligentes, grauiter peccant, & *Prou. 22.* *Oratius.*

ſæpè

A ſæpè numero etiam in hac vita à Deo puniuntur, vt conſtat de Heli. 1. Reg. 2.

1. Reg. 2.

Quintò peccant Parentes patientes, filias ſuas habere amatores ad malum finem, vel eas à conſortio malo non ſeparantes; Nec debent Parentes permiſcerè, ſponſos, & ſponſas ſecretò, ſolitarie conuerſari, Ideo ad multa mala vitanda hortatur Conc. Trid. ſeſs. 24. de Reform. Matrim. Cap. 1. Vt Coniuges ante benedictionem Sacerdotis in eadem domo non habitent, ſequentibus verbis, Preterea eadem Sancta Synodus hortatur, vt Coniuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non habitent.

Cõc. Trid.

Sextò peccant Parentes notabiliter negligentes prouidere filijs, quæ pertinent ad neceſſitatẽ corporalem, cum poſſint. Item ſi filios citrà neceſſitatem in templis exponant, aut ob auaritiam ad Hoſpitalia pauperum mittant, & tenentur in hoc caſu ad reſtitutionem. Nauar. vbi. ſupra. Vel etiam, ſi filias ſpurias alere recuſent, cum poſſint, quas etiam Pater dotare tenetur, vt dictum eſt.

Nauarr.

B

Articulus Secundus.

De Peccatis Viri in Vxorem.

PRimo peccat Maritus in ordine ad ſuam Vxorem circa ſpiritualia ſi abſq; cauſa impediat eam ab impletione præceptorum Diuinorum, aut ne obſeruet Præcepta Eccleſiæ; Peccat proinde mortaliter, ſi abſq; legitima cauſa illi prohibeat diebus feſtis audire Miſſam, ne ieiunet diebus ieiuniorum, impediat à Communione, &c. Si prohibeat alijs diebus profeſtis, aut alijs temporibus, quàm Paſcatis confiteri, aut communicare, & audire Miſſam abſq; cauſa, peccat venialiter, & aliquando mortaliter, tunc ſcilicet, cum vxori multùm expediret audire Miſſam, Confiteri, Communicare, &c. & id Marito conſtaret. Nauarr. in Man. cap. 14. num. 19. verſ. 14.

C

Nauarr.

Secundò peccat mortaliter Maritus, ſi atrociter percutiat, aut verberet Vxorem, leuiter tamen ex graui neceſſitate, & cauſa, puta, ſi notabiliter ſit negligens in adminiſtratione domus, poteſt, quia vxor in hoc eſt inferior. Nauarr. ſup. Verſ. 25. Hoc autem intelligitur, ſi admonita à Marito, non ſe emendet, aliàs, cum ſint duo in carne vna, debent mutuò ſe amare, & fouere, iuxtà illud ad Epheſ. 5. *Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam.*

Ad Epheſ.

Tertiò

Tertio peccat Maritus, ſi verba aliqua infamatoria, ſeu ad infamandũ apta dicit vxori, puta, ſi vocat eam adulteram, aut eam aliqua afficit iniuria, ſi ſequatur infamia, aut probabile periculum infamiæ, etiamſi ſine animo infamandi dixerit. Ex D. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. A *S.Thom.*

Quartó peccat Maritus, qui recuſat habitare cum Vxore, aut per longum tempus ſe abſentat abſq; iuſta cauſa, & legitima. Tolet. lib. 5. c. 2. *Toletus.*

Articulus Tertius.

De Peccatis Vxoris.

PRimo peccat vxor, quę Marito notabiliter ſe inobedientem exhibet in ijs, quæ ad bonos mores, & domus, ac familię regimen, & gubernationem pertinent, quia Vir eſt caput Vxoris, vndè velle, marito ſpreto, gubernare, peccatum mortale eſt. B

Quod ex 33. q. 5. multis Capitibus colligitur. Præſertim Cap. Eſt ordo. 12. in ord. cuius argumentum eſt. Mulieres Viris ſuis ſubeſſe debent. Textus autem verba ſunt. Eſt ordo naturalis in hominibus, vt: ſ ruiant fœminæ viris, filij Parentibus, quia nulla iuſtitia eſt, vt maior ſeruiat minori. Cap. Hæc imago. hoc habet argumentum. Vir eſt caput mulieris. Textus ſic habet. Hæc imago Dei eſt in homine, vt vnus factus ſit quaſi dominus, ex quo cæteri oriantur habens imperium Dei, quaſi Vicarius eius, quia omnis Rex, Dei habet imaginem, ideoque mulier non eſt facta ad imaginem Dei, ſic etenim dicit, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum.* Hinc eſt, vndè Apoſtolus, Vir quidem (ait) non debet velare caput ſuum, quia imago, & gloria Dei eſt, mulier autem, ideo velat, quia non eſt gloria, aut imago Dei. Gloſſa. Probat hic D. Aug. (inquit) triplici ratione, quòd vxor debet eſſe viro ſubiecta. Prima, quia vir ad imaginem Dei formatus eſt, & non mulier, & Vicarius eius eſt, quia vnius Dei habet imaginem. Secunda quia in ſignum ſubiectionis mulier habet caput velatum, & non vir, quia imago, & gloria Dei eſt. Tertia, quia vir, ſine metu talionis, ſecundùm legem poterat mulierem de adulterio accuſare, & non econuersò, ſecus in alijs caſibus, ideoquè id eſt, quia femina non habet hoc; *hæc imago*, ideſt in hoc dicitur habere ſimilitudinem Dei, quia ſicut proceſſerunt à Deo omnia, ſic ab Adam proceſſerunt omnia. Hic accipit tantùm hoc nomen homo in maſculino genere, aliàs communis generis eſt. Hæc Gloſſ. Item Cap. Satis, hinc apparet habetur ex D. Aug. lib. 6. Quæſt. ſupra Deut. q. 33. *33. q. 3. cap. Eſt ordo, & in alijs.* *Gloſſa.* C

A Satis hinc apparet, quemadmodum ſubditas feminas viris, & pænè famulas, Lex eſſe voluerit vxores. Et Cap. Cum Caput. hęc habentur. Cum Caput mulieris vir ſit, caput autem viri Chriſtus, quæcumque vxor non ſubijcitur viro ſuo, hoc eſt, capiti ſuo, eiuſdem criminis rea eſt, cuius & vir, ſi non ſubijciatur Chriſto capiti ſuo. Similiter Capitis Mulierem. Argumentum eſt. Nulla eſt mulieris poteſtas, ſed in omnibus viri dominio ſubiecta eſt. Verba autem Textus hæc ſunt ex Diuo Auguſt. l. quæſt. Vet. Teſtam. q. 45. Mulierem, conſtat, ſubiectam dominio viri, eſſe, & nullam auctoritatem habere, nec docere enim poteſt, nec teſtis eſſe, neque fidem dare, nec iudicare, quantò magis, nec poteſt imperare? Gloſſa. *Autoritatem* virilia enim officia mulieribus ſunt adempta, nec docere in Eccleſia maſculos, nec teſtis in cauſa criminali, niſi in illis caſibus, in quibus infames admictuntur, nec in teſtamento Inſtit. de teſtamen. §. Teſtis, nec cōtra Clericos in cauſa criminali, quia non poteſt eſſe, quod ipſi ſunt, nec etiam contra laicos, neque fidem, obligatur tamen, ſi doloſè fideiubeat, vt creditorem decipiat, Item, & ſi priuilegio Velleiani renunciauerit, obligatur, & tenetur, nec iudicare niſi in caſibus, vt 15. q. 3. de crimine. Vlteriùs c. 18. Adam per Euam deceptus eſt, non Eua per Adam, quem vocauit ad culpam mulier iuſtum eſt, vt gubernatorem aſſumat, ne iterum fæminea facilitate labatur. Demum in Cap. Mulier 19. in ord. quinque rationes aſſignantur quibus probatur, quòd mulier debet velare caput ſuum, ſcilicet, quia non eſt imago Dei, & quia ſubiecta debet eſſe uiro ſuo, & quia præuaricatio eſt inducta per eam, & propter reuerentiam Epiſcopi, quia Vicarius eſt Chriſti, Epiſcopus, ideſt quilibet Sacerdos, & propter reuerentiam Sacerdotum, id eſt, ne Sacerdotes in eius faciem intuentes inuitentur ad libidinem.

Inſt. de Teſt. §. Teſtis.

B

15. q. 3. De Crimine.

Secundò peccat Vxor, quę ſcit, aut ſcire debet, quod litigijs, aut iracundia ſua prouocat Maritum ad iracundiam, aut blaſphemiam: ſi ex contemptu, marito non præſtet obedientiam, & ſubiectionem debitam, in iuſto præcepto, quale eſt, ex g. vt ſuperflua, & vana exuat, & mores, incompoſitos deſerat. Nauarr. ſupra num. 20. Rodig. p. 1. cap. 15. concl. 1.

C

Nauarr. Rodriguez.

Tertiò peccat Vxor, ſi non vult ſequi maritum aliò migrantem, quia tenetur ſub peccato mortali eum comitari, niſi inter ipſos præceſſerit pactum oppoſitum, ne ſcilicet maritus aliò migraret, quia tunc non tenetur eum ſequi, niſi marito aliqua iuſta cauſa, aut neceſſitas, illinc diſcedendi ſuperuenerit, vt morbus, vel capitalis inimicitia, quia interueniente tali cauſa, non obſtante pacto, tenetur eum ſequi, non tamen tenetur ſequi maritum vagabundum, ſi tempore contractus non ſolebat vagari, vel

Vxor

Digitized by Google

Vxor, hunc Mariti morem ignorauit, quia ſi nouerat à principio tenetur eum ſequi, dummodo ob honeſtam cauſam, & ſine mortis periculo vagetur. Nauarr. ſupra Silueſt. verb. Vxor. q. 8. Tolet. l. 5. c. 2. A *Siluester.*

Quartò peccat Vxor ſine graui cauſa malè ſuſpicans de mariti continentia, aut ſi non vult debitum reddere; Et econtrà peccat maritus, ſi non vult reddere debitum vxori, aut ſine cauſa illam de incontinentia ſuſpectam habet. *Toletus.*

Articulus Quartus.

De peccatis dominorum, in ordine ad ſeruos.

PRimò peccant domini, ſi notabiliter negligentes ſint circà famulorum, & ſeruorum conſcientiam, puta, ſi non curant, quantùm in ipſis eſt, ne aſſueſcant iuramentis; Vt catholicè viuant; Dei præcepta cuſtodiant; Debitis temporibus confiteantur, & communicent. Miſſam audiant. Vel ſi eis notabiliter negligant procurare confirmationem, & extremam unctionem, quia ſecundùm Apoſtolum. 1. Ad Thim. 5. *Si quis ſuorum, maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* B *1. ad Thim.*

Secundò peccant, ſi habeant famulos neophitos, & non curant, vt in doctrina Chriſtiana inſtruantur.

Tertiò peccant, ſi prohibeant ſeruos ſuos, maximè quos ſciunt concubinis alligatos, ducere vxores.

Quartò peccant, ſi notabiliter negligant noſſe peccata ſeruorum, vt eos corrigere poſſint, immò tenentur eos eijcere de domo, ſi correpti bis, aut ter de mala vita, emendare ſe nolunt, niſi probabiliter credant, quod ſic de domo expulſi deteriores euadant, quia, tunc ſatis eſt, ſi vt meliùs poterint, ſaluti animæ prouideant. C

Nauarrus 14. num. 2. D. Anton. p. 2. tit. 5. cap. 9. §. 2. *Nauarr.* *S. Anton.*

A

Articulus Quintus.

De Peccatis Seruorum in ordine ad Dominos.

PRimò peccant ſerui, ſi inobedientes ſint dominis ſuis, quia non ſolùm honorandi ſunt Patres, & qui nos genuerunt, ſed etiam alij, qui Patres appellantur, vt Epiſcopi, Sacerdotes, Reges, Principes, Magiſtratus, Domini, Magiſtri, &c. vt dictum eſt. Huic de Epiſcopis, & alijs Paſtoribus habetur 1. ad Thimot. 5. *Qui benè præſunt Præsbiteri, duplici bonore digni ſunt*, ſcilicet, tùm ob virtutem, tùm etiam ob dignitatem, & poteſtatem, adeò vt, etiam ſi mali ſint, honorandi ſunt, quia licet honor prçcipuè debeatur virtuti, tamen debetur, etiam dignitati, & excellentiæ, & proindè etiam malis obediendum eſt, iuxtà illud Petri. 1. cap. 2. *Serui, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, nō tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Eſt igitur obediendum Principibus, quia miniſtri Dei ſunt, quoniam vtitur illis Deus ad gubernandum homines, & nihil obſtat, quod improbi ſint, quando quidem non illorum improbitatem, aut nequitiam, ſed diuinam auctoritatem, quæ, in illis eſt, reueremur, Vndè dicitur, quod peccant mortaliter illi, qui ſuperioribus, etiam ſecularibus inobedientes ſunt in re graui, ſi iuſta, & recta prçcipiunt Nauar. ſupra. *Quia omnis poteſtas*, (etiam ſecularis, & laica) *à domino Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Ad Rom. 13.

1. ad Thim.

B

S. Petrus.

Ad Rom.

Extenditur etiam debitum, & obligatio ſubditorum erga Prælatos ad ſubſtentationem; Ità Alexander de Ales. 3. p. q. 37. v. 4. Vbi aſſerit, quòd ſubditi tenentur ex præcepto dare Prælato ſpirituali neceſſaria. Et art. 5, habet. Malo Prælato, quàmdiu tolleratur ab Eccleſia, debetur honor, & quàmuis malè præſideat, quouſq; tamen ab Eccleſia tolleratur, vt bene præſidens debet haberi, Vndè debita à ſubiectis non debent illis ſubtrahi, quia non eſt inferiorum iudicare de ſuperioribus, illos enim Dominus iudicabit, iuxtà illud Iſaiæ. 3. n. 14. *Stat ad iudicium Dominus* & poſt ad Prçlatos, *Vos depaſti eſtis vineam meam, Rapina Pauperis in domo veſtra*.

C

Digitized by Google

A

De Pœnis, quibus peccata filiorum in Parentes puniuntur, & de premio honorantium Parentes.

Cap. VII.

QVanti Deus faciat hoc præceptum de honorandis Parentibus, cùm ex alijs multis, tùm præcipuè cognoſcitur ex grauiſſimis pęnis, quæ tranſgreſſoribus in Sacra ſcriptura comminantur, & ex premio, quod obſeruantibus in ipſo Decalogo promittitur vt & per pęnas terreantur ab eius trangreſſione, & pro pręmio animus eorum ad obſeruationem inducatur. Breuiter itaq; ad huius Tractatus complementum primò videndum eſt de pęnis, ſecundò de Premio. B

Articulus Primus.

De Pœnis, quibus peccata filiorum in Parentes puniuntur.

SVppoſito de communi ſententia Patricidium eſſe grauiſſimum peccatum omnium eorum, quæ in Parentes committuntur, notandum eſt, quòd in omnibus etiam alijs peccatis, quibus iniuria Parentibus inferatur, ſemper eſt circumſtantia Parentum in confeſſione exprimenda, ſiue iniuria inferatur verbis, ſiue factis, veluti ſi filius maledicta in Parentes euomat, vel eorum honori, vel famæ detrahat; Si eis alimenta ſubtrahat, aut deneget; Si in eos manus violentas injciat; Si eorum iuſſa contemnat. Vndè grauiſſima pæna puniendi ſunt, iuxta illud C

Qui maledixerit Patri, vel Matri morte moriatur.

A

Articulus Secundus.

De Pramio filiorum Parentes honorantium.

AD nullum aliud præceptum, ita explicitè apponitur remuneratio obſeruantibus, in Decalogi deſcriptione niſi ad iſtud *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram* Exod. 20. Ratio eſt, non quia aliorum Præceptorum impletio non habeat premium, ſicut, & impletio huius, ſed quia cum valde ſit de inſtinctu naturæ honorare Parentes, poterat alicui oriri æxiſtimatio, in iſtius obſeruatione nullum eſſe meritum, cum natura ad hoc inſtiget, ſed propter hoc non caret mercede ſua à Deo, & ideo ponitur pro premio longæuitas vitæ, ideſt longa vita, Vt ſit (ait) longæuus ſuper terram viuentium, vel mo-

B rientium.

Vbi Nota, quod quadruplex eſt Vita, ſcilicet, Naturæ, Gratiæ, Famę, & Gloriæ, & in qualibet ſit homo longæuus per honorationem Parentum. Quantùm ad vitam naturæ, dicitur Eccleſiaſtici. 3. *Qui honorat Patrem ſuum, Vita viuet longiore* quia Pater eſt principalius principiũ actiuũ generationis, ideò frequentiùs ſit mentio de Patre in Scriptura. Vndè multùm congruit remuneratio talis huic operi, nam qui benè vtitur beneficio conceſſo, meretur ſibi, illud augeri, quia ergo beneficium vitæ poſt Deum, habet à parentibus, & benè vtitur eos honorando, dignum eſt, vt ei augeatur vita. Quoniam autem aliquando inuenitur, quód honorantes parentes, citò moriuntur, & inhonorantes diù viuunt, hoc accidit occulto Dei Iudicio, propter aliud melius nobis ignotum.

Eccleſiaſt.

De vita Gratiæ, dicitur ibidem. *Qui honorat Patrem ſuum, iucundabitur in filijs*, vel naturalibus, quia bonos habebit honorantes eum, vel

C Spiritualibus, quæ ſunt bona opera, quę multiplicabuntur ei per gratiam, & dant ei iucunditatem ſpiritualem, & ſubditur. *Et in die orationis ſua exaudietur*. De vita Famæ dicitur ibidem. *Gloria hominis, ex gloria patris ſui, dedecus filij, pater inhonoratus*. Gloria dicitur clara fama, cum laude. Et iterùm, *Quàm mala fama eſt, qui relinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exaſperat matrem*; dicitur, autem bona fama, quaſi quędam vita, quia per hanc viuit homo in memoria aliorum. De vita gloriæ, ibidem, enim *Honora patrem tuum, & ſuper veniat tibi benedictio à Deo*, ſcilicet gratiæ, *& benedictio eius* ſcilicet gloriæ, *in nouiſſimo maneat* in terra viuentium, quæ eſt Vita Sanctorum, & gloria Paradiſi iuxtà illud

etiam

Digitized by Google

etiam Pſalmi 141. *Portio mea domine ſit in Terra viuentium* ibi enim verè A
vita eſt, & vera vita, vbi ſemper Deus eſt, & vbi Spiritus, & animæ iu- *Pſal. 141.*
ſtorum perenniter Deum diligunt, Deum poſſident, Deo fruuntur.
Quamobrem non deeſt effectus huic promiſſioni, quæ iſti Præcepto
adiungitur, *vt ſis longæuus ſuper Terram* ſi fortè, qui Parentes honorat,
citiùs ex aliquo occulto Dei iudicio corporali morte moriatur, quoniam,
ſi alia non intercedant demerita compenſatur hec terrena, & mortalis
Vita, Vita æterna, & cœleſti, vbi Abſterget Deus omnē lacrimam ab ocu-
lis Sanctorum, & idm non erit ibi amplius neq; luctus, neque clamor,
neq; vllus dolor, neque mors erit ibi vltrà, quoniam priora tranſierunt.
Vt legitur in Apoc. Cap. 21. n. 4. Ad quam fęlicitatem per ſuam miſe- *Apocalipſ.*
cordiam Pientiſſimus Deus nos dignetur perducere.

Obiter, cum eſt contentio inter patrem & filium pręponendus eſt
pater filio, in honore, ita vt non præiudicetur filio in veritate. D. Auguſt.
& refertur 2. q. 7. c. Quæritur. Vt ſup. c. 3. B

C

FINIS.

A

F. VINCENTII DE MONTE REGALI

Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Sextus.

De Quinto Decalogi Pręcepto.

Non Occides

B

De huius Quinti Præcepti Intelligentia.

Cap. I.

S. Bonauent.

SAnctus Bonauent. in 3. Sent. d. 37. dub. 5. litterali. Dupliciter (inquit) eſt loqui de intelligentia huius præcepti, videlicet, ſecundùm intellectum legiſlatoris, vel ſecundùm intellectum carnalis populi. Si ſecundùm intellectum legiſlatoris, ſic vtiquè prohibetur homicidium exterius, & voluntas deliberatiua ordinata ad lædendum proximum ex iracundia, Vndè prohibetur ira cum conſenſu deliberatiuo in animo, & cum expreſſione exteriùs in verbo, & ſigno, & cum perpetratione in facto. Si verò intelligatur ſecundùm intellectum carnalis populi, qui ſolùm reputabat illud prohiberi, pro quo infærebatur pæna ab ipſa lege, ſic intelligebatur prohiberi progreſſus ad opus homicidij, & hunc intellectum dicit Magiſter literalem, non quia intellectus alius non eſſet de principali ratione færentis legem, ſed quia claudebatur implicitè. Et quoniam illius explicatio facta eſt in lege Euangelij, ideo dicit Magiſter, ſuperadditionem illi mandato eſſe factam, non quia nouum aliquid ibi præcipiatur, ſed quia intellectus prædicti mandati explicatur, dum non tantùm datur intelligi in prædicto mãdato prohiberi perpetrationem homicidij in opere,

C

ſed

ſed etiam offenſam in corde, oſtenſionem in ſigno, & expreſſionem in verbo, propter quod tria dicit. Primò, *Qui iraſcitur fratri ſuo in corde ſuo, reus erit iudicio*. Secundò, *Qui dixerit Racha, reus erit concilio*. Tertiò, *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Vbi dat intelligere triplicem gradum peccati iracundiæ præcedentis homicidij conſummationem. A

D. Antoninus p. 1. tit. 14. c. 4. §. 9. Tripliciter eſt erratum circa hoc præceptum, aliqui enim putauerunt, non eſſe licitum occidere animalia bruta, quia putabant, animam animalis partem eſſe Dei, & proindè nulla ratione licitum eſſe dicebant, priuare animal vita ſua, quò circà damnabant ſacrificia Veteris legis, in quibus occidebantur animalia, & Deũ Veteris Teſtamenti malum, & impium, & Deum ſanguinum, & amicum occiſionum appellabant. Hoc eſt erroneum, dicitur enim Gen. 9. n. 3. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis, in cibum*, & 1. Ad Cor. 10. n. 25. *Omne, quod venit in macello, manducate*. Secundus error fuit dicentium, quòd prohibetur hic occiſio cuiuſcumque hominis, etiam malefactoris, Vndè Iudices, & Officiales occidentes reos appellabant homicidas. Cõtra hos dicit D. Aug. quòd Deus, qui hoc præceptum dedit, non ſibi per hoc poteſtatem occidendi abſtulit, nam Deut. 32. num. 39. *Ego* (ait) *occidam, & ego viuere faciam*. Iudices autem, occidentes reos iuridicè, occidunt mandato Dei, qui legem ſtatuit, vt rei occidantur. Prouerb. 1. *Per me* (ſcilicet Sapientiam, quæ Deus eſt) *legum conditores iuſta decernunt*. Et ad Rom. 13. num. 4. *Non ſine cauſa gladium portat, miniſter enim Dei eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*, intelligitur ergo *Non occides* hominem propria auctoritate. Tertius error fuit, quòd hic prohibetur occiſio proximi, ſed non ſui aſſerendo, hoc licitum eſſe, ſcilicet occidere ſeipſum. Hoc eſt falſum, nulli enim licet, quacumque ex cauſa, occidere ſeipſum, niſi Deo iubente, vt habemus de Sampſone. Iud. 16. num. 30. qui, vt dicit D. Aug. & refertur 23. q. 5. cap. Si non licet. 9. in ord. Spiritus ſanctus, qui per eum miracula fecit, eum ad hoc induxit, ad ſignificandum Chriſti mortem.

S. Antonin. — *Geneſis.* — *1. ad Cor.* — B — *S. Auguſt.* — *Deuteron.* — *Prouerbia.* — *Ad Rom.* 13 — *Lib. Iudic.* — *S. Auguſt.* — 23 *q.* 5. *Cap. Si non licet.*

C

Quatuor autem modis perpetratur homicidium. Primò, interiori deliberatione. Secundò exteriori locutione. Tertiò manuali actione. Quartò notabili ommiſſione. De primo modo dicitur, 1. Io. 3. nu. 14. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, quia odiens aliquem, communiter appetit mortem eius, Vndè D. Hieron. in Iſai. c. 33. *Omnis iniquitas, & oppreſſio, & iniuſtitia iudicium ſanguinis eſt*. Et licèt gladio non occidat, voluntate tamen interficit. De Pænit. diſt. 1. Capit. Omnis. 25. in ord. Secundo modo, ideſt ore, multipliciter, videlicet imperando, conſulendo, ſuadendo, &c. Vndè D. Aug. & refertur. De Pænit. diſt. 1. c. Pernicioſè

1. Io. 3. — *S. Hieron.* — *Iſaias.* — *De Pænit. d.* 1. *Omnis.* — *S. Auguſt. de Pænit. d.* 1. *Pernicio.*

A ciosè. 23. in ord. Perniciosè ſe decipiunt, qui æxiſtimant, eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & nō potiùs eos, per quorum conſilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguunt, nàm Iudæi nequaquàm Dominum proprijs manibus occiderunt, ſicut ſcriptum eſt, *Nobis non licet interficere quemquam*. Sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipſi lingua, eum interfecerunt dicentes *crucifige, crucifige*. Vndè vnus Euangeliſta dixi, Dominum crucifixum eſſe hora tertia, alius ſexta, quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia, lingua; Milites hora ſexta, manibus. Qui ergo hominem tradidit, ille interfecit eum, Domino dicente, *Maius peccatum habet, qui me tradidit tibi*. Io. 19. Vndè Pſal. 56. *Filij hominum dentes eorum arma, & ſagitta, & lingua eorum, gladius acutus*. Subijciant ergo ſe pænitentiæ, quorum conſilio ſanguis funditur, ſi veniam promereri voluerint. Gloſſ. Non ſolùm ille eſt homicida, qui manu interficit alium, ſed etiam ille, qui præbet conſilium. Hinc Pſal. *Miſerere mei Deus, miſerere mei filij hominum parauerunt laqueū pedibus meis dentes*, ideſt corroſiones, & conuitia; *Sagittæ*, quantùm ad conſilia; *Gladius*, quantùm ad verba; *Acutus*, dum clamarent *crucifige, crucifige*; etiam voces illæ incitatiuæ fecerunt mortem, vt gladius acutus. Hæc Gloſſ. Et Cap. Noli. 27. in ord. ead. d. 1. Noli putare, te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis, & vt ſcias, quia occidis, audi Pſalmum. *Filij hominū dentes eorum, arma, & ſagittę, & lingua eorum machera acuta*; machera, ideſt gladius. Tertio modo perpetratur opere. Vndè Exod. 21. num. 12. *Qui percuſſerit hominem, volens eum occidere, morte moriatur*. Hinc D. Aug. lib. 1. De Ciu. Dei, c. 17. & 18. & refertur 23. q. 5. c. Si non licet. 9. in ord. his exceptis, quos Deus occidi iubet, ſiue data lege, ſiue ad perſonam pro tempore, expræſſa iuſſione, & infra. His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Etiam iudex, vel miniſter eius occidens reum non amore iuſtitiæ, ſed liuore vindictæ, ex delectatione effundendi ſanguinem humanum, homicida reputatur. Ex Cap. Admonere, 8. in ord. 33. q. 2. Contra hoc præceptum etiam facit grauiter vulnerans, mutilans, verberans ſe, vel alium. Quarto modo omiſſione, cum ſcilicet aliquis poteſt obuiare morti alicuius iniuſtæ ſine periculo, & non curat. Prou. 24. num. 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui traduntur ad interitum liberare non ceſſes*. Sicut Daniel Suſannam, Dan. 13. Vndè D. Ambroſius, Paſce fame morientem, ſi non paſciſti, occidiſti. Hinc Pſal. 13. n. 7. *Contritio, & infelicitas in vijs eorum*. *Contritio*, ideſt deſtructio corporis, *infeli-*

S. Ioan. Pſal. 56. Gloſſa. Pſal. B Cap. Noli d. Pan. d. 1. Exod. S. Auguſt. 23. q. 2. Ca. Admonere. C Prou. 24. Daniel. S. Ambroſ. Pſal. 13.

infelicitas, ideſt priuatio Regni ſuperni, *in vijs eorum*, ideſt in operibus homicidij, *quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem*. 1. Io. 3. num. 15. A 1. Io. 3.

De his, quæ hoc Quinto Decalogi præcepto prohibentur.

Cap. II.

MVlta ſunt, quæ hoc præcepto prohibentur, vt ex iam dictis facilè colligi poteſt, ea tamen omnia breuiter ad quinque reducemus potiora capita.

Primo itaq; prohibetur nocumentum corpore, vt occidere, mutilare, percutere, verberare, torquere, & huiuſmodi nocumenta, & quæ ad iniuriam pertinent, vt ſpuere, arundine percutere, & cætera huiuſmodi. B

Secundò prohibentur omnes præparationes, & diſpoſitiones ad tales actus, vt quærere gladium cauſa percutiendi, obſeruare inimicum, coniurare ideſt multos homines ſub iuramento, vel fide aliqua colligere in occiſionem alicuius, vel nocumentum, & ſimilia.

Tertiò prohibentur contumeliæ, & conuitia, quæ fiunt verbo, vel ſigno aliquo.

Quartò prohibentur motus animi interiores deliberati, vt velle mortem alicui, vel malum temporale, qui enim appetit mortem alicui, vel ſibi, extrà caſus licitos animo deliberato, peccat mortaliter.

Quintò prohibentur omnes conſortes in tali peccato, videlicet, iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans. *Iuſſio*, qui præcipit. *Conſilium*, qui conſulit. *Conſenſus*, qui factum ratificat, vel vt fiat, probat. *Palpo*, qui factum laudat, vel, vt fiat laudat. *Recurſus*, qui defendit, vel qui defenſionem permittit. *Participans*, qui iuuat ad factum. *Mutus*, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cum poteſt, & debet. *Non obſtans*, qui non prohibet, cum poteſt, & debet. *Non manifeſtans*, qui veritatem innocentis non oſtendit, ne damnetur, cum poteſt, & debet. Omnes tales peccant contrà hoc præceptum, Vndè habetur D. 83. Cap. Conſentire .5. in ord. Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. C *D. 83. Cap. Conſentire.*

A

De occiſione licita, & quæ hoc præcepto non prohibetur.

Cap. III.

PRO intelligentia iam dictorum, ac dicendorum Notandum eſt primò, quod homicidium eſt duplex, Alterum voluntarium, Caſuale alterum. Voluntarium dicitur illud, quod eſt per ſe intentum, ſeu procuratum; Caſuale, quod contingit prȩter intentionem agentis, aut ommittentis opus aliquod, vndè mors alterius conſequitur. Voluntarium autem poteſt eſſe per ſe intentum dupliciter, Primò, quando quis facit aliquid eo animo, & intentione, vt mors alterius ſequatur; Secundò, quando quis facit opus, quod ſuaptè naturæ

B ordinatur ad mortem alicuius, licèt ex intentione operantis non dirigatur ad ipſam mortem; Verbi gratia, ſi quis porrigat venenum mortiferum non animo occidendi; Item ſi quis ictum, vel vulnus læthale infligat non animo occidendi. Nauarr. Cap. 27. num. 240. In Manuali. Ità quòd dupliciter Homicidium poteſt eſſe voluntarium, Directè, & Indirectè. Directè dicitur, quod eſt per ſe intentum. Indirectè, quod eſt intentum in alio, nimirùm, opere, vel ommiſſione operis, vndè mors ſecuta eſt.

Nauarr.

Notandum ſecundò, quod homicidium fit ſex modis, ſcilicet, facto, conſilio, mandato, defenſione, permiſſione, auxilio, ſiue patrocinio. His notatis proponitur primus huius Capitis Articulus.

C

Articulus Primus.

An liceat occidere alium in ſui defenſionem.

REſpondetur affirmatiuè, quod ad ſui defenſionem licet alium occidere, & hoc Iure Naturali, Iure Diuino, Iure Canonico, & Iure Ciuili, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Quot, et quę requirantur ad moder. inculp. tutelæ.

Obſeruandum verò, quòd ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur primò, vt inuaſor ſit iniuſtus, ideſt vt inuadat contrà iuſtitiam; Secundò, vt inuaſus non priùs offendat, quàm inuadatur, Tertiò, vt inuaſus

tueatur

Digitized by Google

tueatur ſe, & offendat inuaſorem in ipſo congreſſu; non autem poſt factum interuallum, hoc eſt, non poſt congreſſum finitum. Quartò, vt quamdiu poteſt inuaſus ſe tueri non occidendo, non occidat; vndè non debet inuaſus maiori vi iniuriam repellere, quàm ſit vis inuaſoris, Verbi gratia, ſi læditur pugno, non debet ſe defendere armis, niſi pugni ſint tàm magni, vt mortem inferre poſſint, ſi inuaditur ab inermi, non ſe defendat armis, Item, ſi poteſt ſe tueri ſolùm percutiendo, non occidat; ſi inuaditur baculo, non ſe defendat enſe, niſi timeat baculo ſe interficiendum, aut grauiter vulnerandum. Quintò debet inuaſus probabiliter æxiſtimare, ſe grauiter lædendum, vel occidendum, ſi vim non repellat. A

Adeò vera eſt allata Articuli huius reſolutio, quòd licitum eſt cuicumq; etiam Clerico, & Religioſo occidere iniuſtum inuaſorem, vt ſe defendat à morte, quia hoc ius eſt naturale, & à natura cuicumq; animali inſitum tuendi ſe ab aduerſario. Hoc eſt licitum etiam in loco ſacro, quia ius ſe tuendi eſt naturale, vt dictum eſt, & illa ſunt Iuris Diuini, & Eccleſiaſtici. Item licitum eſt tueri ſe contrà inuaſorem, quicumq; ſit inuaſor, vt filio contra Patrem, Vxori contrà Maritum, Seruo contrà Dominum, Subdito contrà Superiorem, Diſcipulo cõtra Magiſtrum, Vaſſallo contra Principem, Militi contra Ducem, aut Imperatorem belli, Laico contra Clericum, Innocenti contra Iudicem iniuſtè inuadentem. Silu. Verb. Bellum. 2. q. 4. B *Silueſter.*

Dato inſuper etiam, quòd aliquis illicitè aliquid faciat, & alius inuadat eũ, vt occidat, licitè poteſt eum occidere, vt ſe defendat; Verbi gratia depræhenditur quis in adulterio, vt ſe defendat à morte, poteſt inuadentem occidere, quia reuera, licèt adulterando peccet, habet tamen ius defendendi ſe.

§ *Primus. An poſſit occidi Iudex, qui per falſa teſtimonia damnat aliquem ad mortem.* C

Duobus modis intelligi poteſt, Iudicem damnare aliquem, Vno modo ità, vt damnet, ſiue procedat ſecundùm allegata, & probata, aut Iuris ordine ſeruato, & ſic damnet aliquem ad mortem, licèt alioqui innocẽtem, & per falſa teſtimonia; Alio modo, vt Iudex, aut eius miniſtri, aut teſtes, contra iuſtitiam inuadant innocentem ad occidendum eum contra iuſtitiam; Verbi gratia, ſi abſq; accuſatore, actore, vel Denunciatore, abſq; teſtibus, abſq; indicijs, abſq; vlla infamia, vel probatione inuadant innocentem. His præacceptis, pono duas Concluſiones iuxtà bimembrem hanc diſtinctionem.

A Prima Cõcluſio. Primo modo loquendo non eſt licitũ interficere Iudicem per falſa teſtimonia aliquẽ ad mortẽ damnantẽ, quia tunc iudex non eſt inuaſor iniuſtus, procedit enim ſeruato ordine iuris, túm etiam, quia hoc non eſſet ſe tueri, ſed vendicare, & quia innocens alia via ſe defendere debet, nimirùm appellando, aut alijs modis, quibus ius vti ſolet.

Secunda Concluſio. Secundo modo loquendo licitum eſt occidere, *Silueſter.* Silu. Verb. Bellum. 2. n. 7.

Sed in hac re animaduertendum eſt quòd Iudex ſciens aliquem eſſe innocentem, dato quòd probetur eſſe nocentem, ſi poteſt abſque ſcandalo tenetur procurare, vt talis innocens fugiat è carcere, vel alio modo euadat, nè condemnetur. Item in prædicto caſu tenetur Iudex iurare, *Sotus.* dictum reum eſſe innocentem, ſi iuramentum tale ſit illi profuturum. Hęc tribuuntur Soto.

Accuſator verò, & teſtes, ſibi imputent ſi indè ipſis damnum ſequatur, B ſi quidem innocentem accuſarunt. Verùm ſi Iudex fuerit ſupræmus non habens Superiorem, tenetur abſoluere talem innocentem, quia cum ſit ſupræmus non facit iniuriam legibus, aut alteri Iudici, aut teſtibus, ſi innocentem abſoluat, vndè poteſt pœnam debitam ſecundùm leges cõdonare. Certè ſi Iudex ſupremus ſit, & commodè poteſt abſoluere, tenetur abſoluere, ne innocens condemnetur, quòd poteſt facere, curando vt innocens fugiat, & liber euadat è carcere.

§ Secundus. *An licitum ſit præuenire inuaſorem?*

SI neceſſarium ſit præuenire, quia aliter vita propria non poteſt defendi, niſi præueniendo, dico, quòd licitum eſt præuenire, quia illa præuentio eſt medium neceſſarium ad defenſionem vitæ. Si verò præuentio non eſt neceſſaria ad propriæ vitæ defenſionem, quia ſcilicet antequàm C inuadatur, licet per tempus euadere, tunc non eſt licitum præuenire. Quando verò fuga eſſet periculoſa, nimirùm, quia aduerſarij à tergo inſtant, vel quando inuaſor ſit audacior, vel quando faciliùs inſequetur fugientem, non eſt obligatio fugiendi, quia tunc occidere inuaſorem, & non fugere, eſſet ſeipſum tueri, quoniam fugere non poteſt commodè tunc inuaſus.

Hoc veró valdè conſiderandum eſt, quòd non cuicumque inuaſo licitum eſt occidere inuadentem ſe, cum liberum eſt illi fugà euadere, ſed *Fuga quãdo eligenda, & quãdo non.* tunc licitum eſt occidere inuadentem, cum non poteſt ſe defendere, niſi occidendo. Si fuga eſſet illi valdè dedecoroſa, vt contingere poteſt, ſi inuaſus eſſet vir nobilis; Si autem inuaſus eſſet talis conditionis, vt fuga

non

Digitized by Google

non eſſet illi ignominioſa, puta ſi eſſet Clericus, vel Religioſus, vel homo vilis, Iſti tales, ſi fugiendo euadere poſſent, tenentur fugere, & non liceret eis occidere, aliòqui non eſſet moderamen inculpatę tutelæ, ſi occiderent, & non fugerent. Immò ſi inuaſor percutiat virum nobilem alapa, vel fuſte, vel verbere, ſi huiuſmodi percuſſio eſſet percuſſo valdè ignominioſa, licitum eſſet occidere inuadentem, cum alio modo honorem ſuum defendere non poſſet, aliter enim ex malitia hominum, honor innocentis paſſim tolli poſſet. Hoc eſt, valde probabile. Non eſt tamen licitum occidere inuadentem verbis contumelioſis, & conuicijs, Verbi gratia, ſi dicat quis, *Tu mentiris, &c.* etiam vbi hoc verbum *mentiris*, eſt valdè ignominioſum, quoniam huiuſmodi contumeliæ aliter repelli poſſunt, & ſolent apud homines. A

§ *Tertius. An liceat occidere inuaſorem pro defendendis bonis proprijs?* B

Quando occidere liceat inuaſorem bonorum.

RESolutè dicendum eſt, licitum eſſe Inuaſorem occidere pro defendendis proprijs bonis, quia bona temporalia ſunt bona ordinata, vel media ad conſeruationem vitæ. Hæc autem vera ſunt, quando bona illa temporalia, ita ſunt neceſſaria, vt ſine illis vita corporalis conſeruari commodè non poteſt, quia tunc eſt tueri vitam, vt ſi arma detrahantur militi, vel homini tranſeunti per latrones, vel hoſtes, aut veſtes detrahuntur tempore ſæuientis frigoris, vel niuis, aut tollantur bona alicui tempore neceſſitatis grauis, aut ſi quis mendicare cogeretur, aut aliter ignominiosè viuere, aut ſi fur bona diripiat, aut aſportet, & ſe armis defendat contra dominum. Eſt Communis. Dicitur ergo abſolutè, quòd pro defendendis bonis proprijs, quando ſunt alicuius momenti, licitum eſt occidere inuaſorem, quia bona ſunt propter vitam, & licèt vita proximi ſit ordine charitatis præferenda bonis temporalibus, hoc tamen verum eſt, quando non prouenit ex malitia alicuius, aliòquin fouerentur, hominum iniuſtitiæ, & innocentes ſuis bonis ſpoliarentur. Item bella, ſunt licita, & tamen ſæpè fiunt pro tuendis bonis temporalibus. Item, licitum eſt occidere pro defenſione vitæ alterius, puta pro defenſione Regis, Principis, & perſonæ publicæ cuiuſcumque, pro defenſione patris, matris, vxoris, fratris, filij, & cuiuſcumque perſonæ ſanguine coniunctæ, pro defenſione domini, pro defenſione cuiuſcumque innocentis, etiam extranei, pro defenſione rerum alicuius innocentis, nimirùm, pro defenſione rerum commodatarum, vel depoſitarum, & pro rebus amicorum, aut propinquorum, eos adiuuando. Sil. ſup. q. 7. Verb. Bellum. 2; C

Quo-

Digitized by Google

A

Articulus Secundus.

De Præmio filiorum Parentes honorantium.

AD nullum aliud præceptum, ita explicitè apponitur remuneratio obſeruantibus, in Decalogi deſcriptione niſi ad iſtud *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram* Exod. 20. Ratio eſt, non quia aliorum Præceptorum impletio non habeat premium, ſicut, & impletio huius, ſed quia cum valde ſit de inſtinctu naturæ honorare Parentes, poterat alicui oriri æxiſtimatio, in iſtius obſeruatione nullum eſſe meritum, cum natura ad hoc inſtiget, ſed propter hoc non caret mercede ſua à Deo, & ideo ponitur pro premio longæuitas vitæ, ideſt longa vita, Vt ſit (ait) longæuus ſuper terram viuentium, vel morientium.

B

Vbi Nota, quod quadruplex eſt Vita, ſcilicet, Naturæ, Gratiæ, Famę, & Gloriæ, & in qualibet fit homo longæuus per honorationem Parentum. Quantùm ad vitam naturæ, dicitur Eccleſiaſtici. 3. *Qui honorat Patrem ſuum, Vita viuet longiore* quia Pater eſt principalius principiũ actiuũ generationis, ideò frequentiùs fit mentio de Patre in Scriptura. Vndè multùm congruit remuneratio talis huic operi, vt qui benè vtitur beneficio conceſſo, mæretur ſibi, illud augeri, quia ergo beneficium vitæ poſt Deum, habet à parentibus, & benè vtitur eos honorando, dignum eſt, vt ei augeatur vita. Quoniam autem aliquando inuenitur, quód honorantes parentes, citò moriuntur, & inhonorantes diù viuunt, hoc accidit occulto Dei Iudicio, propter aliud melius nobis ignotum. *Eccleſiaſt.*

De vita Gratiæ, dicitur ibidem. *Qui honorat Patrem ſuum, iucundabitur in filijs*, vel naturalibus, quia bonos habebit honorantes eum, vel Spiritualibus, quæ ſunt bona opera, quę multiplicabuntur ei per gratiam, & dant ei iucunditatem ſpiritualem, & ſubditur. *Et in die orationis ſuæ exaudietur*. De vita Famæ dicitur ibidem. *Gloria hominis, ex gloria patris ſui, dedecus filijs pater inhonoratus*. Gloria dicitur clara fama, cum laude. Et iterùm, *Quàm malæ famæ eſt, qui relinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exaſperat matrem*; dicitur, autem bona fama, quaſi quędam vita, quia per hanc viuit homo in memoria aliorum. De vita gloriæ, ibidem, enim *Honora patrem tuum, & ſuper veniat tibi benedictio à Deo,* ſcilicet gratiæ, *& benedictio eius* ſcilicet gloriæ, *in nouiſſimo maneat* in terra viuentium, quæ eſt Vita Sanctorum, & gloria Paradiſi iuxtà illud

C

etiam

Digitized by Google

etiam Pſalmi 141. *Portio mea domine ſit in Terra viuentium* ibi enim verè A
vita eſt, & vera vita, vbi ſemper Deus eſt, & vbi Spiritus, & animæ iu- *Pſal.* 141.
ſtorum perenniter Deum diligunt, Deum poſſident, Deo fruuntur. Quamobrem non deeſt effectus huic promiſſioni, quæ iſti Præcepto adiungitur, *vt ſis longæuus ſuper Terram* ſi fortè, qui Parentes honorat, citiùs ex aliquo occulto Dei iudicio corporali morte moriatur, quoniam, ſi alia non intercedant demerita compenſatur hec terrena, & mortalis Vita, Vita æterna, & cœleſti, vbi Aſtergit Deus omnē lacrimam ab oculis ſanctorum, & iam non erit ibi amplius neq; luctus, neque clamor, neq; vllus dolor, neque mors erit ibi vltrà, quoniam priora tranſierunt.
Vt legitur in Apoc. Cap. 21. n. 4. Ad quam felicitatem per ſuam miſe- *Apocalipſ.*
cordiam Pientiſſimus Deus nos dignetur perducere.

Obiter, cum eſt contentio inter patrem & filium pręponendus eſt pater filio, in honore, ita vt non præiudicetur filio in veritate. D. Auguſt. & refertur 2. q. 7. c. Quæritur. Vt ſup. c. 3.

B

C

FINIS.

A. # F. VINCENTII
DE MONTE REGALI
Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Sextus.

De Quinto Decalogi Pręcepto.

B ## Non Occides

De huius Quinti Pracepti Intelligentia.

Cap. I.

S. Bonauent. SAnctus Bonauent. in 3. Sent. d. 37. dub. 5. litterali. Dupliciter (inquit) eſt loqui de intelligentia huius præcepti, videlicet, ſecundùm intellectum legiſlatoris, vel ſecundùm intellectum carnalis populi. Si ſecundùm intellectum legiſlatoris, ſic vtiquè prohibetur homicidium exterius, & voluntas deliberatiua ordinata ad lædendum proximum ex iracundia, Vn-

C dè prohibetur ira cum conſenſu deliberatiuo in animo, & cum expręſſione exteriùs in verbo, & ſigno, & cum perpetratione in facto. Si verò intelligatur ſecundùm intellectum carnalis populi, qui ſolùm reputabat illud prohiberi, pro quo infærebatur pæna ab ipſa lege, ſic intelligebatur prohiberi progreſſus ad opus homicidij, & hunc intellectum dicit Magiſter literalem, non quia intellectus alius non eſſet de principali ratione færentis legem, ſed quia claudebatur implicitè. Et quoniam illius explicatio facta eſt in lege Euangelij, ideo dicit Magiſter, ſuperadditionem illi mandato eſſe factam, non quia nouum aliquid ibi præcipiatur, ſed quia intellectus prædicti mandati explicatur, dum non tantùm datur intelligi in prædicto mãdato prohiberi perpetrationem homicidij in opere,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam offenſam in corde, oſtenſionem in ſigno, & expreſſionem in verbo, propter quod tria dicit. Primò, *Qui iraſcitur fratri ſuo in corde ſuo, reus erit iudicio*. Secundò, *Qui dixerit Racha, reus erit concilio*. Tertiò, *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Vbi dat intelligere triplicem gradum peccati iracundiæ præcedentis homicidij conſummationem. A

D. Antoninus p. 1. tit. 14. c. 4. §. 9. Tripliciter eſt erratum circa hoc præceptum, aliqui enim putauerunt, non eſſe licitum occidere animalia bruta, quia putabant, animam animalis partem eſſe Dei, & proindè nulla ratione licitum eſſe dicebant, priuare animal vita ſua, quò circa damnabant ſacrificia Veteris legis, in quibus occidebantur animalia, & Deũ Veteris Teſtamenti malum, & impium, & Deum ſanguinum, & amicum occiſionum appellabant. Hoc eſt erroneum, dicitur enim Gen. 9. n. 3. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis, in cibum*, & 1. Ad Cor. 10. n. 25. *Omne, quod venit in macello, manducate*. Secundus error fuit dicentium, quòd prohibetur hìc occiſio cuiuſcumque hominis, etiam malefactoris, Vndè Iudices, & Officiales occidentes reos appellabant homicidas. Cõtra hos dicit D. Aug. quòd Deus, qui hoc præceptum dedit, non ſibi per hoc poteſtatem occidendi abſtulit, nam Deut. 32. num. 39. *Ego* (ait) *occidam, & ego viuere faciam*. Iudices autem, occidentes reos iuridicè, occidunt mandato Dei, qui legem ſtatuit, vt rei occidantur. Prouerb. 1. *Per me* (ſcilicet Sapientiam, quæ Deus eſt) *legum conditores iuſta decernunt*. Et ad Rom. 13. num. 4. *Non ſine cauſa gladium portat, miniſter enim Dei eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*, intelligitur ergo *Non occides* hominem propria auctoritate. Tertius error fuit, quòd hìc prohibetur occiſio proximi, ſed non ſui aſſerendo, hoc licitum eſſe, ſcilicet occidere ſeipſum. Hoc eſt falſum, nulli enim licet, quacumque ex cauſa, occidere ſeipſum, niſi Deo iubente, vt habemus de Sampſone. Iud. 16. num. 30. qui, vt dicit D. Aug. & refertur 23. q. 5. cap. Si non licet. 9. in ord. Spiritus ſanctus, qui per eum miracula fecit, eum ad hoc induxit, ad ſignificandum Chriſti mortem.

S. Antonin. — *Geneſis.* — *1. ad Cor.* — B — *S. Auguſt.* — *Deuteron.* — *Prouerbia.* — Ad Rom. 13 — *Lib. Iudicũ.* — *S. Auguſt.* — *23 q. 5. Cap. Si non licet.* — C

Quatuor autem modis perpetratur homicidium. Primò, interiori deliberatione. Secundò exteriori locutione. Tertiò manuali actione. Quartò notabili ommiſſione. De primo modo dicitur, 1. Io. 3. nu. 14. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, quia odiens aliquem, communiter appetit mortem eius, Vndè D. Hieron. in Iſai. c. 33. *Omnis iniquitas, & oppreſſio, & iniuſtitia iudicium ſanguinis eſt*. Et licèt gladio non occidat, voluntate tamen interficit. De Pænit. diſt. 1. Capit. Omnis. 25. in ord. Secundo modo, ideſt ore, multipliciter, videlicet imperando, conſulendo, ſuadendo, &c. Vndè D. Aug. & refertur. De Pænit. diſt. 1. c. Pernicioſè

1. Io. 3. — *S. Hieron.* — *Iſaias.* — *De Pænit. d. 1. Omnis.* — *S. Auguſt.* — *de Pænit. di. 1. Pernicioſè.*

ciosè

A ciosè. 23. in ord. Pernicioſè ſe decipiunt, qui æxiſtimant, eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & nō potiùs eos, per quorum conſilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguunt, nàm Iudæi nequaquàm Dominum proprijs manibus occiderunt, ſicut ſcriptum eſt, *Nobis non licet interficere quemquam*. Sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipſi lingua, eum interfecerunt dicentes *crucifige, crucifige*. Vndè vnus Euangeliſta dixi, Dominum crucifixum eſſe hora tertia, alius ſexta, quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia, lingua; Milites hora ſexta, manibus. Qui ergo hominem tradidit, ille interfecit eum,
S. Ioan. Domino dicente, *Maius peccatum habet, qui me tradidit tibi*. Io. 19. Vn-
Pſal. 56. dè Pſal. 56. *Filij hominum dentes eorum arma, & ſagitta, & lingua eorum, gladius acutus*. Subijciant ergo ſe pænitentiæ, quorum conſilio ſanguis
Gloſſa. funditur, ſi veniam promereri voluerint. Gloſſ. Non ſolùm ille eſt ho-
Pſal. micida, qui manu interficit alium, ſed etiam ille, qui præbet conſilium.
B Hinc Pſal. *Miſerere mei Deus, miſerere mei filij hominum parauerunt laqueū pedibus meis dentes*, ideſt corroſiones, & conuitia; *Sagittæ*, quantùm ad conſilia; *Gladius*, quantùm ad verba; *Acutus*, dum clamarent *crucifige,*
Cap. Noli *crucifige*; etiam voces illæ incitatiuæ fecerunt mortem, vt gladius acutus.
d.l'en.d.1. Hæc Gloſſ. Et Cap. Noli. 27. in ord. ead. d. 1. Noli putare, te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis, & vt ſcias, quia occidis, audi Pſalmum. *Filij hominū den-*
Exod. *tes eorum, arma, & ſagittę, & lingua eorum machera acuta*; machera, ideſt gladius. Tertio modo perpetratur opere. Vndè Exod. 21. num. 12.
S. Auguſt. *Qui percuſſerit hominem, volens eum occidere, morte moriatur*. Hinc D.
23.q.2.Ca. Aug. lib. 1. De Ciu. Dei, c. 17. & 18. & refertur 23. q. 5. c. Si non licet.
Admonere. 9. in ord. his exceptis, quos Deus occidi iubet, ſiue data lege, ſiue ad perſonam pro tempore, expræſſa iuſſione, & infra. His igitur exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi
C iubet, quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Etiam iudex, vel miniſter eius occidens reum non amore iuſtitiæ, ſed liuore vindictæ, ex delectatione effundendi ſanguinem humanum, homicida reputatur. Ex Cap. Admonere, 8. in ord. 33. q. 2. Contra hoc præceptum etiam facit grauiter vulnerans, mutilans, verberans ſe, vel alium. Quarto modo omiſſione, cum ſcilicet aliquis po-
Prou. 24. teſt obuiare morti alicuius iniuſtæ ſine periculo, & non curat. Prou. 24. num. 11. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum*
Daniel. *liberare non ceſſes*. Sicut Daniel Suſannam, Dan. 13. Vndè D. Ambro-
S. Ambroſ. ſius, Paſce fame morientem, ſi non paſciſti, occidiſti. Hinc Pſal. 13. n. 7.
Pſal. 13. *Contritio, & infelicitas in vijs eorum*. Contritio, ideſt deſtructio corporis,
infeli-

Digitized by Google

infelicitas, ideſt priuatio Regni ſuperni, *in vijs eorum*, ideſt in operibus homicidij, *quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem*. 1. Io. 3. num. 15. A

1. *Io.* 3.

De his, quæ hoc Quinto Decalogi præcepto prohibentur.

Cap. II.

MVlta ſunt, quæ hoc præcepto prohibentur, vt ex iam dictis facilè colligi poteſt, ea tamen omnia breuiter ad quinque reducemus potiora capita.

Primo itaq; prohibetur nocumentum corpore, vt occidere, mutilare, percutere, verberare, torquere, & huiuſmodi nocumenta, & quæ ad iniuriam pertinent, vt ſpuere, arundine percutere, & cætera huiuſmodi. B

Secundò prohibentur omnes præparationes, & diſpoſitiones ad tales actus, vt quærere gladium cauſa percutiendi, obſeruare inimicum, coniurare ideſt multos homines ſub iuramento, vel fide aliqua colligere in occiſionem alicuius, vel nocumentum, & ſimilia.

Tertiò prohibentur contumeliæ, & conuitia, quæ fiunt verbo, vel ſigno aliquo.

Quartò prohibentur motus animi interiores deliberati, vt velle mortem alicui, vel malum temporale, qui enim appetit mortem alicui, vel ſibi, extrà caſus licitos animo deliberato, peccat mortaliter.

Quintò prohibentur omnes conſortes in tali peccato, videlicet, iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans. *Iuſſio*, qui præcipit. *Conſilium*, qui conſulit. *Conſenſus*, qui factum ratificat, vel vt fiat, probat. *Palpo*, qui factum laudat, vel, vt fiat laudat. *Recurſus*, qui defendit, vel qui defenſionem permittit. *Participans*, qui iuuat ad factum. *Mutus*, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cum poteſt, & debet. *Non obſtans*, qui non prohibet, cum poteſt, & debet. *Non manifeſtans*, qui veritatem innocentis non oſtendit, ne damnetur, cum poteſt, & debet. Omnes tales peccant contrà hoc præceptum, Vndè habetur D. 83. Cap. Conſentire. 5. in ord. Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. C

D. 83. Cap. Conſentire.

A

De occiſione licita, & quæ hoc præcepto non prohibetur.

Cap. III.

PRO intelligentia iam dictorum, ac dicendorum Notandum eſt primò, quod homicidium eſt duplex, Alterum voluntarium, Caſuale alterum. Voluntarium dicitur illud, quod eſt per ſe intentum, ſeu procuratum; Caſuale, quod contingit pręter intentionem agentis, aut ommittentis opus aliquod, vndè mors alterius conſequitur. Voluntarium autem poteſt eſſe per ſe intentum dupliciter, Primò, quando quis facit aliquid eo animo, & intentione, vt mors alterius ſequatur; Secundò, quando quis facit opus, quod ſuaptè natura ordinatur ad mortem alicuius, licèt ex intentione operantis non dirigatur ad ipſam mortem; Verbi gratia, ſi quis porrigat venenum mortiferum non animo occidendi; Item ſi quis ictum, vel vulnus læthale infligat non animo occidendi. Nauarr. Cap. 27. num. 240. In Manuali. Ità quòd dupliciter Homicidium poteſt eſſe voluntarium, Directè, & Indirectè. Directè dicitur, quod eſt per ſe intentum. Indirectè, quod eſt intentum in alio, nimirùm, opere, vel ommiſſione operis, vndè mors ſecuta eſt.

B

Nauarr.

Notandum ſecundò, quod homicidium fit ſex modis, ſcilicet, facto, conſilio, mandato, defenſione, permiſſione, auxilio, ſiue patrocinio. His notatis proponitur primus huius Capitis Articulus.

C

Articulus Primus.

An liceat occidere alium in ſui defenſionem.

REſpondetur affirmatiuè, quod ad ſui defenſionem licet alium occidere, & hoc Iure Naturali, Iure Diuino, Iure Canonico, & Iure Ciuili, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Quot, et quę requirantur ad moder. inculp. tutelæ.

Obſeruandum verò, quòd ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur primò, vt inuaſor ſit iniuſtus, ideſt vt inuadat contrà iuſtitiam; Secundò, vt inuaſus non priùs offendat, quàm inuadatur, Tertiò, vt inuaſus tueatur

tueatur ſe, & offendat inuaſorem in ipſo congreſſu; non autem poſt factum interuallum, hoc eſt, non poſt congreſſum finitum, Quartò, vt quamdiu poteſt inuaſus ſe tueri non occidendo, non occidat; vndè non debet inuaſus maiori vi iniuriam repellere, quàm ſit vis inuaſoris, Verbi gratia, ſi lęditur pugno, non debet ſe defendere armis, niſi pugni ſint tàm magni, vt mortem inferre poſſint, ſi inuaditur ab inermi, non ſe defendat armis, Item, ſi poteſt ſe tueri ſolùm percutiendo, non occidat; ſi inuaditur baculo, non ſe defendat enſe, niſi timeat baculo ſe interficiendum, aut grauiter vulnerandum; Quintò debet inuaſus probabiliter æxiſtimare, ſe grauiter lædendum, vel occidendum, ſi vim non repellat. A

Adeò vera eſt allata Articuli huius reſolutio, quòd licitum eſt cuicumq; etiam Clerico, & Religioſo occidere iniuſtum inuaſorem, vt ſe defendat à morte, quia hoc ius eſt naturale, & à natura cuicumq; animali inſitum tuendi ſe ab aduerſario. Hoc eſt licitum etiam in loco ſacro, quia ius ſe tuendi eſt naturale, vt dictum eſt, & illa ſunt Iuris Diuini, & Eccleſiaſtici. Item licitum eſt tueri ſe contrà inuaſorem, quicumq; ſit inuaſor, vt filio contra Patrem, Vxori contrà Maritum, Seruo contrà Dominum, Subdito contrà Superiorem, Diſcipulo cõtra Magiſtrum, Vaſſallo contra Principem, Militi contra Ducem, aut Imperatorem belli, Laico contra Clericum, Innocenti contra Iudicem iniuſtè inuadentem. Silu. Verb. Bellum. 2. q. 4. B *Silueſter.*

Dato inſuper etiam, quòd aliquis illicitè aliquid faciat, & alius inuadat eũ, vt occidat, licitè poteſt eum occidere, vt ſe defendat; Verbi gratia deprehenditur quis in adulterio, vt ſe defendat à morte, poteſt inuadentem occidere, quia reuera, licèt adulterando peccet, habet tamen ius defendendi ſe.

§ *Primus. An poſſit occidi Iudex, qui per falſa teſtimonia damnat aliquem ad mortem.* C

Dvobus modis intelligi poteſt, Iudicem damnare aliquem, Vno modo ità, vt damnet, ſiue procedat ſecundùm allegata, & probata, aut iuris ordine ſeruato, & ſic damnet aliquem ad mortem, licèt alioqui innocẽtem, & per falſa teſtimonia; Alio modo, vt iudex, aut eius miniſtri, aut teſtes, contra iuſtitiam inuadant innocentem ad occidendum eum contra iuſtitiam; Verbi gratia, ſi abſq; accuſatore, actore, vel Denunciatore, abſq; teſtibus, abſq; indicijs, abſq; vlla infamia, vel probatione inuadant innocentem. His præacceptis, pono duas Concluſiones iuxtà bimembrem hanc diſtinctionem.

non eſſet illi ignominioſa, puta ſi eſſet Clericus, vel Religioſus, vel homo vilis, Iſti tales, ſi fugiendo euadere poſſent, tenentur fugere, & non liceret eis occidere, aliòqui non eſſet moderamen inculpatę tutelæ, ſi occiderent, & non fugerent. Immò ſi inuaſor percutiat virum nobilem alapa, vel fuſte, vel verbere, ſi huiuſmodi percuſſio eſſet percuſſio valdè ignominioſa, licitum eſſet occidere inuadentem, cum alio modo honorem ſuum defendere non poſſet, aliter enim ex malitia hominum, honor innocentis paſſim tolli poſſet. Hoc eſt, valde probabile. Non eſt tamen licitum occidere inuadentem verbis contumelioſis, & conuicijs, Verbi gratia, ſi dicat quis, *Tu mentiris, &c.* etiam vbi hoc verbum *mentiris*, eſt valdè ignominioſum, quoniam huiuſmodi contumeliæ aliter repelli poſſunt, & ſolent apud homines. A

§ Tertius. *An liceat occidere inuaſorem pro defendendis bonis proprijs?* B

Quando occidere liceat inuaſorem bonorum.

RESolutè dicendum eſt, licitum eſſe Inuaſorem occidere pro defendendis proprijs bonis, quia bona temporalia ſunt bona ordinata, vel media ad conſeruationem vitæ. Hæc autem vera ſunt, quando bona illa temporalia, ita ſunt neceſſaria, vt ſine illis vita corporalis conſeruari commodè non poteſt, quia tunc eſt tueri vitam, vt ſi arma detrahantur militi, vel homini tranſeunti per latrones, vel hoſtes, aut veſtes detrahuntur tempore ſæuientis frigoris, vel niuis, aut tollantur bona alicui tempore neceſſitatis grauis, aut ſi quis mendicare cogeretur, aut aliter ignominiosè viuere, aut ſi fur bona diripiat, aut aſportet, & ſe armis defendat contra dominum. Eſt Communis. Dicitur ergo abſolutè, quòd pro defendendis bonis proprijs, quando ſunt alicuius momenti, licitum eſt occidere inuaſorem, quia bona ſunt propter vitam, & licèt vita proximi ſit ordine charitatis præferenda bonis temporalibus, hoc tamen verum eſt, quando non prouenit ex malitia alicuius, aliòquin fouerentur, hominum iniuſtitiæ, & innocentes ſuis bonis ſpoliarentur. Item bella ſunt licita, & tamen ſæpè fiunt pro tuendis bonis temporalibus. Item, licitum eſt occidere pro defenſione vitæ alterius, puta pro defenſione Regis, Principis, & perſonæ publicæ cuiuſcumque, pro defenſione patris, matris, vxoris, fratris, filij, & cuiuſcumque perſonæ ſanguine coniunctæ, pro defenſione domini, pro defenſione cuiuſcumque innocentis, etiam extranei, pro defenſione rerum alicuius innocentis, nimirùm, pro defenſione rerum commodatarum, vel depoſitarum, & pro rebus amicorum, aut propinquorum, eos adiuuando. Sil. ſup. q. 7. Verb. Bellum. 2. C

Quo-

A Quoniam verò etiam Virginitatis integritas inter bona computanda eſt, poteſt Puella occidere aggreſſorem pro tuenda ſui corporis integritate, quando eam aliter tueri non poteſt, puta, nec clamando, nec compellando alium. Silu. Verb. Homicidium. 1. q. 5.

Articulus Secundus.

Vtrum liceat Interficere malefactores?

CErtum eſt iuxtà communem omnium doctrinam, & ab omnibus receptam, non ſolùm licitum eſſe, ſed & aliquando expedire malefatores interficere, & ratio huius præcipua eſt, quia commune bonum in pace aliòqui ſeruari non poſſet, & quia expedit puniri crimina, ne impunita maneant, & vt malefactores deterreantur, & ne cuncta demum flagitijs, & exceſſibus impleantur. Vndè eſt, quòd iuſtè condemnatus non habet amplius ius defendendi ſe contra miniſtros iuſtitiæ. Poſſet tamen aliqua difficultas occurrere in nonnullis ſingularibus caſibus, vt in ſequentibus. B

§ *Primus. An liceat cuicumq; de Populo Tyrannum interficere?*

Lib. Indicū. PRima facie videtur quòd ſic. Prob. per illud Iud. 3. n. 21. Aioht occidit Eglon Regem Moab, qui graui ſeruitute populum Dei præmebat. Vndè dicendum, quòd Aioht magis occidit hoſtem, quàm rectorem populi. Silu. Verb. Tyrannus. fine. *Silueſter.*

Cōc. Cōſtāt. Ex alia parte videtur dicendō, quod non, quia in Cōnc. Conſtantienſi Seſs. 15. Tomo 3. Conc. p. 2. pag. mihi 1605. damnatur hæc aſſertio ſcilicet. Quilibet Tyramnus poteſt licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vaſſallum, etiam per clanculares inſidias, ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque iuramento, ſeu confæderatione facta cum eo, nulla expectata ſententia. Quam doctrinam, Sancta Synodus, præhabita matura deliberatione declarat, decernit, & definit eſſe erroneam in fide, & moribus, ipſamque tamquàm hæreticam, & ſcandaloſam reprobat, & condemnat. Verba formalia Concilij hæc ſunt. §. Condemnatio illius propoſitionis. *Quilibet Tyrannus.* Precipua ſollicitudine, volens hæc Sacroſancta Synodus ad extirpationem errorum, & hereſum in diuerſis mundi partibus inualeſcentium prouidere, ſicut tenetur, & ad hoc collecta eſt, nuper accepit, quòd nonnullæ Aſſertiones C

erroneæ,

erroneæ, in fide,& bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſę, totiuſque Reipublicæ ſtatum, & ordinem ſubuertere molientes dogmatizatę ſunt, inter quas hæc Aſſertio delecta eſt. *Quilibet Tyrannus poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque uaſſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato Iudicis cuiuſcumque.* Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc Sancta Synodus inſurgere, & ipſum funditùs tollere, præhabita deliberatione matura declarat, decernit, & definit, huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus, ipſamque tamquàm hęreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones mendacia, proditiones, periuria vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat inſuper decernit, & definit, quòd pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes ſunt hæretici, & tamquàm tales iuxtà canonicas ſanctiones puniendi. Propter quam Conc. definitionem de fide tenendum eſt, quòd non eſt licitum vaſſallo, Principem aliquo modo occidere propter tyrannidem.

A

B

Determinatio §. *ex diffinit. Cōcilij.*

Duobus autem modis poteſt quis eſſe Tyramnus. Vno modo, quòad ſubſtantiam, hoc eſt, titulo, & inuaſione, quia ſcilicet vi Armorum, & tyramnide Regnum obtinuit, & durante eadem vi gubernat; Alio modo, quòad medium, quia ſcilicet verè eſt legitimus dominus, & iure hæreditario, ſiue legitima electione eſt Princeps, in modo tamen gubernandi, tyramnicè gubernat, omnia in propriam vilitatem conuertens, diſcordias inter ſubditos, aut ſeminans, aut nutriens, vt ipſe lucretur. Tyramnus primo modo in rei veritate non eſt legitimus, & verus Dominus, ius habens in Regno. Dixi *durante eadem vi,* quia ſi deinde Reſpublica, in illum conſentiat, quamuis tyramnicè intruſus ſit, per illum Reipublicæ conſenſum definit eſſe Tyramnus, & incipit eſſe legitimus Princeps. Ex his elicio ſequentes Propoſitiones pro plena huius quęſtionis intelligentia, & ſolutione.

C

Prima Propoſitio. Nullo pacto licet occidere Tyramnū ſecundo modo, illum ſcilicet, qui habet ius dominij, ſed tyramnicè gubernat. Et hoc vult Concilium citatum, vbi damnatur hęc propoſitio Ioannis Hus. Quilibet Tyramnus licitè poteſt occidi à quocumque ſubdito.

Secunda Propoſitio. Quilibet priuatus, ſecluſo iuramento, apertè, vel occultè, occidere poteſt Tyramnum primo modo, illum ſcilicet, qui per vim, & iniuſtitiam Regnum occupauit, ſi aliud remedium non ſit liberandi ſe à Tyramnide; Et hoc modo Aioht occidat Eglon.

Tertia Propoſitio. Si fuit ſimplex promiſſio de habendo illum principem,

A cipem, & dominum, & fides abſque iuramento, non obſtante illa promiſſione, poteſt occidi. Vndè 2. Paralip. c. 36. & vlt. reprehenditur Sedechias, qui rebellauit contra Nabuchodonoſor Regem Babilonis, ob iuramentũ præſtitum de fidelitate ſeruanda. Et Geneſ. 34. nu. 30. Iacob iratus fuit contra Simeonem, & Leui filios ſuos, eò quòd violauerunt pactum cum Sichimitis, qua de cauſa, cum cæteris benediceret, eis maledixit, *Simeon* (inquit,) *& Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea*. Gen. 49. n. 5.

Paral. c. 36. *Geneſ. 34.*

§ *Secundus. Vtrum liceat occidere Bannitum à Republica vel Principe proſcriptum?*

Silueſter Verb. Aſſaſſinus. q. 3. ad hanc dubitationem reſpondens, abſolutè docet, licitum eſſe occidere Bannitum à Reip. vel Principe proſcriptum. Ratio huius eſt, ne crimina maneant impunita, deinde, vt malefactores deterreantur, tandem, vt Reſpublica in pace ſe poſſit tueri. Hoc tamen non licet extra territorium, abſque licentia Principis.

B

Poſſet autem circa hanc rem dubium eſſe de ſtatuto, quo premium occidenti Bannitum promittitur, an liceat? Sed hoc etiam licere certum eſt, quia id expedit communi bono Reipublicæ, vt Banniti, qui Reipublicæ ſunt hoſtes faciliùs, & commodiùs è medio tollantur. Eſt licitum occidere, etiam proditoriè, & per inſidias ob commune bonum Reip.

Articulus Tertius.

Vtrum liceat interficere ſeipſum?

C

QVòd quis ſe ipſum, vel etiam alium, interficiat, poteſt dupliciter intelligi, Directè, vel Indirectè. Directè, & poſitiuè, operando, puta ſe iugulando, ſe præcipitando, flammis ſe donando, &c. Indirectè, & negatiuè, puta, non faciendo id, quo vita conſeruari poteſt, vt non ſumendo cibum, non fugiendo manus inimici, cum poſſit, vel ſe offerendo certæ morti. Item, poteſt hoc etiam eſſe dupliciter, vel abſolutè, nimirùm, & ſimpliciter; Vel in caſu, puta, Diuino inſtinctu. His ſuppoſitis.

Dico primò. Nunquàm licet ſe ipſum occidere directè, & poſitiuè, neque ob vitandum peccatum, neque ob defendendam pudicitiam, neque

que ob vitanda mala huius vitæ, neq; ob fidem, vel Religionem, vel virtutem tuendam, neque ob ſalutem aliorum. Eſt communis. D. Aug. l. 1. De ciu. c. 16. Conc. Bracar. 1. c. 34. & refertur 23. q. 5. Cap. Placuit. Placuit, vt qui ſibi ipſis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenũ, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentam mortem inferunt, &c. nulla prorſus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur. Hæc ſunt verba Conc. A *S. Auguſt. Conc. Bracarenſe 1. 23. q. 5. Placuit.*

Dico ſecundò, Probabibiùs videtur nonnullis, quòd indirectè, & negatiuè, liceat occidere ſeipſum, puta permictere ſe occidi, ne alter moriatur in peccato mortali, puta, ſi inuaſus à latrone, aliter non poſſit ſe defendere, quàm latronem occidendo, abſque dubio poteſt permictere, ſe occidi potiùs, quàm in illo caſu eum mictere in perditionem, neq; hoc eſt ſeipſum occidere, ſed non conſeruare vitam, quãdo non tenetur conſeruare. Toletus. lib. 5. Cap. 6. Concl. 3. Caſu. 4. Item, ſi duo eſſent in naufragio, & vna tantùm eſſet tabula, quæ ambos ſeruare non poſſet, licitum eſt vni, illam alteri cedere. Pariter, duobus in extrema neceſſitate exiſtentibus, & vnum tantùm panem habentibus, quo vnus tantùm vitã conſeruare poſſe, & licet habenti panem illum alteri cedere. Idem Toletus. Similiter quando quis ad mortem iuſtè damnatus eſt, poteſt, & tenetur, omnes eas actiones, quæ ſunt diſpoſitiones ad occiſionem exibere, puta, ſcalam aſcendere, funi collum appendere, ſi ſuſpendendus ſit, non tamen poteſt ſe deijcere de ſcala; Item quando eſt in carcere, quàmuis poſſit fugere, poteſt tamen remanere, etiam ſi occidendus ſit. Ita qui damnatus eſt, vt fame, & inedia moriatur, quàmuis poſſit ſine peccato ſumere cibos, poteſt tamen non ſumere. Tolet. ſupra. Caſu 5. Item quando fœmina permictit potiùs, ſe occidi, quàm violari. Demum, quando Amicus indigeret auxilio, & obſequio Amici in ægritudine, vel conſilio, in conſcientia poteſt Amicus, Amicum iuuare, etiam cum periculo propriæ vitæ, nec propterea peccabit, quando tamen eſſet ſpes alicuius fructus, quia ſi nulla eſſet ſpes fructus, non careret temeritate, ſi tam graui periculo ſe exponeret. B *Toletus.* C

A

§ *Primus. Vtrum damnatus ad ſumendum venenum, poſſit ſine peccato ſumere?*

PRænotandum eſt quod actus, quibus homo ad mortem diſponitur duplicis generis ſunt, Quidam proximi, & immediati, ex quibus proximè, & efficienter ſequitur mors, quales ſunt, ſeipſum præcipitem dare, ſe è furca proijcere, bibere venenum, abſcindere venam, qua totus ſanguis effluat; Alij ſunt remoti, ad quos nec proximè, nec efficienter ſequitur mors, ſed ſunt quędam diſpoſitiones ad faciliùs patiendum mortem, quales ſunt aſcendere ſcalam, extendere collum, extrahere linguam, &c. Actus primi generis ſunt omninò illiciti reo, & proinde nec Iudex poteſt illos reo pręcipere, nec poteſt illos reus exercere, cum hoc ſit ſeipſum poſitiuè, & directè occidere quod eſt illicitum, ſolùm enim poteſt condemnari reus ad mortem patiendam, non autem, vt eam ſibi inferat, & ita ad propoſitam difficultatem negatiuè reſpondendum eſt.

Reſolutio difficultatis.

B

Hic etiam Notandum eſt, quòd non tenetur, nec obligatur homo ſuam vitam conſeruare per media magno labore, & prætio indigentia, nec tenetur ad vitę conſeruationem, etiam ſi ex conſilio Medici ſit neceſſaria cruris, vel, brachij abſciſſio magno cum labore, & dolore, huiuſmodi conſilio parere, & tantum dolorem ſubire, vt totum corpus conſeruet, ne pereat.

§ *ſecundus. Vtrum liceat Ieiunijs, & alijs macerationibus carnem ita domare, vt vita breuiùs, & citiùs abſumatur?*

VT diſtinctiùs dignoſci poſſit, quid ad propoſitam difficultatem reſpondendum ſit, quoniam varijs caſibus, qui accidere poſſunt, occurrendū eſt, varia quoque dicta ſtatuenda ſunt.

C

Dico itaq; Primò, quòd nemo ad vitam prologandam vti tenetur cibis optimis, & delicatioribus, etiamſi poſſit, ſed cōmuniter naturaliter productis, Vndè damnandi non ſunt illi, qui in vniuerſum decreuerunt abſtinere à pharmacis.

Dico ſecundò, quòd ſi quis vtatur alimētis, quibus homines cō muniter vtuntur, & quantitate, quæ ſufficere ſolet ad valetudinē conſeruandam, dato, quòd ex hoc abbreuietur vita, etiam notabiliter, & hoc percipiat, non peccat.

Dico tertiò. Quāmuis ęgrotus in morbo potens ſumere cibum cum aliqua ſpe vitæ, cibum ſumere teneatur, ſi tamen in vltimis poſitus, & quaſi

A

quaſi de Vita deſperatus iacet, & tanta ſit in eo animi deiectio, & appetitiuæ virtutis tanta conturbatio, vt non niſi per ſummum laborem, & quaſi cruciatum quemdam comedere, & cibum deglutire poſſit, non eſt tamquàm occiſor ſui damnandus, ſi non comedat, quia tunc reputatur, quaſi quædam impoſſibilitas, nec tenetur cũ tanto cruciatu vitã prolõgare, maximè vbi aut nulla, aut exigua ſpes vitæ relicta ſit.

Dico quartò. Si quis ſingulari inædia, vel e bo[n]ociuio vteretur, ita vt vel ſcienter, vel ex aliorum bonorum, & ſapientum ſententiam, breui abrumperetur vita, non excuſaretur à peccato mortali.

Dico quintò, Qui ex intentione, aut etiam aduertenter ſine tali intentione vitam, notabiliter, ieiunijs, vigilijs, abſtinentijs, Pſalmorum decantatione abbreuiat, peccat mortaliter, Ita ad propoſitum Quæſitum Reſpondent Nauarr. in Man. cap. 15. n. 12. Tolet. l. 5. cap. 6. Concl. 4. Illæ verò abſtinentiæ, vigiliæ, ac illi labores laudabiles, & liciti ſunt, qui ex regula ſunt inſtituti. *Nauarr.* *Tolet.*

B

Vndè, qui vult decurtare (inquit idem Nauarrus) aut decurtat vitam per abſtinentias, quas ſcit, & aduertit eſſe indiſcretas, etiamſi abſq; intentione abbreuiandi eam id faciat, ſed aduertit, quòd eã decurtat, peccat, ex D. Hyer. & refærtur de Conſ. d. 5. Cap. Non mediocriter. Nõ mediocriter errãt, qui bono magno præferunt mediocre bonũ; Nonne rationabilis homo dignitatem ammittit, qui vel ieiunium Charitati, aut vigilias præfert ſenſus integritati, vt propter abſtinentiam immoderatam, atq; indiſcretam pſalmorum, vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut triſtitiæ notas incurrat? Numquid verborum multitudine flecti Deus, vt homo, poteſt? Non enim verbis tantùm, ſed corde orandus eſt Deus; Melior eſt quinque pſalmorum decantatio cum cordis puritate, & ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quàm totius pſalterij modulatio cum anxietate cordis, & triſtitia. Et paulò infrà. Audiant itaq; qui ea, quæ neceſſaria ſunt, corpori ſubtrahunt, illud, quòd per Prophetam Dominus loquitur, Ego Dominus odio habens rapinam holocauſtorum. De rapina verò holocauſtum offert, qui ſine ciborum nimia ægeſtate, vel ſomni penuria corpus immoderatè affligit. *S. Hyeron.* *De Conſ. d. 5* *Nõ mediocr.*

C

D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 1. ad 2. Non differt (ait) vtrum magno, vel paruo tempore te interimas, quia de rapina holocauſtum offert, qui vel ciborum uimia ægeſtate, vel manducandi, vel ſomni penuria immoderatè corpus affligit; Similiter ratio recta non tantùm de cibo ſubtrahit, vt homo reddatur impotens ad debita opera peragenda. Vide Caietanum ibidem in Coment. *S. Thom.* *Caietanus.*

A

§ *Tertius. Vtrum femina prægnans, aut in partu periclitans licitè poſſit ſumere medicinam, ſibi quidem ſalutarem, ſed fætui periculoſam?*

DIſtinguendum eſt priùs de fætu, & de medicina, vt poſſit hæc dubitatio ſolui. Fætus enim, vel eſt animatus, vel non; Et medicina vel eſt ex vi ſuæ naturę directa ad interitum fętus, vel non, ſed eſt ſalutifæra matri, licèt per accidens ex ea ſequi poſſit mors fætus. Quibus ſtantibus, pono duas Concluſiones.

Prima Concluſio. Quando medicina ſalutaris eſt matri, & non ordinata ad interitum fætus, ſed per ſe ſolùm ordinata ad matris ſalutem, licèt per accidens ſequatur mors fætus, licitum eſt matri eam medicinam ſumere.

B

Secunda Concluſio. Si medicina ex ſua vi, vel conditione eſt directa ad interitum fætus, non eſt licitum matri eam ſumere, etiamſi ſumat, vt ſeipſam ſeruet, quia non habet ius tuendi ſe cum periculo fætus. Vel breuiùs. Si fętus non eſt animatus, licitum eſt; Si eſt animatus, non eſt licitum vllo modo.

Articulus Quartus.

Vtrum omne Homicidium ſit peccatum mortale?

CVM iam dictum fuerit, quòd non omne homicidium eſt hoc præcepto prohibitum, conſequens etiam eſt, quòd neq; omne homicidium peccatum mortale ſit, & ità Concluſio Reſponſiua ad propoſitam Quæſtionem, negatiua eſt. Ratio, quia cum duplex ſit homicidium, licitum, ſcilſcet, & illicitum. Illicitum adhuc duplex, Caſuale, & Voluntariũ; Licitum non ſolùm non eſt peccatum mortale, ſed nec eſt Peccatum, vnde neq; prohibitum; Neq; etiam omne Caſuale eſt peccatum, & tamen tàm licitum, quàm caſuale homicidium, eſt homicidium, ergo Non omne homicidium eſt peccatum mortale. Pro ſolidiori tamen fundamento, aliqua ſunt obſeruanda.

C

Sciendum eſt ergo, quòd in moralibus, vt aliquòd homicidium imputetur ad culpam non ſolùm requiritur, quòd potuerit remouere illud ex quo ſequitur mors, ſed etiam, quòd debuerit id auferre, ideſt, quod Diuino, vel naturali, vel humano iure obligatus fuerit ad illud remouendum.

Prete-

A Præterea ſciendum eſt, quòd Nauarr. in man c. 27. num. 240. dicit ad homicidium voluntarium requiri, vt ſit homicidium illicitum, intentum in ſe, ſaltem æquipollenter, aliàs quàm vitandæ mortis propriæ cauſa. Et ita ſecundum eum requiritur, vt ſit intentum in ſe, aut ſaltem in cauſa, quæ ſit propria, vel ex ſe ordinata ad mortem. Exempli gratia; Dedit quis venenum alteri, ſcienter mortiferum, licèt nō intenderit mortem illius, eſt voluntarium homicidium, ſi ex veneno moritur. Si quis alterum percuſſerit vulnere lethali animo expræſſo non occidendi, eſt homicida voluntarius. Idq; probat Nauarr. quia Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. appellat homicidium voluntarium, quod vult eſſe indiſpenſabile ab Epiſcopis, quod eſt intentum, vel per inſidias, vel proditionem, vel per induſtriam, vel ex propoſito, vel ex voluntate, ergo debet eſſe intentum in ſe formaliter, vel virtualiter. *Nauarr.* *Conc. Trid.*

B Caietanus 2. 2. q. 64. art. 8. Homicidium (inquit) voluntarium eſt, quod eſt, vel intentum per ſe, vel in cauſa aliqua, ex qua ſemper, vel frequenter, vel in pluribus ſolet prouenire homicidium, nam voluntarium in hac materia diſtinguitur à caſuali, & caſuale dicitur id, quod rarò ſiue in paucioribus ſolet accidere ex aliqua cauſa. Ex quo habemus, quòd non eſt habenda ratio huius, ſcilicet, quòd cauſa debeat eſſe talis, vt ſit propria, vel immediata, vel per ſe ordinata ad homicidium, ſed ſufficit, vt ſit talis, vt ex illa, vel ſemper, vel frequenter, vel in pluribus ſolitum ſit ſequi homicidium. Et quòd homicidium dicitur caſuale, quod non eſt intentum in ſe, aut in aliqua cauſa, ex qua ſolitum eſt accidere homicidium ſemper, vel frequenter, ſed ſolùm dicitur voluntarium in aliqua cauſa, ex qua raro, ſiue in paucioribus, ſequi ſolet homicidiū, quam cauſam tenemur aliquo iure vitare.

C Ad homicidium caſuale requiruntur tria; Primum, vt non ſit per ſe intentum; Secundum, vt ſequatur ex opere illius, cui imputatur, nam ſi non ſequatur ex opere illius, nullo modo erit voluntarium in eo, quoniā non per ſe, vt ſupponimus; non per accidens, quia non in cauſa, ſi ex opere illius, cui imputatur non ſequatur; ergo vt mihi imputetur, exempli gratia, requiritur, vt aliquo modo ſequatur ex opere meo; Tertium, vt is, cui imputatur debuerit vitare opus illud aliquo iure; ſcilicet, vel naturali, vel Diuino, vel humano.

§ Pri-

A

§ *Primus. Vtrum Homicidium caſuale culpę imputetur?*

RESpondetur, quòd quandoque imputatur, & quandoque non imputatur. Et hoc explicabitur ſequentibus Propoſitionibus.

Prima Propoſitio. Quando nullo modo eſt voluntarium neque in ſe, neque in ſua cauſa (quod tunc eſt, quando nullo modo eſt pręuiſum, nec præuideri potuit, etiamſi debita diligentia adhibita ſit) tunc culpæ non imputatur. Vndè econtrà, tunc eſt culpabile, quando aliquo modo eſt voluntarium, & eſt tunc, quando vel fuit præuiſum, vel diligentia debita adhibita præuideri potuit, & debuit.

Secunda Propoſitio. Homicidium caſuale eſt culpabile, ſi datur opera rei alicui, etiam licitę, non adhibita debita diligentia, ne ex ea ſequatur homicidium; Exemplum de proijciente tegulas è tecto licitè non habita ratione, ſiue reſpectu prætereuntium per viam, & occiditur aliquis ex actu tegulæ.

B

Tertia Propoſitio, Homicidium caſuale eſt culpabile, quando datur opera rei illicitæ aliquo iure prohibitæ, & ſequitur ex re illa, etiamſi ſufficiens diligentia adhibita ſit, ne ſequatur. Exempli gratia. Clericus exercens officium chirurgi, per aduſtionem, vel ſectionem medetur homini vulnerato, diligenter curans, ne moriatur, & tamen moritur, etiamſi ex in curia ipſius vulnerati, eſt nihilominus culpabile homicidium, non quidem ex ſe, aut ex natura rei, & intrinſecè, ſed extrinſecè, nimirùm, quia cum ſit Clerico prohibitum iure Canonico chirurghi officium exercere, peccauit officium illud exercendo ex C. Tua noſ. 19. in ord. De Homicidio. Diligentia verò debita, & ſufficiens in hac materia, dicitur, quæ fieri conſueta eſt in ſimilibus negocijs habita ratione perſonæ, loci, temporis, & rei. Caiet. 22. q. 64. art. 8.

De Homicid. C. Tua nos. Suff. diligentia, quæ. Caietanus.

C

Preterea Notandum eſt, quòd Homicidium caſuale non ſolùm contingere poteſt verè poſitiuè occidendo, ſed etiam negatiuè, quia ſcilicet, negligentia, & ommiſſione vnius, mors alterius ſequitur, iuxtà illud D. Ambroſ. ſi non pauiſti, occidiſti. Ideo, qui ommictit aliquid, ad quod ex charitate tenetur, & ex tali ommiſſione ſequitur mors alterius, peccat, iuxtà grauitatem ommiſſionis; Exemplum; Sciens, vel ſcire debens proximum eſſe in mortis periculo, quem facilè, & paruo labore, vel incommodo poſſet ab eo periculo liberare, peccat mortaliter, ſi non liberat, iuxtà illud Ioan. 1. c. 9. *Qui videt fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Quia vnicuiq; mandauit Deus, de proximo ſuo Cap. Paſce. 21. in ord Diſt. 86.

S. Ambroſ.

D. 86. Cap. Paſce.

ex

ex D. Amb. de Officijs. Paſce, fame morientem, quisquis enim paſcendo hominem ſeruare poteras, ſi non pauiſti, occidiſti. Item, qui ommittit aliquid, quod ex iuſtitia facere tenetur, in cauſa eſt, vt alter occidatur, pæccat tantùm, quanta eſt ommiſſio, immò etiam tenetur ad reſtitutionem damni; Tales ſunt Principes, & Superiores, quia ex officio tenentur obuiare malis, & conſeruare bonum ciuium; Teſtes in iudicium Vocati, Aduocati, Cuſtodes prædiorum, & huiuſmodi. A *S. Ambr.*

§ *Secundus. De Homicidio in bello, An ſcilicet, in bello liceat occidere?*

AD hoc, vt bellum iuſtè geratur, tria neceſſaria ſunt. Primum, vt vt ſit auctoritas in mouente bellum, vt ſcilicet ſit ſupremus Princeps, & Reſpublica perfecta in temporalibus, aliàs illicitum eſſet, cum habeat ſuperiorem, apud quem via iuridica poſſit audiri; Secundum, vt iuſta, & rationabilis ſit cauſa mouendi bellum, ſcilicet iniuria illata, quæ per bellum iuſtè vindicanda, & compenſanda ſit, ſiue quia multa fecerit inimicus damna; quæ recompenſare non velit, ſiue quia Ciuitatem, vel alia ſimilia tyrannicè teneat: quia bellum eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ; Tertium eſt recta intentio, vt, ſcilicet, non odio, ſed iuſtitię zelo moueatur. B

Tres etiam aſſignantur cauſæ inferendi bellum in particulari; Prima eſt contumacia, & rebellio ſubditorum contra Principem, ſic Dauid mouit bellum aduerſus filium Bochri, eò quòd populum ſollicitauerit, vt à Dauid ad ipſum deficeret. 2. Reg. 20. Secunda, ad repetenda ea, quæ ab hoſte per violentiam detinentur, ſic Dauid mortuo Saule geſſit bellum cõtra Isboſet filium Saulis, quia occupare nitebatur Regnum Iſrael, quod Dominus per Samuelem ipſi Dauidi conceſſerat. 2. Reg. 2. Tertiâ, quãdo negatur id, quod iure eſt debitum, qua de cauſa filij Iſrael debellarũt Reges Amorreorum, quia eis tranſitum, qui de iure naturæ ipſis debebatur, negauerant. Num. 21. Sed de his plura, cum de Charitate. *2. Reg. 20.* *2. Reg. 2.* C *Num. 21.*

Ad id, quod quæritur, dicendum eſt, quòd in bello iuſto, & licito, licet occidere, quare in hoc inſpiciendum maximè eſt bellum ipſum, quoniam, ſi non ſit licitum, neque in eo licet occidere, ſecus autem, ſi iuſtum, & licitum ſit.

A

De Cauſis, ſeu occaſionibus, aut motiuis Homicidij.

Cap. IV.

COmmittitur multis de cauſis homicidium, ſed vt circa hoc aliquid ordinatè videamus, ſupponimus, quòd hoc peccatum oritur aliquando ex odio in proximum; Aliquando ex Ira; Aliquando ex Inuidia; Aliquando ex Crudelitate, de quibus erit ſingillatim ſermo.

De Odio. Odium itaq; eſt maleuolentia, qua quis vult malum alteri abſolutè, hoc eſt, ſolùm, quia illius perſona diſplicet; Et tale odium eſt ex genere

B ſuo peccatum mortale, quia opponitur Charitati debitę ergà proximum; Per accidens poteſt eſſe pecatum veniale duobus modis, primò ob actus imperfectionem, quia non eſt ex perfecta deliberatione rationis, ſecundò ob paruitatem materiæ. Silu. Verb. Odium. *Silueſter.* Ex odio tunc quis alium occidit, quando ex eo ſolùm illum occdit, quòd auerſatur perſonam illius, quia videlicet illius perſona diſplicet, & eſt auerſioni, & abominationi, & ipſam perſonam proximi, quatenùs abominatur, vult non eſſe. Optare, & velle malum aliquod temporale proximo ob bonum ſpirituale, vt ſcilicet, illud infligatur à Deo, puta, infirmitatem, vel rei temporalis iacturam, vel aliquod aliud detrimentum, vt reſipiſcat à peccatis, & ad Deum conuertatur, non eſt peccatum, ſed licitum. Nauar. Cap. 15. *Nauarr.* n. 10. Item licitum eſt optare alicui mortem temporalem, vt ſic conuerſus ad Deum mætu mortis, ſaluus fiat; Propterea optare prędicta ob bonum ſpirituale proximi, non eſt optare illi malum, vt malum, ſed vt bo-

C num, nimirùm morbum, & ſimilia, vt medium vtile ad eius conuerſionem, & bonum ſpirituale animæ. Sotus. 1. De Iuſtitia. q. 12. art. 7.

De Ira. Ex ira tunc aliquis alium occidit, quando mouetur ex appetitu vindictæ, vt ſcilicet vindicet iniuriam ſibi ab alio illatam, aut quam putat, ſe accepiſſe ab illo. Ira enim eſt appetitus vindictæ, ideſt, deſiderium, quo quis vult alicui malum ob vindictam. Nauarr. in Man. c. 23. num. 115. Differt autem ab odio, quia ira eſt, per quam volumus malum alicui ad vindicandum nos de illo, odium verò, quo volumus malum ipſi abſolutè. Ira eſt peccatum in multis caſibus. Primò, quando quis appetit, *Ira in quib. caſibus pecc.*

vt

vt alius puniatur, qui nihil mali eſt meritus; Secundò, quando appetit, vt alius puniatur, plus, quàm meruit; Tertiò, quando ſine debito ordine appetit punitionem alterius, nimirùm ab eo, qui non poteſt iure punire. Quartò, quando appetit puniri alium abſq; debito fine, ideſt, non ob bonum tuendum, aut culpam puniendam, ſed ob malum finem; Quintò, quando appetit puniri abſq; debito modo, nimirum, ſi immodicè iraſcatur quis, ita vt Deum blaſphemet, vel maledicat proximo, vel ſi grauiter, aut extremè ægenti non ſubueniat. In prædictis caſibus, ſi adſit plena animi deliberatio, aut vindicta ſit grauis, Ita ſemper eſt peccatum mortale; Si verò ſit vindicta exigua, qualis erit, Exempli gratia, Puerum leuiter percutere, vel per capillos trahere, aut ſi deliberatio volũtatis eſt imperfecta, eſt ſolùm peccatum veniale. Silu. Verb. Ira. A

Inuidia eſt triſtitia de bono alterius, vt proprium noſtrum bonum impedire, vel minuere putatur. Nauarrus. Man. Cap. 23. n. 118. Licet autem aliquando de alterius bono triſtari, Primò, ſi ab eo mihi imminet malum; Secundò, vt mihi illud bonum deeſt, & habere illud opto, ſiue alius habeat, ſiue non; Tertiò, ſi ille eſt indignus illo bono. Triſtari verò de bono alterius, quatenùs impedit, vel minuit propriam gloriam, vel honorem, vel laudem, vel excellentiam, vel commodum eſt inuidia, & peccatum, & ex genere ſuo mortale, & tunc non licet; Poteſt tamen eſſe veniale ex ſubito motu, & affectu cordis nato ex imperfecta deliberatione rationis, & ſi de bonis exiguis. *De Inuidia, Nauarr.* B

Crudelitas opponitur Clementię ſicut Ira Manſuetudini. Clementia eſt Virtus, quæ moderatur humanum affectum in pœnis imfligendis, ne quis puniatur plus, quàm par eſt; Manſuetudo moderatur affectum irę, & appetitum vindictæ. Crudelis, ſæuus, fęrus dicitur ille, qui ex animi aſperitate plus punit, quàm ratio dictet, & in ſic puniendo, delectatur, quia aliquis cruciatur, & ità ſæuitia, vel feritas eſt belluarum magis, quàm hominũ, Crudelitas verò reperitur in hominibus, qui puniunt ob delictum, vel uindictam, ſed plùs, quàm oportet. Crudelitas eſt peccatum mortale, quando pœna, quæ ſumitur ob vindictam, maior, & grauior eſt, quàm oportet, & adeſt perfecta animi deliberatio, ſecus eſt veniale. *De Crudelit.* C

Obſeruandum autem eſt, quòd in peccatis internis aliquando eſt voluntas efficax, aliquando eſt ſola delectatio, quæ dici ſolet moroſa; Voluntas efficax eſt deſiderium, aut propoſitum faciendi aliquid, quod quis non facit, quoniam impeditur, quod certè faceret, ſi non adeſſet impedimentum; Delectatio, quæ dicitur moroſa eſt conſenſus deliberatus, quo aliquid placet nobis, licèt nolimus illud opere complere.

Obſeruandum ſecundò, quòd licitum eſt delectari ex effectu nato, &

A conſecuto ex morte, vel alienis malis, dummodo ipſa mors, vel malum proximi non placeat. Verbi gratia, poteſt quis licitè delectari ex hereditate ſibi proueniente ex morte patris, dummodo non delectetur ex morte Patris.

Obſeruandum Tertiò, quòd quoties in obiecto, vel opere cogitato aliqua ratio boni apræhenditur, abſq; apræhenſione mali, quod eſt in illo bono, tunc poſſet voluntas licitè dectari in illa ratione boni apræhenſa ſine delectatione mali. Exempli gratia. Decidit quis ex equo, & lęditur, ſed quia decidit modo quodam ridiculo, qui riſum parit, licitè poteſt quis delectari in illo modo ridiculo, dummodo non placeat damnum proximi ſecutum ex illo caſu.

De Pœnis Homicidæ.

B

Cap. V.

BRreuiter in hoc Capite innuentur tantùmmodo pænæ, quas homicida incurrit, quarum pręcipuę ſecundùm communem Doctorum ſententiam ſunt ſequentes.

Primò; Homicida peccat mortaliter. Secundò, incurrit irregularitatem, & quandoq; etiam excomunicationem. Tertiò, tenetur (inquit

Nauarr. Nauarrus) Parentibus, filijs, aut cognatis occiſi quancumq; iacturam, quam illi ratione næcis perperſſi ſunt, quod quidem iuſtum eſt. Hæc ex

Scotus. Scoto. Panormitan. in Cap. 1. De Iureiur. Tantum (ait) hæredibus de-

Abbaſ. functi reſtituendum eſt, quantum ille viuens ſuo labore, aut arte lucrari poterat, quod quidem videtur iure quinquaginta aureis æſtimatum eſſe.

C Hęc Nauarrus in Man. Cap. 15. n. 14. Debet inſuper homicida patienter perfærre mortis pænam ſibi, iuxtà legem, inflictam, non tamen tenetur, nec debet eam ſibi infærre. Ex Scoto in 4 d. 15. q. 3. art. 2. Vbi etiam habet, quòd, ſi pænam mortis non ſubeat, ſaltem expediret tali, reliquum vitæ tempus contra infideles tranſigere.

F. VIN-

F. VINCENTII A
DE MONTE REGALI
Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Septimus.

De Sexto ſimul, & Nono Decalogi Præceptis.

Non Mechaberis. Non concupiſces Vxorem Proximi tui. B

De Intelligentia Sexti, & Noni Decalogi Præcepti, et quid in Sacra Scriptura nomine Mæchiæ, ſiue fornicationis intelligatur, quidue in his Præceptis prohibeatur.

Cap. I.

SVppoſito, in præceptis negatiuis vnum expreſsè prohiberi, & alterum implicitè præcipi, in hoc Sexto præcepto expræſsè prohibetur mæchari, implicitè verò, præcipitur colere caſtitatem Animi, & Corporis. C

Notandum Primò eſt, quòd nominè mæchiæ (quòd propriè Adulterium ſignificat) prohibetur quæcumq; carnalis copula extra legitimum matrimonium, & conſequenter omnia antecedentia, & conſequentia, quæ ad impudicitiam, & libidinis ſpurcitiam inducere poſſunt, qualia ſunt opera externa quæcumque, vt tactus, amplexus, oſcula, locutiones, ornatus laſciui, literæ amatoriæ, viſitatio-

A nes huiuſmodi locorum, & cætera talia, quæ omnia, & alia quæcumque inhoneſta, & impudica hoc Sexto Præcepto ſub nomine Mæchiæ prohibentur. Cap. Meretrices. 11. in ord. 32. q. 4. ex D. Aug. in quæſt. Deut. q. 37. Ad c. 23. Meretrices eſſe, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publicè venalis eſt turpitudo. In Decalogo autem mechiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuiſſe, quoniam mæchia non niſi adulterium intelligi ſolet. Idem, ſuper Exod. q. 71. Omnis mæchia, etiam fornicatio, dicitur in ſcripturis. Sicut furti nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, (non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed vtique à parte, totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi, auſertur) profectó et nomine mechiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi. Et Mag. Sent. in 3. diſt. 37. *Non mechaberis*, ideſt ne cuilibet miſcearis, excepto fœdere matrimonij, à parte enim totum intelligitur.

S. Auguſt. 32. q. 4. C. Meretrices.

Mag. Sent.

B S. Bonauent.

S. Bonauentura ibidem in dubijs literæ Dub. 6. ſic habet. In mandatis Decalogi prohibentur peccata, & maximè in mandatis Secundæ tabulæ, ſecundùm quod ſunt ad nocendum proximo ordinata, & quoniam quantùm ad peccatum carnis, magis offenditur proximus per Adulterium, hinc eſt, quòd illud præcipuè prohibetur, in illo tamen intelligitur prohiberi omnis illicitus coitus, & membrorum illorum abuſus, ſiue per peccatum fornicationis, ſiue per peccatum contra naturam; Prohibetur ergo illicitus vſus membrorum genitalium extra legem matrimonij, hinc eſt, quòd omnis ſeminis effuſio deliberatiua præter legem matrimonij, eſt illicita, & intelligitur, hìc prohibita per Adulterium, quod directè matrimonio repugnat.

D. Antoninus p. 1. tit. 14. c. 4. §. 10. Poſt iniuriam (inquit) propriæ perſonæ, nulla maior reputatur, quàm Adulterium, quod dicitur mechia, quæ committitur in perſonam coniunctam, quæ reputatur quaſi vna perſona cum coniuge. Matth. 19. *Itaq; iam non ſunt duo, ſed vna caro*, & quàmuis mæchia propriè dicatur Adulterium, ideſt acceſſus ad alienum thorum, tamen ſub iſto nomine intelligitur prohibita omnis ſpecies luxuriæ, & omnis actus venereus extra matrimonium.

S. Matth. C

Notandum ſecundò, quòd ideo in Decalogo potiùs expreſsè prohibetur mæchia, ideſt, Adulterium, quàm aliæ ſpecies luxuriæ, quia cum præcepta Decalogi pertineant ad iuſtitiam, quæ reddit debitum alteri, & vt nemini inferatur nocumentum, & iniuria, & magis fiat iniuria proximo per Adulterium, quàm per alios modos luxuriæ, ideo expreſsè prohibetur. Circa hoc poteſt induci illud Pſalmi, *Ambulans in via immaculata*

Digitized by Google

lata, hic mihi miniſtrabat. Quamuis enim omnis culpa mortalis maculam animæ ingerat, quæ macula non eſt aliud, quàm priuatio pulchritudinis animæ, quæ pulchritudo reſultat ex debita commenſuratione operum ſecundùm rationem cum quadam refulgentia gratiæ. Præcipuè tamen peccata luxuriæ magis dicuntur maculare hominem, quia corpus, famam, & Animam maculant, & abſorbent præ cęteris lumen rationis. Vndè Salomon propter luxuriam dicitur infectus Eccleſiaſtici 43. *Tu autem poſuiſti maculam in gloria tua, inclinaſti fæmora tua mulieribus.* In via ergo immaculata ambulat, qui caſtè viuit, & ſeruat illud præceptum, *Non machaberis.* Et hic vt ſeruus fidelis, & bonus, miniſtrat, ideſt ſeruit Domino. A *Eccleſiaſt.*

Notandum Tertiò, quòd quadrupliciter fit quis maculatus per luxuriam faciens contra hoc præceptum; Primò cum agit turpiter in ſeipſum; Secundò, cum cognoſcit nequitur vas fęmineum; Tertiò, cum inſurgit ſceleriter ad ſimilem ſexum; Quartò, cum accedit carnaliter ad brutum. Primo modo, dicitur Mollities. Secundo modo, dicitur Adulterium. Tertio modo, dicitur Sodomia. Quartò modo, dicitur Beſtialitas. Adulterium dicitur ſex modis; Primò dicitur Simplex Fornicatio. Secundò dicitur Struprum. Tertiò Inceſtus. Quarto Sacrilegium. Quintò Raptus. Sextus Adulterium. B

De mollibus dicitur. Cor. 6. *Neque Molles regnum Dei poſſidebunt.* Eſt peccatum mortale, & contra hoc pręceptum. Ratio, quia peccatum in humanis actibus eſt, quod eſt contra ordinem rationis; Habet hoc autem rationis ordo, vt quælibet ordinet in ſuum finem, & ideo non eſt peccatum, ſi homo per rationem vtatur rebus aliquibus ad finem, ad quem ſunt modo, & ordine conuenienti, dummodo ille finis ſit aliquod verè bonum; Eſt autem verè bonum, vt conſeruetur corporalis vita alicuius indiuidui, quod fit per eſum ciborum; Similiter bonum eſt, & magis excellens, vt conſeruetur natura ſpeciei, quod fit in generatione per actum venereum. Sicut ergo vſus ciborum, ſi non fiat ad debitum finem, ſcilicet ſubſtentatiooem corporis, vel non debito modo eſt peccatum, ita, vtendo venereis non ad finem humanæ generationis, vel indebito modo, vt cum non ſua, &c. eſt peccatum; Sed polluendo ſeipſum, certum eſt, quòd fruſtratur omninò intentio naturæ, cum non poſſit ſequi generatio, igitur peccatum eſt, & peccatum mortale, ex quo excludit a Regno Dei ſecũdùm Apoſtolũ. Si autẽ accidat emiſſio ſeminis in vigilia, vel in ſomno ſine procuratione aliqua, & præter omnem intentionem, non eſt peccatũ. *Cor. 6.* C

De cognoſcente non ſuam dicitur Tobiæ 4. nu. 13. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter Vxorem tuam, numquàm patiaris crimen ſcire.* *Tobias.*

Ma-

A Maculatur tertiò quis per vitium ſodomiticum, de quo ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus* (ideſt tradi permiſit) *in paſſiones ignominiæ* (ideſt in vitia immunda) *nam fæminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem, & maſculi relicto naturali vſu feminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Ad quanta mala tales deueniunt? *Et mercedem* (ſubdit Apoſtolus) *quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes, & ſicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum,* (ideſt tradi permiſit) *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, &c. vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Ad hoc etiam pertinet, vxore, vel alia femina abuti extra vas debitum; Vndè D. Auguſt. De Adulterinis coniugijs. & refertur. 32. q. 7. Cap. Adulterij malum. 11. in ord. Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur autem ab inceſtu, peius eſt enim cum matre, quàm cum aliena vxore concubere, ſed omnium horum eſt peſſimum, quod contra naturam fit, vt ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo voluerit vti, &c. Dicitur tale vitium peſſimum, quia deſtructiuum humani generis, Vndè dicitur de ſodomitis, quòd erant peſſimi coram Domino, quos Deus igne, & ſulphure conſumpſit, & ciuitates ſubuertit. Gen. 19.

S. Auguſt. *32. q. 7. C. Adulterij malum.* B *Geneſ.*

Maculatur quartò quis Brutis ſe commiſcendo; Vndè Exod. 22. nu. 18. habetur, *Qui coierit cum iumento, morte moriatur.* Et Leuit. 20. n. 15. *Qui coierit cum iumento, aut cum pecore, morte moriatur, pecus quoque occidete.* Vbi D. Aug. ſuper Leuit. ad c. 20. q. 74. Quæritur, quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationale, nec vllo modo legis capax? Et infrà, Pecora indè credendum eſt iuſſa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

Exodus. *Leuiticus.* *S. Auguſt.*

Præter hos autem quatuor præcipuos modos, quibus maculatur homo faciens contra iſtud ſextum præceptum, facit etiam contra illud, qui cum vxore, vel alia extra vas debitum fundit ſemen, ne ſcilicet generet, & inde ſcandalum oriatur, vel ne grauetur alendo filios pauper exiſtens; In quod vitium incidentes Her, & Onan filij Iudæ mala morte perierunt. Peccat etiam contra hoc Præceptum, qui vxorem ſuam debito modo cognoſcit cauſa delectationis vltra limites Matrimonij, ideſt, tanta concupiſcentia, vt etiamſi non eſſet vxor, eam, vel aliam mulierem cognoſceret, vt ſatisfaceret voluptati ſuæ. S. Bonauentura in 4. & S. Tho. & de tali intelligitur illud D. Hyer. contra Iouinianũ lib. 1. Et refertur 32. q. 4. Cap. Origo 5. in ord. Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis, nihil autem intereſt quàm ex honeſta cauſa quis inſaniat. Vndè, & Xyſtus in ſententijs, Adulter eſt (inquit) in ſuam vxorem amator arden-

C *S. Bonauent.* *S. Thom.* *S. Hyeron.* *32. q. 4. Origo.* *Xixtus.*

ardentior; In aliena quippe vxore, omnis amor turpis eſt, in ſua, nimius. A
Sapiens vir Iudicio debet amare coniugem ſuam, non affectu. Gloſſa. *Gloſſa.*
Explendæ libidinis. Nil fœdius, quàm vxorem amare, quaſi adulteram.

Vltimò Notandum eſt, quòd quinque etiam, vltrà prędicta, hoc præcepto prohibentur. Primò, deſiderium, & affectus deliberatus rei venereæ, & ipſius operis, quod eſt peccatum mortale. Secundò, Oſcula, tactus, amplexus ob carnalem delectationem, & ſunt peccata mortalia, quàmuis homo non intendat copulam, ſed ſolùm delectationem carnalem ex ijs inſurgentem. Et ſi eſt periculum pollutionis, etiam inter coniuges eſt peccatum mortale. Tertiò, videre viros, aut fæminas animo concupiſcendi ad copulam, eſt peccatum mortale. Ad ſolam tamen delectationem, quæ inſurgit ex viſione, non eſt peccatum mortale: Idē de auditu, & de locutione de rebus venereis, ſi deliberatio non tranſit ad res ipſas, quæ per talia verba exprimuntur, quia, ſi tranſit, eſt peccatum B
mortale. Quartò, Opera externa, quæ ſunt ordinata ad rem veneream, & hoc animo facta, ſunt peccata mortalia, vt veſtire ſe nouis veſtibus, vt ab alijs concupiſcantur, ſcribere literas amatorias, viſitare loca talia, & huiuſmodi. Quintò, Delectatio moroſa eſt peccatum mortale; Dicitur *moroſa* cum homo conſentiat illi delectationi liberè, aut cum poteſt prohibere, & tenetur, non prohibet, vt conſentiendo delectationi, aut eam non expellendo cum poteſt, & tenetur.

De Speciebu luxuriæ.

Cap. II.

Diuerſæ ſunt luxuriæ ſpecies, & diſtinctè in Cōfeſsione Sacramētali aperiendæ. Si peccatū carnis committitur à ſoluto cum ſoluta, dicitur ſimplex fornicatio; Si cum Virgine, dicitur Stuprum; Si cum conſanguineis, & affinibus, dicitur Inceſtus; Si cum Clericis, vel Monialibus, dicitur Sacrilegium, ſic etiam cū Patribus, & Matribus ſpiritualibus; Si per violentiam mulieris, vel parentum, dicitur Raptus; ſi cum alterius vxore, dicitur Adulterium, De quibus. 1. Cor. 6. Et ad Epheſ. 5. C *Prima luxuriæ dicitur.*

Tria mala facit mulier adulterans, quę mala notantur Eccleſiaſtici 23. num 32. *Omnis mulier relinquens virum ſuum primò in lege Altiſſimi incredibilis fuit, ſecundò in virum ſuum deliquit, tertiò in Adulterio fornicata.* *Eccleſiaſtic.*

A *nicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi*. Et ſic legi Dei non credit, qui committit adulterium, & ſacramentum violat, fidem frangit viro, & proditionem, & furtum, ſi generat ex adulterio filios, quos nutrit de ſubſtantijs viri. Vir etiam adulterans tria mala committit, Primò, cum ſit caput vxoris, debet eam exemplo ſuo ducere ad honeſtatem, & facit contrarium; Secundò, quia habet rationem magis vigoroſam, quàm mulier, poteſt, & debet magis reprimere concupiſcentiã; Tertiò facit

S. Auguſt. contra æquitatem quia ita tenetur ſeruare vxori fidem, ſicut vxor viro, Hinc D. Aug. lib. de decem Cordis. *Non mœchaberis*, ideſt non ibis ad aliam, quàm ad vxorem tuam; Tu exigis hoc ab vxore, & non vis hoc reddere vxori, cum tamen debeas in virtute vxorem præcelere, quoniã Caſtitas virtus eſt; Vis tuam vxorem victricem eſſe, & tu victus iaces.

Secũda luxuriȩ diuiſio. Et hæc quidem eſt prima diuiſio, quȩ luxuriæ ſpecies diſtinguit.

B Secundò. Tot ſunt luxurie ſpecies, quot ſunt deformitates circa finem, & modum vtendi hoc actu venereo. Communiter quidem (vt tactum eſt) ſex principales luxuriæ ſpecies numerantur, ſcilicet, Simplex fornicatio. Adulterium. Stuprum. Inceſtus. Raptus. Vitium contra naturam. 36. q. 1. Cap. Lex illa. Videatur textus illius Cap. & Gloſs. *36. q. 1. Lex illa.*

De Fornicatione. Fornicatio videtur deſcendere ab hac voce *Fornix*, quæ ſignificat loca quȩdam concamerata ad modum arcus, in quibus locis meretrices ſe proſtrare ſolebant; Vndè fornicari nihil eſt aliud quàm rem cum meretrice habere. Apud Theologos ſignificat actũ venereũ quocũq; modo fiat. In Sacra Scriptura omnis actus, qui eſt peccatũ mortale dicitur fornicatio, inquantùm ſcilicet, quis per illud recedit à Deo vero animȩ ſponſo, iuxtà illud Pſ. 72. *Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te* Gloſſ. Qui recedunt à te per peccatum mortale. Aliquãdo fornicatio ſumitur pro Idolatria, & infidelitate iuxtà illud Oſeæ. 4. n. 12. *fornicati ſunt à Deo ſuo*. Et Hier. 3. n. 1. fin. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*. Aliquando omnis actus luxuriæ dicitur fornicatio 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, vt vxorem Patris ſui habeat aliquis veſtrum*. Propriè tamen, licèt videatur genus cuiuslibet illiciti coitus, qui fit extra vxorem legitimam, intelligitur ſpecialiter tamen in vſu viduarum, vel meretricum, & ſumitur pro illicito concubitu hominis inter ſolutum, & ſolutam, & dicitur fornicatio ſimplex, quia fit abſq; alia deformitate.

Pſal. 72. Gloſſ. Oſeæ. Hierem. 1. Cor. 5. C

Leuit. 20. Adulterium eſt alieni thori violatio, & dicitur, quaſi *ad alterius thorum acceſſio* Et contra ipſum omnia Iura clamant. In lege Vet. Leuitic. 20. num. 10. Adulteri vltimo ſupplicio lapidibus obruebantur. *Si mœchatus* (inquit) *quis fuerit cum vxore alterius & adulterium perpetrauerit cum*

coniuge

coniuge proximi ſui, morte moriatur, & Mœchus, & Adultera. Lege A
Eccleſiaſtica, Laici Adulteri per Iudicem Eccleſiaſticum excommunicari
poſſunt; Sacerdos Adulter ſuſpenditur ab officio. Cap. Significaſti. De
Adult. 5. in ord. Cæteræ ſpecies ex dictis patent.

Tertiò. Progreſſus luxuriæ fit per ſeptem gradus. Primus eſt, Senſua-
lis complacentiæ tolleratio; Secundus Moroſa delectatio; Tertius, in
actum Conſenſus; Quartus, impudica Aſpectio; Quintus, Turpis con-
fabulatio; Sextus, libidinoſa contractatio; Septimus, Operis Expletio.
De Primo poteſt intelligi illud Iſaiæ. 1. *Auferte malum cogitationum ve-* *Iſaias.*
ſtrarum ab occulis meis ait Dominus. ideſt, Cogitationes veſtras, inquan- *Hierem.*
tùm ſunt malæ, vt cogitationes luxuriæ. De ſecundò illud Hier. 4. *Vſque-* *Sapientia.*
quo morabuntur apud te cogitationes noxiæ? Et illud Sap. 1. *Peruerſæ cogi-* *S. Mattheus.*
tationes ſeparant à Deo. De Tertio illud Matt. 15. *De corde exeunt mala*
cogitationes, homicidia, fornicationes, Adulteria. De quarto illud Mattei. 5.
Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iàm mœchatus eſt in corde ſuo. B
De Quinto illud Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* De Sex-
to, illud Epheſ. 5. *Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo nec* *Ad Corint.*
nominetur in vobis. De ſeptimo, illud ad Galatas. 5. *Manifeſta ſunt opera* *Ad Epheſ. 5.*
carnis, quæ ſunt, &c. Qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt. *Ad Gal. 5.*
Conſtat ergo, quòd luxuria propriè eſt amor concupiſcentiæ circa vo-
luptates venereas, quibus animus facilè diſſoluitur, Vndè rationem per-
turbat, intellectum hebetat, memoriam euertit, obliuionem immittit,
errorem in fundit, ignorantiam inducit, & hominem beſtiam facit. Seneca. *Seneca.*
Luxuriâ virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam
conuertitur, animi, & Corporis vires expugnantur. Valerius Maximus. *Valer. Max.*
Luxuria inimica virtutibus perdit omnem ſubſtantiam Patris, & à patris
voluntate declinans futuram paupertatem cogitare non finit. D. Hyero- *S. Hieron.*
nimus de filio prodigo. Hoc enim nephas eſt (ſcilicet ſcortatio) & ini-
quitas max ma, Ignis eſt vſq; ad perditionem deuorans, & omnia era-
dicans genimina. Iob. 31. n. 20. *Iob.*

Quartò, ex hoc poteſt ſumi diſtinctio in peccatis luxuriæ, quia actus C
venereus (vt dictum eſt) tunc malus eſt, cum quis illo vtitur contra or-
dinem rationis, hoc eſt, cum quis illo vtitur non ſecundùm finem, ad quē
à natura ordinatur ac etiam modo debito, & conuenienti. Finis huius
actus principalis eſt procreatio prolis, Vndè omnis actus veneræus, &
carnalis, qui fit extra intentionem procreandi prolem, aut ex quo impe-
ditur procreatio prolis, peccaminoſus eſt, & peccatum mortale. Modus
debitus, & conueniens eſt, vt homo ſua Vxore vtatur ſibi per legitimum
matrimonium coniuncta, & ſic fornicatio omnis cum non ſua, quàmuis

A ſit actus naturalis, & ad finem procreandi prolem intenta, peccaminoſus eſt, & peccatum mortale.

In duobus autem caſibus fornicatio non eſt peccatum; Primus eſt, cum deficit vſus rationis; Secundus eſt ex parte patientis, puta, cum fœmina comprehenſa cogitur ad coeundum, tunc enim ſi non conſentiat interiùs, etiamſi delectationem ſentiat, non peccat, quia delectatio illa eſt naturalis, non voluntaria. Nauarr. c. 16. num. 1. Quòad grauitatem verò peccati, abſolutè, & per ſe loquendo, grauiùs peccat maſculus, & Vir, quàm fœmina, quia vir magis pollet ingenio, & ratione; In caſu, & per accidens, grauiùs peccat fęmina, puta in Adulterio, propter damnũ, quod infert Adultera, cum ſupponat filios adulterij, quia multoties, legitimi hæredes priuantur hæreditate, quod non contingit in viro. Sil. Luxuria q. 3. Verſ. 3. Tolet. lib. 5. cap. 10.

Nauarr. *Siluester.* *Toletus.*

B Peccans cum vidua, committit fornicationem ſimplicem (vt dictum eſt) non adulterium, grauiùs tamen peccat, quàm ſi peccaret cum meretrice, non tamen diſtinguitur ſpecie à fornicatione ſimplici. Sed vidua, bona mariti defuncti ſibi relicta cum hoc addito *Si caſtitatem ſeruauerit*, tuta conſcientia retinere non poteſt, ſi fornicata fuerit. Nau. vbi ſupra.

Nauarr.

De Oſculis, Tactibus, & Amplexibus impudicis.

Caput III.

C TRiplicis generis ſunt humani Tactus, Quidam enim ſunt ex genere ſuo venerei, ſeu impudici, & ſunt illi, qui fiunt in illis partibus, quas natura inſtituit ad prolem procreandam, cæteri namque tactus vtiq; poſſunt eſſe impudici, ſed ex mala intentione, vel abuſu vtentis illis. Quidam ſunt honeſti, ſecundùm conſuetudinem patriæ. Quidam verò ſunt indifferentes.

Dupliciter autem conſiderantur tactus, Phyſicè, & Moraliter. Actus phyſicus, cum ſit recta intentione ſine periculo, & ſine ſcandalo, eſt licitus. Actus libidinoſus eſt peccaminoſus, & ex genere ſuo eſt peccatum mortale, ſi moraliter ſumatur. Nauarr. cap. Si cui. De pœnit. diſt. 1. n. 13. Ex quo infertur, quòd tactus indifferentes ſunt liciti. Vbi tamen valdè aduertendum eſt, quòd tactus, qui in vno loco ex natura ſua ſunt indifferentes, in alio loco ſunt mali, vel inclinant potiús in malum, quàm in bonum,

Nauarr.

num, vt oſcula, amplexus. Si etiam tactus indifferentes fiant ex libidine, ſunt peccata mortalia in non coniugatis. A Si fiant ſine mala intentione, ex leuitate, vel curioſitate, etiam cum primo motu delectationis, extra matrimonium ſunt peccata venialia, dummodò non interueniat conſenſus libidinoſus, vel periculum, vel ſcandalum. Ex Nauarro. In praxi, difficilè eſt euadere peccatum mortale, & ſi fiant prædicti tactus principaliter propter delectationem ſenſualem, etiamſi non referantur in alium finem malum, ſunt peccata mortalia.

Non eſt tamen eadem ratio de aſpectibus, quia aſpectus non ordinantur ſecundùm ſe ad venerea, ſicut tactus, Qui ad eam luxuriæ ſpeciem reducuntur, in qua eſſent, ſi ſequeretur coitus, propterea, in confeſſione aperienda eſt circumſtantia perſonæ.

Si tactus iſti fiant inter ſponſos de futuro ſine periculo pollutionis, vel conſenſus illiciti, vel ſcandali, excuſantur à peccato mortali, aliàs non excuſantur. B Ex Nauarro. Cap. 16. Inter coniugatos autem de præſenti ſunt liciti. Silu. verb. Debitum q. 7. *Siluester.*

Mulier autem, cum tangitur, ſi tactus ſunt impudici, tenetur reſiſtere, aliàs peccat mortaliter, ſimiliter cum conſenſit in turpes affectus, *Nauarr.*

Quatuor autem valde notanda obſeruat circa hanc rem Nauarrus dicto Cap. Si cui. De Pænit. diſt. 1. num. 9. Primò, Nec viſus, nec tactus eſt de ſe peccatum, etiam veniale, ſi fiat honeſta de cauſa, & ſine delectatione venerea, neque etiam ſi fiat cum illa primo motu inſurgente. Secundò, tàm viſus, quàm tactus eſt peccatum mortale, ſi fiat deliberatè ad habendam delectationem veneream, vti præambulam ad actum carnalem, immò etiam ſi fiat deliberatè ad habendam ſolam delectationē veneream ſine relatione ad copulam carnalem. Tertiò, Nec tactus, nec viſus ex cauſa honeſta factus, eſt peccatum, propterea quòd ex eo inſurgat delectatio venerea in ſenſualitate, contra, vel præter voluntatem rationalem tangentis, vel videntis, ſi nullus conſenſus voluntatis portionis ſuperioris animæ accedat. C Quartò, Nec tactus, nec viſus, ex cauſa illicita, ſed non luxurioſa factus, erit maius peccatum propter primum motum inſurgentem contra, vel præter voluntatem tangentis, vel videntis, quàm ſi ille non inſurgeret.

Quantùm ad viſum ſpecialiter, & præciſè, notandum eſt, quòd Mulier, quæ ſcit, ſe aſpici ad concupiſcentiam non tenetur prætermittere, vel iter diuertere, niſi fruſtra præberet illam occaſionem, ſine neceſſitate; Nauarr. cap. 14. num. 3. Delectari verò in aſpectu mulieris, vel iuuenis, ſi fiat turpi affectu, vel cum periculo pollutionis, aut conſenſus in peccatū mortale, erit peccatum mortale, ſi fiat ob bonum finem eſt licitum, ſi fiat

Digitized by Google

A excurioſitate ſine periculo, vel ſcandalo, erit peccatum veniale. Nau. cap.
Nauarr. 16. num. 11. Non peccat mortaliter ille, qui tangit, aut videt mulierem pulchram, aut quæ tangit, vel videt virum pulchrum, cauſa vanitatis, leuitatis, curioſitatis, vel, &c. non dirigendo id ad carnalem copulam, nec ad delectationem veneream, ſed ad quandam aliam vanam animi recreationem, vel aliam venialiter tantùm malam, etiamſi exinde inſurgat delectatio venerea contra, vel præter voluntatem eius, nullo aſſenſu Superioris portionis animæ, accedente.

De Pollutione. Cap. IV.

Dvplicis generis eſt Pollutio, Quædam fit in ſomnis; Quædam in vigilia, & hæc eſt duplex, Quędam fit abſque conſenſu, &
B dicitur pollutio inuoluntaria, quæ accidit ijs, qui patiuntur fluxũ ſeminis. Quędã fit cũ conſenſu, & dicitur pollutio volũtaria Pollutio primi generis, fit tripliciter, Aliquãdo tota in ſõnis; Aliquãdo motus corporis, accidit in ſõnis, emiſſio verò ſeminis fit ferè in vigilia, ita quód homo non habet plenam libertatẽ, illam cohibendi; Aliquando emiſſio ſeminis partim fit in ſomnis, partim, in vigilia, & licèt aliquando homo ſit perfectè expergefactus, non tamen habet poteſtatem cohibendi ſe. His viſis dicendum.

Primò. Pollutio, quæ fit in ſomnis, cum fiat abſque vſu rationis, in ſe non eſt peccatum, quia non eſt voluntaria. Secundo, & tertio modo, poteſt eſſe peccatum veniale, ſi homo habet aliquem vſum rationis, & poſſit ſe cohibere, ſed imperfectè non plenè, quia ſi plenè, eſſet peccatum mortale, non cohibendo.

Secundò. Pollutio, quæ fit in vigilia, ſed abſque conſenſu, immò inuo-
C luntariè, ideſt, homine nolente, de ſe nõ eſt peccatum, quia eſt naturalis.

Tertiò. Si voluntas cohibeat conſenſum, & patienter hoc ferat, eſt materia magni meriti.

Quartò. Pollutio voluntaria, ſcilicet, quæ fit homine ipſo volente, & conſentiente, eſt peccatum mortale, & dicitur mollities. De qua
1. Cor. 6. 1. Ad Cor. cap. 6. num. 10. *Molles Regnum Dei non poſſidebunt*.

Obſeruãdum eſt, quòd duobus modis pollutio poteſt eſſe peccatum, Vno modo in ſe, Alio modo in cauſa, ſeu in antecedentibus ipſam. In cauſa tribus modis, Primo, in deſiderio, & affectu deliberato, vt ſi quis deliberatè deſideret habere pollutionem, ob delectationem carnalem. Secundo, in procurando ipſam, vt veſcendo cibis calidis, vel tali ſitu in

lecto

lecto accumbendo, eo animo, vt in ſomno eueniat pollutio; Tertio, in non coercendo cauſam futuræ pollutionis. A

Articulus Primus.

De Pollutione in Cauſa.

POllutio in deſiderio, & affectu deliberato, quo quis deliberatè deſideret habere pollutionem ob carnalem delectationem, eſt peccatum mortale; Si quis verò non ob carnalem delectationem, ſed propter bonum aliquem finem deſideret pollutionem, puta propter ſanitatem, vel ad leuandas carnis tentationes, quibus aliquando affligitur non peccat. Nauar. Cap. 16. n. 7. cum hoc tamen, quod tale deſiderium non ſit cauſa pollutionis, nam quibus affligimur, ſolent in ſomnis accidere; Verùm ſi tale deſiderium ſit ex quo probabiliter non timeatur pollutio, quia magis eſt ſpeculatiuum, quam practicum, nec eſt multùm intenſum, non damnarem peccati mortalis; Securiùs tamen eſſet à tali deſiderio abſtinere. Toletus. *Nauarr.* B *Toletus.*

Pollutio in cauſa, quæ fit procurando ipſam cibis, & ſimilibus, ſemper eſt peccatum mortale, quàmuis propter ſanitatem procuretur, nec valet dicere, licitum eſt deſiderare pollutionem propter ſanitatem, ergo, licitum erit illam procurare; Sicuti non valet, licet deſiderare mortem alicuius, quia eſt homo iniquus, ergo licet eum occidere.

Pollutio, quæ ſequitur non coercendo cauſam, eſt aliquando peccatum, aliquando verò non. Quocirca diligenter animaduertendum eſt, quòd ad hoc, vt in non remouendo cauſam futuræ pollutionis ſit peccatum, non nulla ſunt neceſſaria; Videlicet, vt homo probabiliter cognoſcat cauſam futuræ pollutionis, & ipſam aduertat, aut debeat aduertere, ſi enim homo facit, vnde pollutio ſequitur, & cognoſcit probabiliter, quòd indè eueniet, aut ſi non cognoſcit ex maxima negligentia, non excuſatur à peccato. Dixi *Probabiliter cognoſcat*, quia, ſi dubitet de futura pollutione, & non habeat moralem certitudinem, non erit peccatum mortale, ſed veniale tantùm, Vt qui veſcitur cibo, ex quo dubitat pollutionem induci; Neq; ſatis eſt aduertere, ſed opus eſt vt poſſit talem cauſam remouere, quia, ſi non poteſt, non peccat, niſi in eam conſentiat, & complaceat. C

§ *Vnicus*

A

§ Vnicus. An quis ſemper teneatur remouere cauſam, ex qua videt pollutionem ſequi.

PER Quatuor Concluſiones ad hanc difficultatem reſpondeo.

Prima Concluſio. Quando cauſa eſt bona, & recta, non tenetur quis eam auferre, nec peccat non auferendo. Exempli gratia; Qui ſtudet, vt doceat, & propter neceſſitatem, non propter curioſitatem, quia ſi ſtudeat propter curioſitatem, tenetur ommittere ſtudium; Qui audit confeſſiones. &c.

B Secunda Concluſio. Quando cauſa non eſt mala, & ex ipſius ablatione ſequitur nocumentum, non tenetur eam auferre. Exempli gratia, Ex eo, quòd quis hoc modo accumbit, aduertit, ſe pollutionem incurſurum, ſi is aliter dormire non poſſit, non tenetur alio modo accumbere. Similiter, qui non habet cibos, niſi tales, ex quibus pollutionem timet, non tenetur abſtinere, ſi talis abſtinentia illi noceat.

Tertia Concluſio. Si cauſa eſt mala, aut talis, vt eius ablatio non inferat nocumentum, nec bonum aliquod impediat, tunc tenetur auferre, & non auferendo, cum aduertit, vel debet aduertere, peccat.

Quarta Concluſio. Poteſt etiam euenire pollutio ex dæmonum illuſione, & ex naturæ debilitate, vel fortitudine, & tunc nullum eſt peccatum in effectu. Si verò quis in facta pollutione complaceat, peccat. Et huiuſmodi complacentia poteſt eſſe, & ob delectationem, & ob ſanitatem, vel vt tentationes carnales non ſint ita vehementes. Si ob delectationem, peccat. Si ob ſanitatem, & tentationes, non peccat. Nau. ſupra. Nauarr.

C

Articulus Secundus.

De Pollutione in vigilia.

PRima Concluſio. Pollutio in vigilia, in duobus caſibus poteſt eſſe peccatum; Primò, ſi complacentia ſit deliberata in delectatione illa, eſt peccatum mortale. Si non eſt omninò deliberata, eſt peccatum veniale tantùm. Secundò ſi homo non aufert cauſam, quam cognoſcit, & po-

& poteſt, & tenetur auferre, peccat mortaliter. Si non tenetur aduertere, puta, quia eſt bona, aut non eſt mala, ſiue auferri non poteſt ſine graui detrimento, non peccat, non auferendo. Vndè Conſtantius, ſi dùm audit confeſſiones, patiatur pollutionem, non ob id tenetur non audire, niſi ſit periculum complacentię in pollutione. Si eſt periculum complacētiæ, tenetur auferre occaſionem peccati, & relinquere confeſſiones. A

Secunda Concluſio. Pollutio voluntaria eſt grauiſſimum peccatum, nec licet propter ſanitatem, nec propter vitam, nec propter quemcumq; finem, Vndè medici, qui talem actum conſulunt, propter ſanitatem, grauiſſimè peccant, & qui illis obediunt, non excuſantur á peccato mortali. De pęnis Medicorum habetur lib. 5. Decretal. tit. 28. De Pęnit, & remiſs. Cap. Cum infirmitas. 13. in ord. fin. Et Verba Canonis ſunt, Cęterum, cum anima ſit multò prætioſior corpore, ſub interminatione Anathematis prohibemus, nè quis medicorum pro corporali ſalute, aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur. B

Tertia Concluſio. De Coniugibus dicendum eſt, quòd inchoatum coitum relinquere, non conſentiente altero coniuge, eſt peccatum mortale. Ac etiam citra periculum effundendi ſemen, videtur peccatum relinquere ſeminationem, per ſe loquendo, quoniam coitus eſt ordinatus à natura ad prolis generationem; ergo contra naturam eſt, inchoatum coitum relinquere, & generationem impedire, & impedire, ideſt, relinquere coitum, ne ſeminet. Ob aliquam tamen iuſtam cauſam, poteſt coniugalis coitus incæptus relinqui ante ſeminationem, nimirùm, ſi ſit periculum vitę graue ſuperueniens, poſtquam coitus incæptus eſt, aut ſi cōmodè compleri non poteſt ob vrgentem cauſam ſuperuenientem.

§ *Vnicus. Vtrum homo debeat ſe retrahere à Sacramento propter immunditiam corporalem.* C

Sanctus Bonauent. in 4. Sent. diſt. 12. q. vlt. Quadruplicem aſſignat corporalem immunditiam. Quędam eſt coniuncta ſpirituali ſecundùm veritatem, vt pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula. Quædam eſt coniuncta ſpirituali, ſecundùm conformitatem, vt pollutio veniens ex diabolica illuſione, vel ex naturæ ſuperfluitate, in qua ſentitur pruritus, & delectatio inordinata; Quædam verò eſt, quæ non eſt coniuncta ſpirituali, tamen eſt generans horrorem immunditiæ in Anima, *S. Bonauent.*

Digitized by Google

A ma, vt pollutio veniens ex infirmitate. Quædam autem eſt purè corporalis nullum horrorem immunditiæ in Anima generans, vt immunditia, verbi gratia, in pede. His notatis dicit, quòd Prima immunditia impedit propter hoc, quòd homo debet, ſe reputare immundum, vndè non recipit Sacramentum cum reuerentia, qui ſic immundus eſt, niſi neceſſitas compellat. Et propter irreuerentiam priuatur fructu, & incurrit damnū. Secunda immunditia, quæ eſt ex diabolica illuſione, arcere debet ex cōgruo, quoniam, quàmuis non ſit certum, quód ſit anima ibi maculata, tamen probabiliter poteſt dubitari, & ideo, qui ſe reputat immundum, benè facit. Tertia immunditia eſt indifferens, quia tantùm eſt pæna, & ideo non arcet, ſi tamen ratione horroris abſtineat, deuotio, & reuerentia eſt laudanda; vndè nec mulier menſtruata arcetur, nec etiam mulier, poſt partum. Quarta ſimpliciter eſt indifferens inter omnes has immunditias. Prima magis impedit. Quarta nullo modo. Omnes tamen impediunt

B de congruo ſecundùm gradus. Vndè ſi quis quęrat, vtrum ſemper, quādo polluitur corporaliter, abſtinere debeat? Dicendum eſt, quód ſi ſentit inquinationem illam, multùm Animam inquinaſſe, quia in actu illo ſit homo caro, ſiue in ſomnis, ſiue in vigilia, conſulendum eſſet ei facere reuerentiam Sacramento. Si autem ſentit naturam magis expeditam, & vlteriùs deuotio trahat ad perceptionem, & ſolemnitas trahat, vel aliquid multùm recompenſet, tunc arbitrarer, ipſum ſine remorſu accedere. Hæc D. Bonauent.

S. Thomas. D. Thomas p. 3. quæſt. 80. art. 7. Circa pollutionem nocturnam, duo poſſunt conſiderari, vnum quidem, ratione cuius ex neceſſitate, impedit hominem à ſumptione Sacramenti. Aliud autem ratione cuius non ex neceſſitate impedit hominem, ſed ex quadam congruentia. Ex neceſſitate quidem impedit hominem à perceptione huius Sacramenti ſolùm peccatum mortale, & quàmuis nocturna ipſa pollutio, ſecundùm ſe

C conſiderata peccatum mortale eſſe non poſſit, nihilominus tamen, ratione ſuæ cauſæ, quandoque habet peccatum mortale annexum, & ideo conſideranda eſt cauſa pollutionis nocturnæ. Quandoq; enim prouenit à cauſa extrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex dæmonis illuſione, qui phantaſmata commouere poteſt, ex quorum apparitione pollutio interdum ſubſequitur. Quandoque prouenit pollutio ex cauſa intrinſeca ſpirituali, ſcilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando ex cauſa intrinſeca corporali, vt ex ſuperfluitate, vel ex debilitate naturæ, ſiue etiam ex ſuperfluitate cibi, & potus.

Quælibet harum trium cauſarum poteſt, & ſine peccato mortali, & & veniali exiſtere, & ſi quidem ſit ſine, vel cum peccato veniali, non

ex

ex neceſſitate impedit ſumptionem Sacramenti, ita ſcilicet quòd homo, ſumendo, fit reus corporis, & ſanguinis Chriſti, ſi verò fit cum peccato mortali impedit ex neceſſitate. Illuſio Demonum quandoque prouenit ex præcedenti negligentia præparationis ad deuotionem, quæ poteſt eſſe, & peccatum mortale, & veniale. Quandoque prouenit ex ſola nequitia demonum volentium impedire ſumptionem Sacramenti. Similiter etiam præcedentes cogitationes laſciuæ, quandoque poſſunt eſſe omninò ſine peccato, puta cum aliquis causâ lectionis, vel diſputationis cogitur de talibus cogitare, & ſi hoc fit ſine concupiſcentia, & delectatione, non erunt cogitationes immundæ, ſed honeſtæ, ex quibus tamen pollutio ſequi poteſt. Quandoque verò præcedentes cogitationes ſunt ex concupiſcentia, & delectatione, & ſi adſit conſenſus, erit peccatum mortale, ſi autem deſit erit veniale. Similiter etiam, & cauſa corporalis quandoque eſt ſine peccato, puta cum ex infirmitate naturæ, vndè, & quidam etiam in vigilia fluxum ſeminis patiuntur: vel etiam, ſi ſit ex ſuperfluitate nature, ſicut enim contingit, ſanguinem fluere abſque peccato, ita, & ſemen, quod eſt ſuperfluitas ſanguinis, ſecundùm Philoſophum lib. de Generat. Animalium c. 18. Quandoque eſt cum peccato puta, cum prouenit ex ſuperfluitate cibi, vel potus, & hoc etiam poteſt eſſe, & peccatũ mortale, & veniale. A B *Ariſtotiles.*

Ex quadam tamen congruentia impedit quantùm ad duo, quorum vnum ſemper accidit, ſcilicet, quędam fœtidas corporalis, cum qua propter reuerentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere. Vndè volentes tangere aliquod ſacrum, manus lauant, niſi fortè talis immunditia ſit perpetua, vel diuturna, ſicut eſt lepra, vel fluxus ſanguinis, vel aliquid huiuſmodi. Aliud autẽ eſt vagatio mẽtis, quæ ſequitur pollutionẽ nocturnã, præcipuè quando cum turpi cogitatione contingit. Hoc tamen impedimentũ, quod ex congruitate prouenit, poſtponi debet propter aliquã neceſſitatẽ, puta, cũ fortaſſe, aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſteriũ pro eo, quòd Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſſitas cõpellit. Ex D. Thom. C

De Delectatione Moroſa. Cap. V.

DElectatio moroſa eſt voluntaria delectatio de actu malo cogitato, ſine voluntate illum exequendi. Conſiſtit peccatum delectationis moroſæ non in mora temporis, & durationis, ſed in mora voluntatis, eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit, prout debet, & tenetur; Vndè delectatio moroſa idem eſt, quod delectatio voluntaria. Dicitur *Moroſa*, cum ho-

A mò conſentit illi delectationi liberè, aut cum poteſt prohibere, & tenetur, non prohibet, vt conſentiendo delectationi, aut non expellendo eam, cum poteſt, & tenetur.

Nauarr.

Secundùm Nauarrum in Man. Cap. 11. n. 3. Delectatio moroſa (*à mora videlicet, deducto vocabulo*) non eſt ita nominata ratione temporaneę durationis, ſed propter moram, quam facit ipſa ratio in ea non expellenda, quia nimirùm eam non expellit quàm citiſſimè poteſt & debet, vel (quod deteriùs eſt) quia eam deliberatè acceptat, quod quidem in inſtanti fieri poteſt, ſecundùm omnes. In his autem duobus caſibus peccatum mortale committitur, licèt opus exterius numquam fiat, neq; adſit propoſitum faciendi, quod quidem veriſſimum eſt, non ſolùm in peccatis carnalibus, verùm etiam in reliquis.

S. Bonauent.

De hac re S. Bonauent. in 2. Sent. d. 24. p. 2. dub. 4. literali. & Art. 2. q. 1. & 2. in hanc ſententiam loquitur. Mora temporis, quantùm eſt de
B ſe non facit, vt quod priùs erat veniale, fiat mortale, ſed ſolùm occaſionaliter, videlicet, quòd inducit conſenſum verum, vel interpretatiuum; Tunc autem inducit conſenſum verum, quando ex diuturnitate delectationis creſcit libido, adeò vt homo velit omninò in vitiorum delectatione perſiſtere, & morari; Tunc verò inducit conſenſum interpretatiuum, quando homo aduertens periculum delectationis retentę, negligit eam repellere, ſeu reprimere: hoc enim non eſt ſine contemptu proprię ſalutis, eoquòd diſcrimini ſe exponit, illa enim delectatio ſubintrat, ſicut ſerpens, & venena diffundit, per quæ rationalis ſpiritus interit morte culpæ. In generali determinatur, quòd tanta mora hoc faciat, in qua adeò creſcit delectatio, & libido, quòd ſuperuenit conſenſus, vel adeò eſt repellendi conſcientia, & propriæ ſalutis inducia, quòd ſuperuenit contemptus, & conſenſus interpretatiuus. In ſpeciali quanta ſit iſta mora, Vtrum ſit vnius horę, vel dimidij, vel maioris ſpatij, non poteſt vna reſponſio dari, quia aliquando eſt maioris, aliquando minoris, ſecundùm diuerſos ſtatus, &
C conditiones perſonarum; Vndè hoc non determinat ſcientia, vel lectio, ſed potius conſcientia recta, & punctio; Benè autem aduertit conſcientia recta, ſe non modicum lædi, quando ex moroſa delectatione conſenſus ſuperuenit, vel comtemptus; Quòd ſi non aduertat aliquando propter tenebras, & inuolutiones affectionum, ſecuriorem partem debet eligere, & confiteri purè ſic, & dolere, quaſi peccaret mortaliter.

Mora quãta requiratur ad moroſam delectationẽ

Delectatio Moroſa poteſt eſſe itaq; voluntaria dupliciter, Expræſsè, vel Implicitè, ſiue Interpretatiuè. Vt autem conſenſus interpretatiuus ſit peccatum mortale quatuor requiruntur, Primum, vt ſit de obiecto peccati mortalis. Secundum, vt ſit cum plena aduertentia. Tertium, vt

non

non curet reſiſtere. Quartum, vt oriatur ex negligentia ex affectu delectationis, non autem ex cauſa rationabili. Videre oportet, An delectetur quis de opere malo, an de ipſa cogitatione, an de vtroq; an de modo operandi; Niſi enim quis delectetur de opere malo, non peccat mortaliter. Ex Silueſtro. Conſideranda eſt occaſio, An ſit licita, an ſit uoluntaria; Deinde libertas membrorum ad reſiſtendum, & tandem intentio. Ex his infertur. A

Primò, Quòd Delectatio moroſa de actu malo, etiam ſine propoſito implendi, eſt peccatum mortale. Ex Communi ſententia.

Secundò, Quòd ſpeculatiuè mala cogitare, vel ſine conſenſu deliberato non eſt peccatum mortale, ſed tamen, ſi tepidè reſiſtat, erit peccatum Veniale, niſi eſſet periculum conſenſus, vel pollutionis, quia tunc eſſet peccatum mortale; Verùm, ſi pollutio accidat ex cauſa licita ſine conſenſu delectationis, non eſt peccatum mortale. Silueſter. Verb. Delectatio moroſa. *Silueſter.*

Tertiò, qui negligit repellere malam cogitationem, quia contemnit, non peccat mortaliter. Nauar. Cap. 11. n. 12. Similiter, ſi timet, ne creſcat tentatio, non erit peccatum mortale. D. Thom. 2. 2. q. 37. v. 1. ad Quartum. B *S. Thom. Nauarr.*

Quartò, Non eſt ommittenda bona operatio ad repellendam malam cogitationem, niſi eſſet inutilis, Nauarrus. Supra.

Quæcumque igitur ad actum peccati in cogitaione, & delectatione moroſa pertinentia, tractãda ſunt, ad duo capita reduci poſſunt, Ad rem, videlicet, de qua eſt delectatio, ſeu, ad delectationis obiectum & Ad conſenſum ex parte voluntatis. Delectatio ex parte rei poteſt eſſe vel de re ipſa illicita cogitata, hoc eſt, de opere illicito, puta de homicidio, furto, & huiuſmodi, vel de modis quibus committitur peccatum, vt, exempli gratia, de ſub tibi modo furandi, conſequendi talem fæminam, de ſtratagematibus belli, vel de ordine exercitus, & dexteritate militum aut pugnantium in duello. Quantùm ad Conſenſum ex parte voluntatis, loquendo de perfecto, & deliberato, duplex eſſe poteſt, Implicitus, ſeu Tacitus, vel Interpretatius; Et Explicitus, formalis, ſiue expreſſus. Implicitus eſt, cũ quis aliquid facit, vel non facit liberè, vnde conſequitur aliqua delectatio illicita ita tamen, vt non ſolùm poſſit, vel non poſſit illam repellere, vel non repellere, ſed etiam, vt teneatur illam repellere, vel non repellere. Expreſſus eſt, quando voluntas aduertens aliquam delectationem illicitam irrepſiſſe in mente, illam vult, & approbat expræſsè. *Conſenſus quotuplex, & quid.* C

Implicitus autem cõſenſus triplex eſſe poteſt, Primus, quando aliquis licèt explicitè non velit ipſam delectationem, liberè tamen facit aliquid,

Digitized by Google

A quod eſt cauſa talis delectationis aduertens inde conſequi hanc delectationem implicitam. Secundus eſt, quando non apponit liberè huiuſmodi cauſam, aduertens tamen in ſe aliundè cauſatam delectationem illicitam, & non reſiſtit illi, vel non diſplicet illi talis delectatio. Tertius, quando eſt cauſata delectatio illicita, vndecumq; cauſata ſit, quam ille non conſiderat eſſe delectationem malam, poſſet tamen, & deberet aduertere.

Articulus Vnicus.
De Cauſis delectationis moroſæ.

Variæ ſunt cauſæ, ob quas inſurgere ſolent tales delectationes, Quędam enim in ſe ipſis habent honeſtatem, vtilitatem, & neceſſitatem, puta, cum delectatio oritur vel ex cogitatione, vel lectione rerum turpium, diſputandi, aut docendi gratia ſuſcepta, vel ex eo, quòd quis
B audit confeſſiones de rebus turpibus, & impudicis. Quædam ſunt cauſæ etiam per accidens horum effectuum, quæ tamen vel omninò indifferentes ſunt, vel parùm vtiles, & quæ nonnunquàm ſine incommodo, ſaltem magno, tolli poſſunt, quales ſunt, quædam politicæ conuerſationes, ex quibus conſequuntur huiuſmodi motus, & eſus aliquorum ciborum, vnde quis ſentit in ſe ipſo excitari huiuſmodi motus, lectio aliquorum librorum, qui de rebus aliòquin vtilibus, vel iucundis, non tamen ex profeſſo de turpibus tractant. Quædam cauſæ ſunt, quæ ex ſua natura tendunt in huiuſmodi delectationes, nec habent aliquam vtilitatem, vel honeſtatem aliundè annexam, vti ſunt colloquia de rebus turpibus, & inhoneſtis tractantium, aſpectus laſciui, conuerſationes malorum. Ex his infæro tria.

C Primum. Cauſas primi generis non tenemur non apponere, aut remouere, neque eas apponendo, aut non remouendo, peccamus vllo modo, nec etiam venialiter, neque delectationes indè conſequentes velle cenſemur. Ratio, quia huiuſmodi delectationes non ſunt per ſe effectus huius cauſæ. Neque cenſemur apponere huiuſmodi cauſas, vt indè ſequatur delectatio. Neque tenemur deſiſtere ab opere, cuius occaſione inſurgunt. Ratio, quia ſecundùm ſe ſunt motus naturales, & recta ratio
Caietan. dictat non eſſe cauendum ab honeſta occupatione propter illos. Caietan.

Secundum. Cauſas ſecundi generis, probabile eſt, quòd non tenemur, ſaltem ſub peccato mortale remouere. *Cautè procedas.*

Tertium. Cauſas tertij generis, quàm primùm aduertimus eſſe cauſas delectationum illicitarum, ſub peccato mortali remouere, & non ap-
Nauarr. ponere tenemur. Nau. c. 11. n. 12. § Pri-

Digitized by Google

A

§ *Primus. Quodnam debeat eſſe obiectum, vt delectatio moroſa ſit peccatum mortale?*

PRima Propoſitio. Delectatio moroſa de ipſa cogitatione aliquando bona eſt, aliquando malà, aliquando vana, & inutilis. Tunc eſt bona, quando lecturus, aut concionaturus delectatur de argumentis, & rationibus ſubtiliter excogitatis contra res turpes, & inhoneſtas. Mala eſt, & mortalis, quando quis ita verſatur in iſtis cogitationibus, vt incurrat exindè in probabile periculum peccati, & conſenſus in opus. Vana, & inutilis, ſi inutiliter quis, & ſine cauſa tales delectationes in animo, & mente ſua reuoluat.

Secunda Propoſitio. Ratio peccati mortalis deſumi non poteſt ex eo, quòd delectatio ſit de re, iure naturali prohibita, non autem de re, lege poſitiua interdicta; Exemplum. Si Sacerdos delectaretur, ſine cauſa ommiſiſſe diuinũ officium, peccaret mortaliter, & tamen hoc eſt ſolo iure poſitiuo prohibitum. B

Tertia propoſitio. Quàmuis omnis voluntas efficax de opere, & obiecto malo mortaliter, aut venialiter, peccatum mortale, aut veniale ſit pro ratione obiecti, ſimplex tamen delectatio, aut diſplicentia, non tàm ex obiecto, quàm ex oppoſitione ad rectam rationem, & virtutem, peccatum mortale, aut veniale erit.

§ *Secundus. An ſit licitum Coniugibus, extra actum matrimonij delectari de actu coniugij, maximè cogitato, alieno Coniuge abſente. Et de actu matrimoniali præterito, vel futuro?*

QVidam negatiuè reſpondent, quando ſcilicet non adeſt locus, tempus, aut voluntas conſumandi, & delectatio hæc ſit in motu venereo, ſeu appetitu ſenſitiuo. C

Alij reſpondent, quod delectatio ſenſualis de actu coniugij cum propria vxore, vel marito apprehenſo ſub ratione delectabilis venerei, ſiue in præſentia, ſiue in abſentia alterius Coniugis, non eſt peccatum mortale etiam ſine intentione conſumandi, quando tamen non eſt periculum pollutionis extra vas, & in ijs, qui adhuc ſunt in matrimonio.

Quòad alterã partem verò de delectatione actus matrimonialis prȩteriti, vel futuri. dicendum eſt, Quòd Vidua, vel Sponſa poteſt duplicem delectationem ſibi in mente formare, Vnam, qua gaudet, & delectatur fuiſſe vxorem talis viri, & habuiſſe copulam cum ipſo, & ſe delectatam fuiſſe

A fuiſſe de illo actu, ſine tamen præſenti delectatione venerea, ex tali cogitatione inſurgente, ita vt tota delectatio in Vidua ſit de actu præterito, vt reuera præteritus fuit, & in ſponſa de actu futuro, vt futurus eſt, & ſic, delectatio quæcumque, etiam venerea, licita eſt, nec eſt vllo iure prohibita; Altera delectatio eſt de præſenti, & hæc erit peccatum mortale ex

Nauarr. Nauarr. c. 16. num. 19.

Sayrus. Sayrus d. 8. c. 7. num. 24. & ſeqq. Qui delectatur de actu coniugij præſenti, vel futuri ſub alia ratione bonitatis, quàm delectationis venereæ, videlicet, ſub ratione honeſti, vel commodi temporalis, quod fuit, aut erit in illo, hoc eſt, quatenùs ordinatur ad generationem prolis, fornicationis vitationem, aut ſanitatis adquiſitionem, non eſt peccatum mortale. Ratio, quia talis delectatio, neque ex ipſo opere, neque ex ſe malitiam aliquam habet contra aliquam virtutem. Non ex opere, quia licita eſt ratione matrimonij præteriti, vel futuri. Non ex ſe, quia non

B opponitur alicui virtuti.

§ *Tertius. An licitum ſit delectari de pulchra muliere viſa?*

PRimum Dictum. Nulla ſenſatio naturalis eſt ſecundùm ſe peccatũ, ideo nec viſus, nec tactus ſunt de ſe peccatum, etiamſi delectatio aliqua exindè conſurgat. Poſſunt tamen eſſe peccata aliundè.

Secundum Dictum. Quàmuis viſus mulieris pulchræ ſecundùm ſe malum non ſit, neque delectatio exindè conſurgens, benè tamen, & malè fieri poteſt. Ex motiuo videntis iudicandum eſt, an ſit peccatum mortale, an veniale, aut nullum, & ex oppoſitione ad virtutem.

Tertium Dictum. Delectatio moroſa ex tactibus, oſculis, & amplexibus habita, eodem modo peccata ſunt, pro ratione motiui, & intentionis, ex qua conſequuntur.

C Quartum Dictum. Delectatio conſurgens ex tactibus, amplexibus, & oſculis, quæ non ex motiuo venereo, & libidinoſo in partibus honeſtis, ſed ex cauſa honeſta fiunt, peccatum non eſt.

Quintum Dictum. Si quis mulierem aſpiceret, & exindè delectaretur ad laudandum Deum in operibus ſuis, & ex pulchritudine corporis

Pſal. 92. eleuaretur ad pulchritudinẽ animæ, non peccat, ſed meretur. Pſalm. 92. *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

Sextum Dictum. Si mulierem intueatur quis cauſa vanitatis, leuitatis, & curioſitatis, non dirigendo aſpectum ad delectationem carnalem, ſed motus tãtùm ex quadam vanitate, & curioſitate, etiamſi exindè inſurgat

dele-

Digitized by Google

delectatio, & motus turpis ex ſola venuſtate, & pulchritudine rei viſæ, A
quatenùs grata eſt viſui, delectatio illa eſt ſolùm peccatum veniale, dum-
modò in illa ex plena aduertentia non detineatur,

Septimũ Dictũ. Siquis ex motiuo libidinis pulcrã mulierẽ aſpiceret, &
exindè inſurgeret delectatio venerea, delectatio illa ex oppoſitione, quã
habet ad virtutem Caſtitatis, eſt peccatum mortale, non ſolùm quando
adeſt efficax voluntas accedendi ad eam, ſed etiam, ſi complacentia ſim-
plex, tantùm adſit, & delectatio venerea ſine relatione ad copulam. In-
tellige in non coniunctis matrimonio, vt ſupra.

De ornatu Mulierum:

Cap. VI. B

Apparatus, ſeu ornatus exterior ordinatur ad tria ſecundùm re-
ctam rationem, iuxtà quod notat Caietanus 2. 2. q. 169. *Caietanus.*
v. 2. Ad fomentum, ſcilicet, corporis, Ad honeſtatem, & Ad
ornatum. Sicut autem pulcritudo naturalis eſt inculpabilis,
ita etiam artificialis, ſecundùm ſe, ita quòd non poteſt imputari ad cul-
pam, ſi quis propter eam prouocetur ad concupiſcentiam, ſed potius vo-
luntati concupiſcenti imputari debet, quia non eſt cauſa, ſed occaſio. Ex
Nauarro Cap. 23. n. 18. *Secundum ſe*, quia extrinſecè, ratione ſcilicet
mali finis poteſt eſſe pecatum mortale. Quid verò dicendum, clariùs pa-
tebit ſequentibus aſſertionibus.

Aſſertio Prima. Mulier coniugata, quæ ſe ornat, vt placeat viro ſuo, *1. Cor. 2.*
non peccat. Nauarr. ſupra. Apoſtolus 1. Cor. 2. *Mulier cum habitu or-* C
nato, & verecundia.

Aſſertio Secunda. Mulier, quæ ſe ornat hac intentione, vt alios tra-
hat ad ſui concupiſcentiam, peccat mortaliter, quia facit contra Charita-
tem. Silueſter. Verb. Ornatus. *Silueſter.*

Aſſertio Tertia. Mulier, quæ ſe ornat ex contemptu Dei, quaſi Deus
non prouiderit de pulchritudine, peccat mortaliter. Eſt Communis.

Aſſertio Quarta. Mulier, quæ in ſuo ornatu, & pulcritudine conſtituit
vltimum finem, parata ſe ornare, etiam contrà præcepta Dei, & Eccle-
ſiæ, peccat mortaliter. D. Thom. 2. 2. q. 132. art. 3. Nauarr. *S. Thom.*

Aſſertio Quinta. Ornare ſe ex vanitate, vel leuitate propter iactan-
tiam quamdam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque ve-

niale

A niale tùm in Viris,cum in mulieribus,quia talis actus nó eſt contra Charitatem Dei, nec proximi. Nauar. ſup. n. 17.

Aſſertio Sexta. Mulier intendens ſuo ornatu vitare opprobria hominum, ne deſpiciatur à cęteris, ſecundùm morem patriæ, ſi illum pretermittat, leuiter, vel nullo modo peccat, quia nullus eſt malus finis, ſed bonus, quoniam multę Sanctæ mulieres ſe ornarunt, vt Iudith.

Aſſertio Septima. Non eſt peccatum mortale augere,& fingere fuco & ornata maiorem pulcritudinem, quàm inſit. & vti capillis alienis, niſi fiat ob luxuriam, vel alium malum finem, eſſet tamen veniale ratione mendacij in facto. Vndè artifices non peccant vendendo fucos, & ornamenta muliebria.

Aſſertio Octaua. Superfluus, & prætioſus ornatus vltrà decentiam ſtatus, & conſuetudinem patriæ, non eſt peccatum mortale, ſed communiter, & per ſe loquendo eſt tantùm veniale. Nauarr. Cap 23. n. 19. *Nauarr.*

B Aſſertio Nona. Vbi eſt conſuetudo, non eſt peccatũ mortale ſi mulier oſtentet pectus, & mammillas; ſed repræhenſione dignam iudicarem.

De Virginitate. Cap. VII.

DVodecim aſſertionibus breuiter expediam in hoc Cap. quæ ad Virginitatem pertinent pro complemento explicationis horum Decalogi præceptorum Sexti, & Noni.

I. Virginitas eſt virtus, quoniam eſt bonum laudabile, & honeſtum ſecundùm rectam rationem. Eſt habitus inclinans hominem ad continendum ſe ab omni delectatione carnali ſecundùm rectam rationem; Ergo eſt Virtus. D. Th. 2. 2 q. 172. Eſt Virtus itaq; etiam non firmata voto, ſed ſolo voluntatis propoſito, quia eſt actus bonus, laudabilis, & honeſtus.

C II. Virginitas aliquando perditur ſine peccato, quia puella Virgo ammittit ſuam virginitatem per copulam coniugalem licitam.

III. Illud, quod habet rationem formalem Virtutis eſt commune vtriq; ſexui: Eſſe autem materiale, & accidentarium, quod eſt in Virginitate ad rationem virtutis, non eſt commune vtriq; ſexui.

IV. Integritas, prout eſt communis vtriq; ſexui, & cui in gloria Cęleſti reſpondet aureola ſpecialis, eſt voluntas abſtinendi perpetuò ab omni copula carnali, & delectatione carnis libidinoſa, ita vt per copulam carnalem, aut delectationem veneream corpus non polluatur, Abſtinendi (inquam) perpetuò ab omni copula carnali illicita, & licita.

V. Virgi-

V. Virginitas, vt habet rationem virtutis, non includit neceſſariò, & intrinſecè integritatem corporis, tamquàm materiam omninò neceſſariam. A

VI. Virginitas neceſſariò includit propoſitum abſtinendi ab omni delectatione ſenſus, quæ percipitur in reſolutione ſeminis humani.

VII. Virginitas, vt eſt virtus, non perditur, ſi Virgo corrumpatur per vim nihil conſentiens, ita ſi corrumpatur inſcia, aut amens, Nam virtus non ammittitur nobis inuitis. Item ſi ante vſum rationis, dum admodum puella eſt, neq; doli capax, non ammittit virginitatem, vt eſt virtus, ſed tantùm, vt eſt naturalis integritas carnis.

VIII. Virginitas, vt eſt virtus ammittitur per voluntariam ſeminis effuſionem, ſiue reſolutionem, non tamen, vt eſt virtus ammittitur per pollutionem in ſomno, ſi pollutio in ſomno accidit, & non fuit intenta in ſe, ſeu in cauſa, ſi autem fuit intenta in ſe, vel cauſa, hoc eſt, ſi fuit voluntaria in ſe, vel in ſua cauſa, tunc ammittitur quia, polluitur virgo mente, & animo, & Virginitas, prout eſt Virtus, in animo potiſſimùm conſiſtit, & includit propoſitum nunquàm ſe polluendi. B

IX. Virginitas, vt eſt virtus, ammittitur per affectum voluntatis, quo Virgo deliberatè vult copulam carnalem, aut pollutionem, licèt opere non ſequatur copula, aut pollutio, quia animo, & mente perditur.

X. Virginitas quando ammittitur ſolúm per affectũ voluntatis volentis copulam, aut pollutionem futuram, aut ſibi complacentis in copula, aut pollutione, quæ accidit in ſomno, vel vigilia, tunc reſtituitur per pœnitentiam, ſiue affectum contrarium. Eſt omnium. Quæ autem ammittitur per copulam carnalem, aut per voluntariam pollutionem, non poteſt reſtitui. Eſt ſimiliter omnium.

XI. Virginitas eſt bona per ſe poſitis omnibus debitis ſuis circũſtantijs, nimirùm loco, tempore, perſonis, rebus. Aliòqui enim ſi Deus præciperet alicui, vt ſe matrimonio copularet, illicitum eſſet illi ſeruare Virginitatem. C

XII. Virginitas eſt bonum magis, quàm matrimonium. 1. Ad Cor. cap. 7. Secundùm ſe, & ex obiecto. Concil. Trident. Seſſ. 24. can. 10. Matrimonium autem in aliquo caſu, & tempore, & ex aliqua cauſa eſt maius bonum.

QVAE autem hucuſq; de hoc præcepto explicata ſunt, ad opus pertinent, in Nono

A autem ea ipſa prohibētur in Concupiſcentia; Quemadmodum ea, quæ in opere prohibentur ſequenti præcepto de non furando, prohibentur in concupiſcentia, vltimo præcepto de non concupiſcendo res alienas. Quapropter, licèt futurus ſit nobis ſermo de his quoque Præceptis Nono, & Decimo quoàd ea, quæ illis propria ſunt, quæ tamen dicta ſunt pro explicatione huius Sexti, & dicentur pro
B explicatione Septimi non erit opus repetere, quoniam quæ hìc præcipiuntur, vel prohibentur in facto, ibi prohibentur, & præcipiuntur in concupiſcentià, & deſiderio, Vt clariùs ibi patebit.

C

F. VIN-

F. VINCENTII A

DE MONTE REGALI

Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Octauus.

De Septimo Decalogi Præcepto.

Non furtum facies. B

De intelligentia huius Septimi Decalogi Præcepti, Quidue per ipſum prohibeatur.

Cap. I.

SVppono in præſenti, præceptum affirmatiuum includere negatiuum, & econtrà negatiuum includere affirmatiuum. Exempligratia, Primum præceptum traditur ſub affirmatione, *Vnum cole Deum*, in hoc prohibetur quidquid veri Dei cultui aduerſatur, vt vidimus ſuo loco, & clariùs infra videbimus. In hoc Præcepto, *Non furtum facies*, quod traditur per modum negationis C includitur affirmatio, ſeu præceptum affirmatiuum, nempe *Redde quod tuum non eſt*, & de hoc in tractatu de Reſtitutione, & ita, cum prohibetur furtum virtualiter, iubetur Reſtitutio. Reg. Peccatum. 4. in ord. tit. De Reg. Iuris in 6. Peccatum non dimictitur, niſi reſtituatur ablatum.

Tria autem generaliter in hoc Septimo Præcepto *Non furtum facies* prohibentur, Primum eſt omnis illicita vſurpatio rei alienæ, iuxtà Doctrinam. D. Aug. lib. quæſt. Exod. q. 71. & Refertur 14. q. 5. c. Pœnale, 13. in ord. Pænale eſt occultè auferre, multò maioris pænæ eſt viſibiliter eripere, auferre ergo nolenti, ſiue occultè, ſiue palam habet præceptum

14. q. 5. Pænale.

A ſuum, furti enim nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed vtique furti nomine in lege veteris teſtamenti, & rapinam intelligi voluit, à parte enim totum ſignificatur quidquid illicitè rerum proximi aufertur. Secundum, quod prohibetur, eſt omnis illicita Detentio ex Can. Sæpè 14. in ord. De Reſtitutione Spoliat. Ibi, Eo quòd non multum interſit, quòd ad periculum animæ, iniuſtè detinere, ac inuadere alienum. Tertium tandem eſt omne damnum indebitè illatum rebus proximi. D. Th. 2. 2. q. 122. art. 6. Ad 2. Omnia (inquit) nocumenta, quæ proximis inferuntur, poſſunt ad iſta reduci, quæ his præceptis prohibentur, tanquàm ad quædam communiora, & principaliora. Nàm omnia nocumenta, quæ in perſonam proximi inferuntur, intelliguntur prohiberi in homicidio, ſicut in principaliori. Quæ inferuntur in perſonam coniunctam, & maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi ſimul cum Adulterio. B Quæ pertinent ad damna in rebus illata, intelliguntur prohiberi ſimul cũ furto. Quæ autem pertinent ad locutiones (ſicut Detractiones, blaſphemiæ, & ſi quæ huiuſmodi) intelliguntur prohiberi in falſo teſtimonio.

De Reſt. Spoliat. Sæpè. *S. Thom.*

S. Bonauent. D. Bonauentura, item in 3. diſt. 37. dub. 7. In hoc (inquit) Quarto Præcepto ſecundæ tabulæ, vel ſeptimo in ordine intelligitur prohiberi omnis illicita rei alienæ vſurpatio, vt illa poteſt fieri, vel per violentiam, vel per fraudolentiam, & hoc vel ſimpliciter, vel vbi adiacet conſecratio aliqua, vndè hic prohibetur furtum ſimplex, & ſacrilegium, quod eſt furtum perpetratum circa rem Sacram, vel locum Sacrum. Sacrilegium enim tribus modis committitur, quando ſcilicet ſacrum de ſacro, vel nõ ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro aufertur. Sacrum verò dicitur quidquid mancipatum eſt cultui Diuino, vt Eccleſia, vel res Eccleſiæ. Prohibetur etiam rapina, quæ fit per violentiam, & etiam vſura, quę ſub rapina continetur. Vndè S. Hyeronimus Vſuras quærere, vel fraudare, aut rapere, nihil intereſt. Commodá fratri tuo, & accipe quod dediſti, & nihil ſuperfluum quæras, quia ſuperabundantia in vſura computatur.

S. Hyeron. C

Eſt enim in vſura quædam violentia, & quædam fraudulentia. Fraudulentia in hoc, quod vendit homini rem ſuam, tenetur enim vnuſquiſq; ſubuenire proximo ſuo in mutuo ex diuino mandato; dum ergo vendit et illud, quod tenetur ei facere, ipſum fraudat, & decipit; Rurſus, dùm ex pactione aliquid ab eo exigit, quodammodo ad id, quod non debet ipſum compellit. Vndè omni tempore Vſura fuit prohibita, ſicut, & furtum.

De

A

De modis, quibus fit contra hoc Præceptum.

Cap. II.

Contra hoc Præceptū facit quis multis modis. Primò iniuſta rerū adquiſitione, & fit etiam multipliciter, quia multipliciter adquirit quis bona temporalia iniuſtè, Primò, occultè aliena accipiendo, & de huiuſmodi dicitur Eccleſiaſtici. V. n. 17. *Super* *Eccleſiaſt.* *furem enim non eſt confuſio, & pœnitentia.* Secundò per rapinam, manifeſtè, & per vim capiendo, & hoc modo non ſolùm latrones in vijs, ſed etiam Principes vſurpantes iniuſtè Ciuitates, & Caſtra ſine iuſto titulo, B vel etiam facientes extorſiones indebitas à ſubditis in Gabellis, pedagijs, & collectis; de his, & contrà hos dicitur Ezechielis. 22. n. 27. *Principes* *Ezechiel.* *eius in medio ipſius, quaſi lupi rapientes prædam.* Vel etiam quando faciunt leges iniquas ad libitandum, de quibus Iſaiæ. 10. n. 1. *Veh qui con-* *Iſaias.* *dunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam, ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Tertiò, per fraudolentiam, & ſic, tripliciter, In quantitate, In qualitate, In ſubſtantia. In quantitate dando diminuta pondera, & menſuras rerum; In qualitate, praua pro bonis vendendo iniuſto prętio; In ſubſtantia, vendendo vnum pro alio, vt, exempli gratia, aromata vnius ſpeciei pro aromatibus alterius ſpeciei, & huiuſmodi, de quibus dicitur Amos. 8. n. 4. *Audite qui conteritis pau-* *Amoſ.* *perem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando tranſibit meſſis, & venundabimus merces, & ſabbatum, & aperiemus frumentum, vt imminua-* C *mus menſuram, & ſiclum augeamus, & ſupponamus ſtateras doloſas, vt poſſideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* Quarto, per vſuram, ſcilicet, pro mutuo pecunię, vel rerum, quæ vſu conſumuntur, accipiendo aliquid vltrà capitale; Vndè in Pſalmis. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad Vſuram, hic requieſcet in monte* *Pſal.* *Sancto meo* ideſt, *in gloria Paradiſi* iuxtà illud Conc. Agaten. & refertur *Conc. Agat.* 14. q. 3. Cap. Vſura. 4. in ord. Vſura eſt, vbi ampliùs requiritur, quàm datur, Verbi gratia, ſi dederis ſolidos decem, & ampliùs quæſieris, vel dederis frumenti modium vnum, & ſuper aliquid exegeris. Vbi euidenter oſtenditur, quòd quidquid vltrà ſortem exigitur, vſura eſt. Quintò, per ſacrilegium, ideſt iniuſtam acceptionem rerum Eccleſiæ; Hinc eſt

illud

A illud D. Hyeronimi ad Hepotianum De Vita Clericorum. Epiſtola 10. & refertur. 12. q. 2. Cap. Gloria. 71. in ord. in medio. Amico quidpiam rapere, furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt. Sextò, per iniuſtitiam iudicum, vel officialium dantium iniquas ſententias, vel ex timore, vel ex amore, vel ex cupiditate, vel ex odio, vel ex notabili ignorantia. Vndè eſt illud Iſaiæ. cap. 5. n. 22. *Iuſtificatis impiū pro muneribus, & iniuſtitiam iuſti aufertis ab eo*. Et Iſidor. lib. 9 Summo bono. cap. 58. & refertur 16. q. 3. Cap. Pauper. 72. in ord. Pauper, dum non habet quod offerat, non ſolùm audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur, citó violatur auro iuſtitia nullamq; reus pertimeſcit culpam. quam redimere numis exiſtimat. Octauò, per variam damnificationem, vt in incendijs, deuaſtationibus agrorum, & caſtrorum, in bellis iniuſtis in mutilationibus, occiſionibus, falſis accuſationibus, teſtificationibus, & inſtrumentis, Iſti omnes, non ſolùm peccant contra charitatem, mor-

S. Hyeron. 12. q. 2. C. Gloria.

Iſaias.

Iſidorus.

B taliter agentes contra hoc præceptum, ſed etiam contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem, Vnde D. Aug. ad Macedonium. Epiſtola 54. fin, & refertur. 14. q. 5. Cap. Non ſanè. 15. in ord. Qui contra ius ſocietatis humanæ furtis, rapinis, calumnijs, oppræſſionibus, incurſionibus abſtulerit reddenda potius, quam donanda cenſemus Zacchei publicani. Euangelico exemplo. *Gloſſa*. Zacchei publicani, qui dixit, ſi quem defraudaui, reddo quadruplum Lucæ 19. n. 9. Item adquiſitio per Simoniam, ludum vetitum, vel aliud turpe lucrum furtum cenſetur, non quidem reſtituendum danti. ſed pauperibus erogandum aliquando ex neceſſitate, vt in Simonia, & ludo, aliquando ex honeſtate vt in meretricio, & huiuſmodi ex D. Aug. ſer. 35. de Verb. Domin, & refertur 14. q. 5. Cap. Qui habetis. 14. in ord. Qui habetis de malo, indè bonum; Qui non habetis de malo, nolite adquirere de malo, Eſto bonus, qui bonum facis de malo, & cum cęperis aliquid boni de malo facere, noli remanere malus.

S. Lucas.

S. Auguſt.

C Numi tui conuertuntur in bonum, tu autem remanes malus. Hæc Textus. Gloſſa. Docet hic (inquit) Auguſtinus, quòd qui habet pecuniam de malo adquiſitam conuertat illam in bonum, & ipſe malus non remaneat, abſit enim, vt numi tui conuertantur in bonum, & tu remaneas malus. De malo poteſt quis facere bonum tripliciter, Primò dicitur quis de malo facere bonum, cum reddit quę illicitè abſtulerit. Secundò, cum pauperibus diſpenſat ea, quæ cum malo, ideſt cura, & ſollicitudine adquiſiuit auctoritate Euangelij *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Tertiò, cum bonum, quis expendit, ideſt quod ex arte mathematica adquiſiuit, reddit, vt in furto, & rapina, & in talibus omnibus, vbi non transfertur dominium, nec datur repitio. *De mammona*.

na. Mammon dicitur dęmon, qui præeſt diuitijs, non quòd in eis poteſtatem habeat, ſed quia homines tentat per eas. Qui autem per Simoniam, vel intruſionem, & non canonicam inſtitutionem recipit, vel tenet beneficium Eccleſiaſticum furatur omnes fructus, quos percipit. Iuxtà illud Ioannis 10. num. 1. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt, & latro.* A

Secundò fit contra hoc præceptum praua cooperatione ad talia adquiſita illicita, etiam ſi nihil ipſe inde percipiat, vt imperando, conſulendo, perſuadendo, & huiuſmodi, iuxtà illud Ad Rom. 1. num. vlt. *Digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* *Ad Rom.* Iſti non ſolùm peccant grauiter contra charitatem, ſed etiam contrà iuſtitiam, quando talis cooperatio fuit efficax, idest, quando ſine ea non fuiſſet facta rapina, vel furtum, vel vſura, vel damnum, iuxtà illud Nicolai Papæ, Ricardo Turonenſi Archiepiſcopo, & refertur 2. q. 1. c. Notum. 10. in ord. Facientem, & conſentientem par pæna conſtringit. Gloſſa quod intelligitur de conſenſu cooperationis; ſine qua cooperatione, non fieret malum; Ad hoc facit illud, quod habetur Cap. vlt. De iniuria, & damno dato. Qui occaſionē damni dat, damnum dediſſe videtur. Vndè Eſaię cap. 1. num. 23. *Principes tui infideles, Socij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* B *Si culpa tua*

Tertiò fit furtum, & per conſequens contra hoc præceptum Prætenſione rei alienæ. Vndè D. Aug. Ad Macedonium, Epiſt. 54. & refertur 14. q. 6. cap. Si res aliena. 1. in ord. Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pænitentia, ſed fingitur, ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, cum reſtitui poteſt, & quàmuis aliquis non acceperit ipſe per furtum, vel fraudulentiam, vel vſuram, ſacrilegium, & huiuſmodi, ſed pater, vel alij conſanguinei, vel amici, ſi tamen ad eum peruenit hæreditas, tenetur reſtituere, inquantùm ſufficit hæreditas. Cap. Michael. 17. in ord. De Vſuris. *De Vſuris. C. Michael.* C

Quartò fit contra hoc præceptum indebita diſtributione, iuxtà illud. 1. Ad Cor. cap. 3. *Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Eccleſiarum prælati ſunt diſpenſatores rerum Eccleſiæ potiùs, quàm domini, Vndè D. Aug. Ad Bonifacium Comitem. Epiſt. 50. & refertur 12. q. 1. Cap. Si priuatum. Vlt. in ord. Si priuatum poſſidemus, quod nobis ſufficiat non illa noſtra ſunt, ſed pauperum quorum procurationem quodam modo gerimus non proprietatem nobis vſurpatione damnabili, vendicamus. Gloſſa. Poteſt intelligi ſi, ideſt, Quàmuis priuatum, ſeparatim aliquid Eccleſiaſticum poſſidemus, non tamen *1. Ad Cor.*

illud

A illud eſt noſtrum *Quorum procurationem*, ideſt, Quia tantùm illius procuratio nobis eſt commiſſa? Vel dic, *Priuatim*, ideſt, proprium, *non illa noſtra ſunt*, ideſt, à nobis recipienda, & retinenda. *Procurationem*. Ergo prælati dicuntur procuratores rerum Eccleſiaſticarum. Aliquando dicuntur domini, quandoque Defenſores, quandoque Patres. Prælati, ſi benè adminiſtrant, loco domini dominorum ſunt, ſi malè, loco prædonum; Eccleſia enim tenet locum pupilli, & Prælatus locum tutoris, ſicut ergo tutor ſi malè adminiſtrat dilapidando bona pupilli, vt fur habetur, ita & Prælatus, dum permiſit deſtruere bona Eccleſiæ, vel vſurpare, vel indebitè alienat, tenetur ſatisfacere. Si expendit in malos vſus dando ſine neceſſitate conſanguineis, conuiuijs, ludis, & turpibus perſonis exponit, quod debet dare pauperibus, *Quaſi*, ideſt verè furatur, & mortaliter peccat.

B

De Furto. Cap. III.

Fvrtum, quantùm ad ethimologiam dicitur à færendo, ſeù ab auferendo. Quantùm ad quid rei, ſiue quidditatem, ſeu diffinitionem, vt diffinitur in iure §. de furtis, Eſt contrectatio rei fraudulenta, lucrifaciendi gratia, vel ipſius rei, vel vſus, vel poſſeſſionis. Gloſſa addit ad illa verba *contrectatio* rei ſcilicet corporalis, mobilis, & alienæ, quandoquidem rei incorporalis, vel rei immobilis, vel etiam rei ſuæ vſurpatio, etiamſi aliquo modo poſſit eſſe, & aliquando de facto ſit iniuſta, nihilominùs tamen non vocatur furtum. Hanc ſequitur Nauarr. in Man. cap. 17. num. 1. Vbi ſic ait furtum eſt doloſa contrectatio rei alienæ inuito domino ſuo ad proprietatem eius, aut poſſeſſionem, aut vſum acquirendum. Dicitur *contrectatio*, per hoc intelligitur etiam voluntas contrectandi, quæ eſt mortale furtum, *alienæ*, quia hęc contrectatio, quatenùs res eſt, aut meritò creditur ſua eſſe, non eſt furtum, *inuito domino*, quia, quòd eo volente fit, non eſt furtum, Dicitur *doloſa*, quoniam ioco ſa, & officioſa, ad reddendum cautiorem dominum, non eſt furtum. *ad acquirendum proprietatem, &c.* quia ad hoc vt ſit furtum ſufficit, vt contrectans velit aliquod horum acquirere. Iſid. lib. Ethim. c. 26. Furtum eſt clandeſtina contrectatio rei alienæ. D. Thom. 22. q. 66. art. 3. Furtum eſt occulta acceptio rei alienæ. Maior, in 4. diſt. 15. q. 24. Furtum eſt voluntas capiendi, quod putatur alienum clanculum, inuito domino, animo lucrandi. *Acceptio* ſtat loco generis, quoniam per eam ſignificatur omnis iniuſta vſurpatio, & contrectatio rei alienæ, ſiue fiat per furtum,

§. De furtis. Gloſſa. *Nauarr.* C *Iſidorus. S. Thom. Maior.*

furtum, ſiue per rapinam, ſiue per vſuram, ſiue per aliam quamcumque A
iniuſtam commutationem. *occulta* dicitur, ad contrahendum genus, & ſic
ad conſtituendam propriam ſpeciem furti, vt diſtinguatur eſſentialiter, à
rapina, & cæteris alijs iniuſtis acceptionibus, quandoquidem furtũ eſſen-
tialiter conſiſtit in acceptione rei alienæ occulta, & clandeſtina, Rapina
verò in acceptione etiam rei alienę, ſed manifeſta, non occulta. Item
furtum in acceptione rei alienę domino non conſentiente, neq; etiã actu
contradicente propter ignorantiam, Rapina verò in acceptione rei alienę
domino expræſsè, & actualiter cõtradicente, & propterea Rapina diffini-
tur ſic, Eſt manifeſta, & violẽta acceptio rei alienę. D. Th. ſup. ar. 4. Dicitur
rei alienæ, quæ, ſcilicet iure, vel putatiuè ſit aliena ſecundùm aliquã ratio-
nẽ proprietatis, vel vſus, vel poſſeſſionis, vel alterius conditionis, quando-
quidem res propria depoſita, vel commodata, vel pignorata dicitur alie-
na ſecundùm quid, & ideo eiuſdem etiam occulta acceptio furtum dici B
poteſt. D. Thom. ſupra art. 3. ad. 3 & Communèm. Verba D. Thomę.
Ad rationem furti tria concurrunt, Primum conuenit ſibi ſecundùm quod
contrariatur iuſtitiæ, quæ vnicuiq; tribuit quod ſuum eſt, & ex hoc com-
petit ei, quòd vuſurpet alienum; Secundum, quod competit ad rationem
furti, prout diſtinguitur à peccatis, quæ ſunt contra perſonam, ſicut ho-
micidium, adulterium, &c. & ſecundùm hoc competit furto, vt ſit circa
rem poſſeſſam, ſi quis enim accipiat id, quod eſt alterius, non eſt quaſi
poſſeſſio, ſed quaſi pars, ſicut, ſi amputet membrum, vel ſicut perſona
coniuncta, vt ſi auſærat filiam, vel vxorem, non habet propriè rationem
furti; Tertium, quod complet rationem furti, eſt vt occultè vſurpetur
alienum, & ſecundùm hoc propria ratio furti eſt, vt ſit occulta accceptio
rei alienæ.

Item D. Thomas. 2. 2. q. 122. art. 6. ad 2. Nocumenta (inquit) quę
proximis inferuntur poſſunt ad iſta reduci, quę his præceptis prohibentur
tamquàm ad quædam principaliora, & communiora, nàm omnia nocu- C
menta, quæ in perſona proximi inſæruntur, intelliguntur prohiberi in ho-
micidio, ſicut in principaliori. Quæ inſæruntur in perſonam coniunctam,
& maximè per modum libidinis, intelliguntur prohiberi ſimul cum adul-
terio. Quæ pertinent ad locutiones, ſicut detractiones, blaſphemiæ, &
huiuſmodi, intelliguntur prohiberi in falſo teſtimonio, quod directiùs
contrariatur iuſtitiæ; Quæ verò pertinent ad damna in bonis fortunæ il-
latai intelliguntur prohiberi ſimul cum furto. Quę etiã ſupra notauimus.

Licèt autem in iure multa dicantur eſſe genera furtorum, verbigratia
manifeſtum, & non manifeſtum; Peculatus, cum pecunia, & aliæ res pu-
blicæ ex loco publico ſubripiuntur; Plagiatus, cum homo liber rapitur,

A & venditur, Abigiatus, cum ſcilicet pecora ſubtrahuntur ex diſperſo grege. Huiuſmodi tamen differentiæ non conſtituunt veras, & diſtinctas ſpecies furtorum, quoniam non habent diuerſas, & diſtinctas malitias peccatorum, & propterea in Sacramento Pœnitentię ſolùm aperienda eſt ſpecies furti, vel rapinæ, quoniam hæc eſſentialiter diſtinguuntur pænès inuoluntarium ex ignorantia, vel violentia. Sed tàm furtum, quàm rapina tranſire poteſt in aliam nouam ſpeciem peccati, nimirùm ſacrilegij, ſi res, quæ accipiuntur fuerint Sacræ, ſiue exiſtant in loco ſacro, ſiue non, quia cum res prædictę ſint domino conſecratæ, & in diuinum cultum ordinatæ, magnam facit Deo irreuerentiam, & iniuriam, qui eas accipit, & rapit, vel furatur, & ideo peccat, non ſolùm contra iuſtitiam, ſed etiam contra Religionem. Idem dicendum, ſi quis rapiat, vel furetur res non ſacras, exiſtentes tamen in loco ſacro, Ratio eſt, quia violat Sanctitatem, & immunitatem eiuſdem loci ſacri, in quo exiſtunt. Hæc circunſtantia
B vel rei, vel loci ſacri, in Confeſſione Sacramentali eſt procul dubio manifeſtanda, quia mutat ſpeciem peccati. Cap. Quiſquis. 21. in ord.
17. q. 4. *Quiſquis.* 17. q. 4.

Multis autem modis diuidi poteſt furtum. Primò furtum eſt duplex, Diurnum, & Nocturnum. Secundò, furtum Aliud eſt Manifeſtum, aliud occultũ, Manifeſtum dicitur illud, quo fur ipſe depræhenditur, antequàm furtum ablatum domum deportet, occultum eſt, quo fur non depræhenditur. Tertiò, furti nomine intelligitur omnis illicita vſurpatio, & detentio rei alienę, non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit, ſed vtiq; à parte, totum intelligi voluit quidquid illicitè rerum proximi aufertur. ex D. Aug. q. 71. in Exod. & refertur, vt dictum eſt, 14. q. 5. Cap. Pœnale. 3. in ord. licet in ſeptimo Decalogi pręcepto ſolius furti fiat mentio.

C

Articulus Primus.

Vtrum furtum, & Rapina, quæ hoc Præcepto prohibentur, ſint peccata mortalia?

Concluſio affirmatiua, qua reſoluitur hoc Quæſitum eſt Communis, & vniuerſalis, Quod ſcilicet tàm furtum, quàm rapina ſunt peccata mortalia. Primò, quia ſunt contra præceptum, quod obligat ſub pæna peccati mortalis; Obſeruantia enim pręceptorum eſt ad ſalutem neceſſaria

ria

Digitized by Google

ris iuxtà illud Saluatoris *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Mattei 19. n. 17. Conſtat etiam ex Sacra Scriptura, quòd fures ſunt iudicandi Zacch. 5. n. 3. *Hæc eſt maledictio, quæ egręditur ſuper faciem omnis terrę, quia omnis fur iudicabitur*. Et 1. Ad Cor. cap. 5. n. 10. *Fures regnum Dei non poſſidebunt*. A *S. Matt.* *1. Ad Cor.*

Secundò probatur. Lege humana, & Canonica pro crimine furti, & rapinæ færri poteſt excommunicatio, quæ non niſi pro peccato mortali poteſt færri. Et Iure Ciuili fures, & Raptores nonnumquàm pęna mortis naturalis iuſtè, & legitimè puniuntur. Et propterea decretum eſt in Cap. Fures. 2. in ord. De Furtis. Quòd, ſi quis, dum furatur, occiditur, pro illo non oretur, quia reputatur mortuus in peccato mortali. Hæc ſunt verba textus. Fures, & latrones, ſi furando, vel deprædando occiduntur, viſum eſt, pro eis non eſſe orandum.

Tertiò probatur, Quoniam furtum, & Rapina contrariantur iuſtitiæ, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, Peccata autem contra iuſtitiam ſunt peccata mortalia. Vtraq; præterea acceptio mala eſt, quia vel dolo, vel fraude, vt in furto, vel per uiolentiam, vt in rapina, vtroq; modo contrà iuſtitiam eſt, & in iniuriam vergit eorum, à quibus accipitur. B

Quartò probatur Quia tàm furtum, quàm rapina contrariantur Charitati, qua proximum tenemur diligere, & propterea tenemur etiam velle illi bona, & non infærre mala, & nocumenta.

Quintò probatur. Quia ſunt contra bonum commune, nimirùm, contra pacem ſocietatis humanæ, quæ per rapinas, & furta turbatur, & diſſoluitur.

Dictum eſt tamen in Concluſione *ex genere ſuo*, quoniam in caſu quis non ſolùm à peccato mortali, ſed etiam à veniali excuſabitur, verbi gratia, quando adeſt indeliberatio, defectus iudicij, probabilis ignorantia rei alienæ, impotentia recuperandi quod ſibi debetur, intentio iuuandi proximmum, & alię. Nauarr. Cap. 17. n. 4. & ſequentibus, & præcipuè, paruitas materiæ, quę ſubripitur, modò non adſit etiam animus lædendi proximum, quoniam modicum pro nihilo reputatur. Ita D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 6. ad 13. Sic enim habet, Illud quod modicum eſt, ratio apræhendit quaſi nihil, & in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum infærri, & ideo qui accipit, poteſt præſumere, hoc non eſſe contra voluntatem eius cuius eſt res; Si tamen habet animũ furandi, & infærrend nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale, ſicut in ſolo cogitatu per conſenſum. Cap. fin. 14. q. 6. Non quod in furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur. *Nauarr.* C *S. Thom.*

Aduertendum tamen quòad hoc, quod iſta paruitas, talis debet eſſe,

A

quę nec per ſe, nec per accidens cauſet proximo notabile damnum in bonis fortunæ, corporis, vel animæ, Quoniam, ſi quis furaretur Scriptori, verbi gratia, calamum, aut Sutori ſubulam, vel Sartori acum, aut alteri Artifici aliquod ſuæ artis inſtrumentum modici valoris, & aduerteret, quòd per multum temporis ſpatium Artifex operari non poterit, quàmuis res accepta per ſe non lædat notabiliter, lędit tamen per accidens, quoniam ex acceptione prædicti inſtrumenti non poterit amplius operari, & lucrari, & proptera eiuſmodi rei paruæ furtum, erit peccatum mortale. Ita, ſi per accidens læderet quis corpus, vel animam alterius, quia, verbi gratia, res accepta, licèt modici valoris ſit, tamen eſt domino ſuo cara, vel neceſſaria, ita vt ex eius ammiſſione afficeretur notabili moleſtia, & triſtitia, vel læderetur in corpore propter eamdem rationem.

§ *Primus. Quænam Quantitas dici poſſit parua, vel magna, vt ſic ſciri poſſit, quodnam furtum ſit peccatum mortale, quodue veniale?*

B

NIhil certi de hac re diffiniri poteſt, ſed arbitrio boni viri relinquendum eſt, quoniam magnum, & paruum ſunt relatiua, & ex varijs circumſtantijs, locorum, & temporum, quod vni magnum eſt, alteri paruum erit, & econtrà quod vni paruum eſt, alteri magnum eſſe poteſt. Sed abſtrahendo ab illis circumſtantijs, Variæ ſunt Doctorum ſententiæ, quænam quantitas ex natura rei cenſeri debeat notabilis, ita vt illa conſtituat peccatum mortale, minor, veniale.

Nauarr. Quidam exiſtimant, dimidium vnius Iulij eſſe notabilem quantitatem, & ideo furtum illius eſſe peccatum mortale. Nauarr. Cap. 17. Alij vnum Iulium; Alij duos Iulios; Alij duos aureos; Alij æxiſtimant, quòd accipere à diuitibus inuitis, etiam ſi ſint Principes, & Reges, vnum aureum, ſit peccatum mortale, à communibus perſonis, quatuor, vel quinque Iulios, à pauperibus vnum, etiamſi nullum aliud damnum, ex ſubtracta quantitate ſequatur.

C

Bonacina. Tandem Bonacina. De Reſtitut. Facienda propter furtum. q. 8. Propoſit. 3. diſtinguit, ait enim, Quatuor sūt genera perſonarum, in ordine ad quas metienda eſt grauitas, vel leuitas furti. Primo aliæ ſunt perſonæ illuſtres, quæ ſplendidè alunt familiam. Secundò, Aliæ quæ viuunt ex ſuis redditibus, nec aliquo indigent artificio ad vitæ ſuſtentationem, quales ſunt communes diuites. Tertiò, Aliæ, quæ ſe ſuo ſuſtentant artificio, & opera. Quartò, quæ mendicando ſibi conſulunt, & proſpiciunt. Reſpectu perſonarum Primi generis, nummus Aureus, vt minimum, eſt materia notabilis, & ſufficiens ad peccatū mortale. Reſpectu ſecundi generis quatuor

Digitized by Google

tuor Regales. Reſpectu tertij generis, duo regales circiter. Reſpectu quarti generis, vnus Regalis, vel dimidius, nàm vnus regalis poteſt illis ſeruire pro victu vnius, aut duorum dierum. Hæc Bonacina. A

Bonacina.

His poſitis opinionibus, in hac re duo mihi dicenda videntur.

Primum. Vix diffiniri poteſt quantitas iſta ſine ordine ad dictas circũſtantias. Quoniam, etſi ſumma duorum aureorum notabilis cenſeri poſſit reſpectu Principum, & Regum, nihilominùs minor illa non erit notabilis reſpectu communium, & pauperum perſonarum, præterquàmquòd, in iure Ciuili ea quantitas modica reputatur.

Alterũ eſt, quòd notabilis iſta quantitas, abſtrahendo ab omni circũſtantia, quantum fieri poteſt, & etiam ab omni damno, metienda eſt potiùs ex qualitate, & conditione eius, qui furatur, & accipit, quàm eius à quo ſubripitur, & propterea tunc eſt notabilis quantitas, & peccatum mortale, quando excedit valorem ſui quotidiani victus, qui ſcilicet per vnum diem, ſecundùm ſuam conditionem ſibi debetur, non autem, cum eſt minor valore prædicto. Hoc videtur admodum rationabile, quandoquidem omnium iudicio, tolerari poteſt acceptio rerum, quæ neceſſariæ ſunt ad diurnam hominis ſuſtentationem. Suppoſito verò, quòd ſit aliquis in tanta penuria, & ægeſtate conſtitutus, vt per plures, non ſolùm dies, ſed hebdomadas, & menſem, & menſes, non poſſit ſperare, nec probabile iudiciũ facere, ſe poſſe alia via, alijs medijs, ſibi proſpicere Dico quid poteſt tantũ furari (caueat, ne à ſimiliter in neceſſitate cõſtituto ſubripiat) quantum ſibi neceſſarium fuerit, pro toto illo tempore. B

§ *Secundus. Dato, quòd plures accipiant res alienas per minimas partes, quę ſeorſum ſumptę, non ſint notabiles, Vtrum ſinguli mortaliter peccent, & teneantur ad reſtitutionem.*

DVabus breuibus aſſertionibus rem hanc explicabo. Prima. Certum eſt, quòd ſi plures coniunctim pergant, & concorditer ad diripiendum, ità quòd vnus, ſine alio non iuiſſet, & ità vineam forte alicuius deſtruunt, ſinguli peccant mortaliter, & tenentur ſinguli ad reſtitutionem, omnium acceptorum per alios, quantùmuis modicum ſit acceptum, quod per ſe conſideratum non fuit peccatum mortale. Quoniam totius damni vnuſquiſque cauſa fuit, ſuppoſito, quòd vnus ſine alio non iuiſſet, & propterea vnuſquiſque tenetur in ſolidum damnificato, omnes enim peccauerunt mortaliter, & tenentur in ſolidum ad reſtitutionem totiùs, ac ſi ſe inuicem prouocaſſent & induxiſſent conſilio, vel alia quacumque ratione, ad furtum procurandum, vel damnum inferendum, C

quàmuis

A quàmuis etiam ſinguli, modicum quid perceperint, vel modicum damnum dederint.

Secunda. Certum eſt, quòd ſi plures furati quid fuerint, vel damnū dederint ſeparatim, ita quòd vnus ignorauit de alio, & tamen ſinguli acceperunt modicum, non peccauerunt mortaliter, nec fortè venialiter, & ideo, neque tenentur ad reſtitutionem. Nauarr. cap. 17. num. 130. Si autem plures etiam inferant notabile damnum alteri, vel ſimul, vel ſucceſſiuè per minima ſingulatim accepta, ita tamen, quòd nullus eorum ſciat, quid alter accipiat, quiſque tamen nouit, quòd alij accipiunt, vel acceperunt, non peccant mortaliter, nec ad vllam tenentur reſtitutionem, quoniam vnus non eſt cauſa, quòd alter accipiat, & ideo nullus eſt cauſa damni notabilis, quod infertur proximo. Nec obeſt ſcientia, quoniam per hoc, quòd ſciunt alios accipere, aut accepiſſe, non influunt in acceptiones aliorum. Videtur tamen, quòd etiamſi ab initio ſinguli fuerint ignari de furtis aliorum, nihilominùs ſi poſtea aduertunt, tenentur ad reſtitutionem eius modicæ partis, quam acceperint, quàmuis illam accipiendo mortaliter non peccauerint. Ratio eſt, quoniam, etſi vnus non ſit cauſa, vt alter acciperit, nihilominùs ſuppoſita ſcientia prædicta, ſinguli conſenſerunt, & concurrerunt ad inferendum notabile damnum proximo per illa minima, quæ ſingulatim acceperunt, & ideo ſinguli partiales cauſæ fuerunt totius damni. Ratio verò dubij ſolùm probare videtur, quòd non tenentur ſinguli ad reſtitutionem totius damni illati, quoniam vnus nō eſt cauſa acceptionis alterius, nec influxit per ſuam ſcientiam in alios, ſed id tantùm, quòd quiſque accepit. Reſponſio affirmatiua eſt bona, Negatiua non eſt mala.

B

§ *Tertius. Suppoſito, quòd ſumma* vnius Aurei, *vel ſumma* decem Argenteorum, *ſit ſumma notabilis, & furtum illius, ſit peccatum mortale.*

C *An ſi quis furetur vni nouem Iulios ſimul, vel per partes, ſeu pluribus vicibus, & poſtea ex interuallo furetur alium Iulium, peccet ne tunc mortaliter, & teneatur ad omnium Reſtitutionem?*

Circa hanc difficultatem tres videntur eſſe ſententiæ. Prima, tria docere videtur, Primum, quòd omnes iſtæ ſingulares acceptiones, & furta non ſunt plus, quàm peccatum veniale propter rei paruitatem, modò fures ab initio intentionem non habuerint furandi notabilem quantitatem, ſic minima accipiendo paulatim. Secundum, quòd cum peruenerint ad dictam notabilem quantitatem, quàmuis, nec tunc mortaliter

pecca-

peccauerint, nihilominùs omnia reſtituere tenentur, ſub peccato mortali. Tertium. Hoc procedit, vbi prædicti fures continuato tempore acceperunt hæc modica; ſecùs verò ſi acceptiones fuerint interruptę per longa temporum interualla, hoc in caſu nulla eſt obligatio ad reſtituendum. Nauarr. cap. 17. num. 130. A *Nauarr.*

Secunda Sententia docet, quòd acceptio vltima, ſi per illam attingatur notabilis ſumma, & quantitas eſt peccatum mortale, quàmuis ſit modicę rei, & ſtatim oritur obligatio ad reſtituendum omnia accepta abſque vlla diſtinctione temporis interrupti, vel continuati, etiamſi fures ab initio nullam habuerint intentionem accipiendi per hæc minima furta notabilem ſummam.

Tertia Sententia. Vltima acceptio, ſeu vltimum furtum, per quod cōpletur ſumma notabilis, eſt quidem peccatum mortale, ſed obligatio nō oritur ad reſtitutionem omnium acceptorum, ſed ſolùm illius vltimę rei, quæ addita pręcedentibus facit ſummam notabilem, etiamſi res prædicta minima fuerit, & ex ſe non ſufficiat ad peccatum mortale. B

Quarta additur opinio. Vltima acceptio, ſeu vltimum furtum, per quod completur ſumma notabilis, non eſt amplius, quàm peccatum veniale, & nihilominùs oritur obligatio ad reſtitutionem omnium acceptorum. Hæc Quarta eſt ſecura, Prima, & Tertia non eſt aſpernanda, Secunda eſt nimis rigida. Ego Tertiam non reiiſcerem.

Idem dici poteſt de ſeruientibus, & famulis, qui modò quadrantem, modò baiocum, &c. ſubindè furantur à Dominis ſuis, cum peruenerint ad notabilem ſummam.

§ *Quartus. Vtrum, ſi aliquis à pluribus ſimul, vel ſucceſſiuè modicum quid accipiendo, notabilem furetur quantitatem, peccet mortaliter, & teneatur etiam ſub peccato mortali reſtituere ſingula modica accepta?*

ISta difficultas exponi poteſt exemplo de Venditoribus ad minutum, qui vel aliquid modicum plùs iuſto pratio exigunt ab Emptoribus, vel aliquid modicum detrahunt ex iuſto pondere, vel menſura rerum venditarum. C

Et videtur, quòd pars affirmatiua, quæ eſt communis ſit verior, & probatur tripliciter. Primò. Quoniam Præceptum de non furando, vt obliget ſub peccato mortali, non requirit, vt ſumma notabilis auferatur ab vno ſolo, ſed ſimpliciter, & indiſtinctè prohibet furtum notabile, ſiue ab vno, ſiue à pluribus auferatur. Secundò probatur, Quoniam, ſi admi-

A admiſceretur, hoc non eſſe illicitum ſub peccato mortali, profectò impunè abſque vllo labore quilibet ditari poſſet, modica accipiendo. Tertiò probatur. Quoniam omnium conſenſu, peccatum mortale committitur accipiendo rem aliquam notabilem communem pluribus, etiamſi partes illius ſingulis diſtributæ ſint modici valoris, ergo etiam peccatum mortale erit, ſi accipiantur iàm diſtributæ, & diuiſæ partes, ſi modò coniunctæ ſimul faciunt ſummam notabilem, quoniam vera differentiæ ratio aſſignari non poteſt.

Hoc verum videtur, quoties is, qui accipit modica prædicta à diuerſis, habet ab initio intentionem furandi notabilem ſummam, ſecus verò, vbi abſq; intentione, prædicta modica caperētur, nunc ab vno, nūc ab alio. At non procedit, etiam ſi habeatur intentio prædicta, vbi modica, quæ capiuntur, habentur pro derelictis, ſicut contingit, nàm quis poſt meſſem, aut vindemiam licitè colligit ex varijs agris, & vineis Spicas, & Racemos B derelictos, hoc enim licitum eſſe, patet ex conſuetudine.

Articulus Secundus.

Vtrum furtum ſit aliquo caſu licitum.

EX his, quæ dicta ſunt, patet reſponſio ad propoſitam quęſtionem per hanc Concluſionem affirmatiuam. Furtum non ſemper eſt peccatum, & per conſequens interdùm licitum eſt, Quandoquidem multæ cauſæ eſſe poſſunt, quę excuſent non ſolùm à peccato mortali, verùm etiam à Veniali, quamuis in his caſibus, propriè furtum non dicatur. Cauſæ iſtæ ſuperius tactæ ſunt, quia tamen res multæ conſiderationis, & C momenti eſt, non erit incongruum denuò eas percurrere, & exactiùs pertractare.

Nauarrus in Manuali Cap. 17. num. 4. & ſequentibus de his loquens ait. Excuſant furta à mortali Indeliberatio, ſeu ſubreptio, & defectus iudicij idonei ad culpam mortalem, quæ duo, ſicut paruitas rei in omnī materia peccati excuſant ab illo. Quartò excuſat etiam à veniali ignorantia probabilis, quòd res eſſet aliena, & extrema neceſſitas, vel adeò grauis, quæ iudicio boni viri ad id ſufficiat, & etiām præſumptio probabilis, dominum rei ęquo animo id laturum, non autem dubitatio, aut temeraria præſumtio, quāmuis verè dominus æquo animo ferret, nām qui facit id, de quo dubitat an ſit peccatum mortale, vel credit eſſe tale, peccat morta-

mortaliter, neq; excuſaret præſentia, aut patientia domini patientis id A
prę timore, aut pudore. Silu. Verb. Furtum. q. 7. Excuſat etiam à culpa *Silueſter.*
mortali conditio iuſtificans, vt cum quis vellet ſubripere, ſi Deus id non vetuiſſet. Excuſat impotentia recuperandi ſuum ſine ſcandalo, quia tunc clàm capere poteſt. Excuſat iuſta voluntas proficiendi domino ſpiritualiter, vel temporaliter, vt cum quis occultè furatur pigmenta, aut fucos alicui mulieri eis malè vtenti, & alios ad peccatum prouocanti, aut gladium furioſo, ne ſe, vel alium occidat, aut pecuniam, aut folia luſoria, vel aleas luſori, ne ludat, modò ex hoc magnum ſcandalum non ſequatur, iuxtà D. Antoninum p. 1 tit. 1. cap. 14. Quia nulla harum eſt contrectatio, aut acceptio fraudolenta, quæ ad furtum requiritur.

De paruitate materiæ ſuperiori articulo ſatis dictum eſt; In Cõfirmatione verò, illud quoq; hic addi poteſt, quod habetur De Simon. C. Etſi quæſtiones. 14. in ord. propè finem, vbi dicitur. Quod autẽ ſcriptũ eſt *Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere*, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel peruertere ſolent. Quoniam ſi ipſa etiam perſona electi offerat ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium, aut de Vino, ſiue de alijs huiuſmodi, quæ modici prætij fuerint, & quæ voluntatem recipientis mouere, vel inclinare non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſueuit, accipientem in his delinquere, vel donantem. Cuius Capitis ſumma hæc habet verba. Ordinatio, vel Conſecratio non cenſetur Simoniaca, licèt ordinatori aliquid donatum fuerit, non ex pacto. Gloſſa. In accipiendis muneribus, vel dandis, tria ſunt conſideranda, ſcilicet, Qualitas dantis, & accipientis, Quantitas muneris, & Tempus donationis. Qualitas perſonarum, vt à quo, & cui, an à paupere diuiti, vel econuerſò; Quantitas muneris, an magnum, vel paruum ſit donum; Tempus, an inſtãte neceſſitate, vel alio tempore donetur, &c. Immò etiamſi (Nauarr. dicto Cap. 17. n. 2. verſ. 5.) dominus eſſet inuitus, ita vt, ſi ab eo peteretur, non daret, & hoc etiam quis furaretur, excuſaretur à peccato mortali propter materię paruitatem. Obſeruandę ſunt tamen circa hoc conditiones ſuperiùs aſſignatæ, *modò* ſcilicet, *non adſit animus notabiliter lædendi in illa re parua*, quoniam etſi paruitas excuſaret, nihilominùs tamen eſſet peccatum mortale propter animum notabiliter lædendi. Item *Nec per ſe, nec per accidens* ob iam allatas rationes.

De Sim Cap. etſi Quæſtio. B

Gloſſa.

Nauarr.

C

Ex his pro maiori dilucidatione nonnulla colligenda, & inſerenda ſunt.

Primum, Quód (vti ſupra innuimus) dura nimis videtur opinio illorum, qui affirmant, quód quantitas duorum Argenteorum ex natura rei eſt materia ſufficiens ad peccatum mortale. Et quámuis nulla regula

A certa dari poſſit de quantitate ſufficiente ad peccatum mortale, nihilòminùs tamen dari poteſt aliqua pecuniæ quantitas, quæ per ſe abſque vllo reſpectu ad perſonam, ſufficiens eſt in furto ad peccatum mortale, Vndè etiam ſi à Rege ſubripiatur, erit peccatum mortale. In communibus perſonis, quatuor, aut quinque Iulij, in pauperibus, vnum, aut duo Regalia, ſeu Iulij, ſatis erunt ad peccatum mortale, & hoc excluſis alijs circumſtantijs extrinſecis, damnis, & nocumentis. Ratio commodior aſſignari non poteſt, quàm, quòd recta ratio, & arbitrium boni, & prudentis viri, ita iudicare ſolet.

Secundum, Quòd ſicut aſſignari poteſt rationabiliter certa aliqua materia, quæ ſatis eſt ad peccatum mortale, ita etiam, tàm parua eſſe poteſt, quæ ex ſe, ſecluſo alio damno, nonniſi peccatum veniale conſtituere cenſetur, vt vnus Argenteus. Dixi *ſecluſo alio damno*, quia ratione vtilitatis quam ex re ablata reportare ſolet dominus, ex damno, quod indè ſentit, B poteſt eſſe peccatum mortale, vt exempli gratia, ſi quis furetur, vt dictū eſt, acum à ſartore, ſubulam à ſutore, &c. propter quæ operas diurnas perdit, & lucro conſueto caret, quando non habet alia huiuſmodi inſtrumenta, quibus victum compararet, quoniam, etſi talis res, ſeu inſtrumentum natura ſua, res parua ſit, ratione tamen damni, & incommodi conſecuti, grauis materia eſt. Sicut diximus. Sic etiam ſi quis furetur rem paruam, quam tamen dominus multò æſtimat ob iuſtam aliquam cauſam, vt ſi famulus auferret ex horto domini ſui Malum Cydonium, quod multùm æſtimatur à domino, vel quia primus fructus arboris, quam manibus ſuis plantauit, vel quia fructus ille rarus eſt in illis locis, vel quia *Nauarr.* in eo multùm delectabatur, & ſolebat illud amicis oſtendere. Nauarr. cap. 17. num. 2. c. 2.

Tertium, Quòd grauitas materiæ furti non eſt æqualiter ſumenda in omnibus rebus. Exemplum de illis quæ magno periculo expoſitæ ſunt, C aut quæ paruo labore, & induſtria naſcuntur, in quarum ablatione, non erit peccatum mortale, ſi auferantur in tanta quantitate, quanta ſufficiēs eſſet, pro peccato mortali in alia materia, vel in rebus, quæ non eſſent tanto periculo expoſitæ. Vt verbi gratia non erit peccatum mortale accipere caſtaneas, nuces ſilueſtres, glandes, pinus, &c. huiuſmodi in tanta quantitate, quæ æſtimaretur vno ducato in foro, cum huiuſmodi arbores, & fructus ſint quaſi in locis publicis, & omnibus expoſiti, nec aliquid eis præſtat ars, aut induſtria humana, & difficulter, & vix quidem cuſtodiri poſſunt, immò vix ab aliquo vno certo poſſidentur. At verò etiam ſi res ſit expoſita periculo, ſi tamen magno labore, & induſtria naſcitur, vt ſunt vuæ, & fruges, non erit abſque peccato mortali eas in tanta quantitate accipere, ac ſubripere.

Quar-

Quartum, Quòd non poteſt in hac materia aſſignari mathematicè quantitas,quę ſufficiat ad mortale, vel quæ ab illo excuſet, ſed moraliter tantùm, quatenùs ex eius ablatione dominus notabile damnum patitur. A
Et ideo non dicitur abſolutè,quòd tanta quantitas, ſed additur ſemper *circiter*, quoniam iſta quantitas ſecundùm rectam rationem, & prudens iudicium, iuxtà pręſcriptas obſeruationes, determinanda eſt. Conſulenda ſunt quæ in propoſito diximus ſuperiori articulo §. 1. ex profeſſo.

De furtis particularium perſonarum, videlicet, Vxorum, Filiorum - familiàs, Famulorum, &c.

Cap. IV. B

NON eodem modo conſideranda eſt materiæ quantitas ex natura rei in Vxore, & filijs, ſicut in extraneis; ſed ſecundùm qualitatem perſonę, ſtatus, diuitiarum, & amoris mariti, & vxoris,patris,& filiorum, ac aliarum circumſtantiarum. Sed vt de hac re, quæ vt plurimùm accidit, diſtinctiùs agamus, opere prætiũ duximus ſeparatis articulis de ſingulis ſeorſim, & ſingillatim pertractare, vt ad veritatis culmen faciliùs etiam pertingamus. Primò itaq; erit ſermo de Coniugibus.

Articulus Primus.

De Vxoribus. C

PRO huius quæſiti deciſione Præmittendum, & obſeruandum eſt, quòd bona exiſtentium in coniugio,triplicis generis ſunt. Quædam ſunt propria mariti, qualia ſunt ea, quę à Patre, aut ab alio hæreditate accipit, pręter dotem, & donata propter nuptias; Item ea, quæ propria induſtria, & labore, vel alio modo non concurrente vxore, laborando habet, vel adquirit. Quędam ſunt propria vxoris, qualia ſunt bona paraphrenalia, ideſt, quęcunque habet mulier propter do-

A rem, vt ſucceſſiones hæreditariæ, & legata ei, vel donata. Quædam verò ſunt bona vtriq; communia. His ſtantibus ad Articulum reſpondeo ſequentibus dictis.

I. Peccat vxor auferendo, & donando ea, quæ ſunt bona mariti propria, quia in huiuſmodi bonis, vxor nullam habet diſpenſandi facultatem.

II. De bonis adquiſitis conſtante matrimonio, quæ ſecundùm multos Doctores ſunt vtriq; communia ſiue à Virò, ſiue ab Vxore adquiſita ſint, nō poteſt Vxor aliquam notabilem quantitatem occultè accipere ad donandum, vel erogandum in alios vſus, quia ad maritum, tamquàm ad caput, & principalem domus gubernatorem pertinet diſpenſatio bonorum communium, & dotis fructuum, vnde & periculum dotis, et onus ſuſtentandi vxorem ad maritum ſpectat. Hoc tamen verum eſt, quando Vxor id facit ſine licentia mariti expreſſa, vel ſaltem præſumpta; Tunc licentia cenſetur præſumpta, quando vxor tantùm largitur ea, quæ iuxtà
B conſuetudinem loci, mulieres coniugatæ communiter largiri ſolent, vel via eleemoſinæ, vel gratitudinis de rebus domeſticis, cuiuſmodi ſunt veſtes iàm ferè conſumptæ, & commeſtibilia, iuxtà qualitatem, & ſtatum perſonarum, & rectum loci vſum videntibus maritis, & non contradicentibus. Præterea hoc ipſum dictum cum alia limitatione intelligendum eſt, niſi ſcilicet, Vxor ea accipiat, & expendat in vtilitatem mariti, puta, ſi maritus eſt prodigus, inutilis, ſua malè, vel turpiter diſpenſans, ſibi, & liberis non ſatis, vt poteſt, & tenetur, prouidens; Si eſt crudelis, peruerſus, & ſceleratus. Item, ſi Vxor, non ſola ſuſpicione ducta, ſed euidenter perſpiciat, quòd maritus in fraudem ſui, & filiorum ſuis parentibus, conſanguineis, & alijs perſonis ſemel, vel ſepè in notabili quantitate largitus eſt, ipſa quoq; ſecretò tantùmdem licitè Parentibus, vel filijs ex alio marito ſuſceptis via recompenſationis elargiri poteſt; Quod verum eſt, quādo per recurſum ad iudicem iurgia, ac notabilia inconuenientia ſecutura
C timentur, neq; aliter iuſtitiam filiorum tutari poteſt, nàm deficiente Iudice, vel quando per Iudicem non poteſt quis rem, aut ius ſuum habere,
Gloſſa. ibi ipſi ius dicere poteſt. Gloſſa in Cap. Ius gentium. Vbi habet. In caſu neceſſitatis non ſolùm propriç, ſed etiam mariti, filiorum, familæ, immò & extraneorum poteſt Vxor accipere, & debet non ſolùm de rebus mariti, ſed etiam alterius proximi, quando non habet de ſuo.

III. Si pater, aut mater vxoris ægeat, etiamſi non extremè, item ſi filij alterius mariti, tenetur vxor petere licentiam à Marito, vt illis ſubuenire poſſit, quòd ſi eam licentiam maritus dare noluerit, nec via iuridica ſine ſcandalo, rixis, aut alijs inconuenientibus adduci poſſit maritus, vt eam concedat, occultè illos ſuſtentare poteſt ex ſuis bonis vel dotalibus,

vel

vel lucris; Ratio, quia parentes, & filij ius habent petendi alimenta à filijs, & à Parentibus, ergo Maritus eorum adminiſtrationem habens neceſſaria illis exibere tenetur. Idem dicendum ſi vxor fratres pauperes haberet. Huiuſmodi ſubuentio facienda eſt ſecundùm perſonæ qualitatem, & bonorum facultatem, & maritus renuens irrationabiliter eſt inuitus. A

IV. Si Maritus teneretur ad reſtitutionem malè ablatorum, nec induci, nec compelli poſſet ad reſtituendum, poſſet vxor de bonis ipſius mariti, & communibus occultè accipere, & reſtitutionem facere.

V. Si Maritus ſit prodigus, poterit vxor abſq; peccato celare aliqua de bonis illius contra eius voluntatẽ, & prohibitionem, vt ſibi, filijs, ac etiam marito ipſi prouideat de neceſſarijs, nec tenetur marito præcipienti, vt ſibi omnia tradat, obedire, tùm quia hoc eſſet dare gladium furioſo, tùm quia vtiliter gerit negocia domus ſuę, & familię neceſſitatibus prudenter prouidet, ad quod tenetur maritus; Vnde irrationabiliter inuitus cenſetur in huiuſmodi caſu, nec vllo modo læſus eſt, ſed potiùs commodũ ex facto vxoris reportat quinimmò, ſi multũ creuerit mariti prodigalitas, poterit vxor bona ſua, ac dotẽ retinere, vt ſeruet ſe indemnem; Poteſt etiã vxor ſi maritus, vel filij in peccato exiſtant, aut in periculo aliquo corporali ſint conſtituti, moderatè aliquid accipere ad faciendas eleemoſinas, & offerendum pro illis Sacrificium, vt vitent illud damnum temporale, & vt Deus illos illuminet, & conuertat, Exemplo Abigail de qua habetur 1. Reg. 25. quæ ignorante viro ſuo Nabal, multis muneribus placauit Dauidem, & maritum ſuum ab imminente interitu liberauit. Factum laudabile. B *1. Reg. 25.*

Articulus Secundus.

De Filijs-familiàs. C

Qvóad filios-familiàs non eſt vno modo dicendum, quia vel habẽt aliqua bona vltra bonà paterna, vel non habent, & quoniam tàm ſi habeant, quàm ſi non habeant, occurrere poſſunt multi caſus in quibus peccent, & in quibus etiam à peccato excuſentur, ideo diſtinctè agemus, & primò ſi filij-familiàs vltrà paterna bona, alia bona non habeant. Dico ergo, quòd ſi filij-familiàs vltra paterna bona, alia non habeant, auferẽdo aliquid notabile de bonis paternis contra expræſſam, vel præſumptam voluntatem patris, peccant, & contra iuſtitiam, & contra

A tra charitatem. Nauarr. cap. 17. num. 156. & alij. Ratio, quia auferunt alienum inuito domino, quia res parentum alienæ ſunt à filijs, quantùm ad dominium, & adminiſtrationem, nec in eis aliquod ius competit filijs, quàmuis futuram hęreditatem expectent. *Contra expreſſam, vel præſumptam voluntatem patris*, Puta ſi pater videt, & tacet, aut ſimilia dare ſolet, id, quod ex conſuetudine, vel loci, vel domus paternæ, vel ex amore, & alijs ſignis, iudicandum eſt, non peccarent filij, etiamſi notabilem quantitatem auferrent, tunc enim eſſet præſumptus conſenſus, ſi non expræſſus. Idem dicendum eſſet, ſi pater auſterus, & crudelis eſſet, qui cum commodè poſſet, deficeret tamen in honeſtis, & neceſſarijs, poſſent filij, tentatis priùs familiaribus vijs, & modis, occultè accipere ſibi neceſſaria abſque furto. Optimum tamen eſſet in hoc vti conſilio prudentis confeſſarij. Hæc potiſſimùm procedunt, quando filij ſunt abſentes in ſtudijs, & ad honeſta opera, ea diſpenſarent, puta ad eleemoſinas, ludos

Nauarr.

B honeſtos, recreationes honeſtas, & huiuſmodi. Si veró filij acciperent aliquid parui momenti, ignorante patre, non peccarent mortaliter, vel fortè nullo modo peccarent, quia paruitas materiæ, eos excuſat. Patet ex dictis.

Peculiũ Quadruplex.

Nauarr.

Si autem filij habent aliquid vltra bona paterna, id communiter dicitur peculium, quod peculium eſt quadruplex, Profectitium, Aduentitiũ, Caſtrenſe, & Quaſi Caſtrenſe. Nauarr. c. 17. num. 141. Peculium profectitium dicitur illud, quod prouenit filio ex bonis patris, vel ex rerum patris occaſione, verbi gratia, filius locat poſſeſsionem ſibi à patre conceſsam pro certa parte, aut mutuat pecuniam mercatori, de qua habet lucrum, quæ ſi abſque labore, & induſtria filij proueniant, erunt profectitia merè; Si verò ex his bonis aliquid acquirat filius labore ſuo, & induſtria, puta perſonaliter colendo agrum, vel negotiando cum pecunijs prædictis, lucrum pro parte illa, quæ debetur poſſeſſioni ſine labore, & induſtria filij dicitur profectitium, pro ea verò parte, quæ debetur labori,

C & induſtriæ perſonæ, dicendum erit, potiùs peculium Aduentitium, Vndè peculium Aduentitium dicitur illud, quod filius ſua induſtria, labore, aut fortuna acquirit, aut aliundè, quàm à patre, aut intuitu patris, ei confertur, videlicet, vel hæreditario iure à matre, aut auis maternis, vel conſanguineis, aut amicis, aut quibuſcumque alijs dicitur Aduentitium. Peculium Caſtrẽſe dicitur illud, quod filius-familiás acquirit in bello, aut occaſione militiæ, vel quod à patre, aut matre, vel à quocumque alio donatur eunti ad bellum, vt ſunt arma, Equi, & huiuſmodi, vel ad paranda neceſſaria, vel ad ſumptus in militia faciendos; Et breuiter, quidquid acquirit in militia, aut ei donatur occaſione militiæ, quod niſi militaſſet non

acqui-

acquiſiuiſſet, nec ei donatum fuiſſet, peculium Caſtrenſe dicitur. Peculium quaſi Caſtrenſe illud dicitur quod caſtrenſe non eſt, priuilegium tamen caſtrẽſis eatenùs ſaltem habet, quod iure pleno, etiam quòad vſumfructum, & adminiſtrationem, ad filium ſpectat; Talia bona, ſunt, quæ acquirit filius ex officio publico, vt Aduocati, Medici, Tabellionis, Iudicis, aut profeſſoris alicuius artis liberalis, & à fortiori Sacræ Theologiæ, Iuris Pontificij, & Cæſarei. Et quæcumq; iſtis donantur intuitu munerum, quę exercent, cuiuſmodi ſunt libri, qui Aduocato, Concionatori, aut Medico à parentibus, aut à quouis alio donentur, & Equus, qui ad viſendos infirmos, medico donatur. His notatis quòad ad partem de filijs - familiâs aliqua bona, vltrà paterna habentibus dico quatuor. A

I. Peculium Caſtrenſe pertinet ad filiū, quòad proprietatem, & vſumfructum, & pleniſſimā adminiſtrationem, ac liberam diſpoſitionem, tàm ex teſtamento, quàm quouis alio modo, & nihil in eo dependet à patre. B

II. De Peculio, quaſi Caſtrenſi, dicendum erit, ſicut de Caſtrenſi, tàm quòad dominium, quàm quòad vſumfructum, & adminiſtrationem.

III. In Peculio Aduentitio, filius - familiâs de iure communi acquirit dominium, ſiue proprietatem, adminiſtratio autem, & vſusfructus pertinet ad patrem, quàmdiù vixerit, niſi remiſerit; Vndè de bonis huius peculij, non poteſt filius aliquid accipere inuito patre. Hoc peculium, non tenetur communicare cum alijs fratribus.

IV. Peculium Profectitium, tàm quòad vſumfructum, quàm, quòad dominium, regulariter pertinet ad patrem. Solùm hoc ius habet filius in hoc peculio, quod ſi reliqua bona patris publicentur, bona iſtius peculij publicari non poſſunt. Dixi *Regulariter*, quia id, quòd datur à patre filio in patrimonium, vt Sacros ordines ſuſcipiat, Et quod datur filio ob nuptias, aut filiæ in dotem, quantùm ad dominium, pertinent ad filium, & filiam, ac etiam fructus.

Quòad hos duos examinatos Articulos de Vxoribus, & filijs - familiâs occurrit. Dubitatio. Vtrum vxor, & filij compræhendantur ſub edicto excommunicationis, ſicut alij, qui furantur bona mariti, & patris. Sed facilè reſoluitur hæc difficultas, nàm vel in tali edicto proponuntur furantes tantùm in genere, vel in edicto habetur expreſsè, vt teneatur omnes, quantùmuis coniuncti. Si primo modo tantùm, ſcilicet, in genere, reſpondetur negatiuè, ſi ſecundo modo, affirmatiuè, quoniam ſi non ſit expræſſa hæc mentio, non tenentur, nec comprehenduntur, ſecùs autem ſi fiat. C *Dubitatio.* *Solutio.*

Arti-

A

Articulus Tertius.

De Seruis, & Ancillis.

QVantùm ad ſeruos, & Ancillas nonnulla etiam ſunt dicenda, vt innoteſcere poſſit, quando, & quomodo peccent, & quando non. Dico igitur.

I. Seruus, qui ex contractu ſeruire debet vſq; ad certum tempus, peccat contra iuſtitiam fugiendo abſq. rationabili cauſa, quia violat pacta, & conditiones, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem damni, quod alter paſſus eſt. Interueniente cauſa rationabili, poteſt fugere à domino ante præſcriptum tempus, & pręfinitum. Cauſę autem rationabiles, ſunt,
B quando Dominus non obſeruat pacta, tunc enim ſeruus non tenetur ſtare promiſſis, cum frangenti fidem, fides ſeruanda non ſit, quando Dominus nimis auſterus eſt, & eum malè tractat, aut nimis parcè cibaria miniſtrat, itaut vix ſufficiant ad honeſtam ſubſtentationem; Si verò ideo fugiat, quia melior, & vtilior viuendi occaſio ſeſe offerat, non ſeruiendo, non videtur rationabilis cauſa, neq; id probandum cenſetur, quia tenetur ſtare contractui. Seruus ergo, Dominum deferendo iuſta ex cauſa non peccat, neq; redire nolenti, neganda eſt abſolutio. Sine iuſta verò cauſa deferendo, peccat.

II. Idem dicendum de eo, qui addiſcendi cauſa artem aliquam ad certum annorum numerum ſeruire promiſit. Alijs autem rationabilibus cauſis iàm adductis, additur alia rationabilis quoq; cauſa, ſi videlicet, dominus non ita benè eum inſtruat, & artem doceat.

III. Serui, ſeu Pueri deſeruientes menſis dominorum, qui comedunt
C ea, quę de menſa colliguntur, non peccant contrà iuſtitiam, & ſi aliquo modo concedendum ſit eos peccare, non peccant, niſi peccato gulæ; Ratio, tùm quia, aut domini non ſunt valdè inuoluntarij, tùm quia tales res expoſitæ ſunt tali periculo, tùm quia domini nullum ferè damnum recipiunt. Hoc tamen intelligendum eſt, niſi fortè cibi integri, qui de menſa tolluntur ſint deſtinati pro ſtipendio alicui ex officialibus, tunc enim acceptio huiuſmodi eſſet furtum, quia fit inuito Officiali.

De Gabellis. IV. Gabellæ iuſtæ ſoluendæ ſunt in foro conſcientiæ, & ex natura rei, etiamſi non exigantur, & fraudantes peccant. Probatur, quia ius naturæ poſtulat, vt Principibus ſtipendium aliquod pro ſuis laboribus
S. Lucas. reddatur, *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Lucæ 10. num. 7.

De

Digitized by Google

De Iure, Dominio, & Poſſeſſione, prout ſpectare poſſunt ad hoc Decalogi Præceptum. A

Cap. V.

CONfert non ſolùm, ſed & neceſſarium quoq; eſt ad exactam intelligentiam eorum, quę ad hoc Decalogi Pręceptum de non furando ſpectant, diligenter noſſe quæ cuiuſq; propria ſint, & quibus modis licitè adquiſita, ſeu retenta. Sic enim ex conſequenti cõſtabit quæ fas ſit accipere, & quę nephas, atq; hoc precepto prohibitum, quoniam quæ iuſtè, & licitè aliena ſunt, nullo pacto, inuito domino (vti declaratum eſt) auferri poſſunt, quæ autem non ita, ſub illa prohibitione non cadunt. Præcipui itaq; modi, quibus res, proprię dici B
poſſunt, hæc tria ſunt, Ius, Dominium, & Poſſeſſio, de quibus licèt aliàs acturi ſimus, breuiter tamen, vt ad propoſitum attinet, nonnulla tangenda ſunt in hoc Capite.

Articulus Primus.

De Iure.

IVS primò, & principaliter ſignificat id quod rectum, ęquum, quod iuſtum eſt; Deinde per quamdam analogiā retorquetur ad alia ſignificanda, quæ ad iuſtum, aliquam habent relationem, propterea ipſamet iuſtitia, ius appellatur. Item leges tàm Diuinæ, quàm humanæ iura di- C
cuntur. Sententiæ iudicum; locus ipſe, in quo ius redditur dicitur ius; Obligationes, & actiones, quoniam ijs in iudicio iuſtè proſequimur quæ nobis iure debentur, iura vocantur; Facultates ad aliquid agendum, vel faciendum, quod fieri æquum, & iuſtū eſt, eadem ratione iura dicuntur, cuiuſmodi ſunt ſeruitutes reales, verbi gratia, incedendi per agrum alienum, vtendi, vel fruendi rebus alienis. Facultates ad eligendum, ad conferendum, beneficium, ad præſentandum, ad exigendum decimas, & ad alia quamplurima, Iura vocantur. Significat etiam dominium rerum; Conſuetū .n. eſt, quòd nomina, à ſui prima impoſitione ad alia ſignifican-

A da retorquæantur, Sicut nomen *Medicinæ* impoſitũ eſt primò ad ſignificandũ rem medicã, quod præſtatur infirmo ad ſanandum, deinde tractũ eſt ad ſignificandum artem, qua hoc fit. Ita *Ius* primò impoſitum eſt ad ſignificandam ipſam rem iuſtam, vt dictũ eſt, poſtmodum autem deriuatum eſt ad artem, qua cognoſcitur quid ſit iuſtum, & vlteriùs ad ſignificandum locum, in quo ius redditur, quemadmodum dicitur aliquis comparere in iure, ac demum dicitur etiam ius, quod redditur ab eo, ad cuius officium pertinent iuſtitiam facere, licèt etiam id, quod decernit
S. Thom. ſit iniquum. D. Thom. 2. 2. q. 57. art. 1. ad. 1.

Articulus Secundus.

De Dominio.

B DOminium eſt ius perfectè diſponendi de re, niſi lege prohibeatur. Hinc fit, vt qui hanc habent facultatem, Domini appellentur. Dicitur *ius*, quoniam ius eſt genus ad omnes facultates. *De re* ſupple *Corporali, ſiue mobilis ſit, ſiue immobilis*, quoniam propriè loquendo, non datur dominium rerum incorporalium, vt ſeruitutis, actionis, aut alterius facultatis, immò nec ipſa iura, dominia appellantur. Dicitur *perfectè diſponendi*, quoniam quilibet eſt moderator, & arbiter rei ſuæ, quapropter, qui dominium habet, non ſolùm vti, & frui poteſt, quomodo, & quantùm velit, & vſq; ad rerum conſummationem, ſed etiam eaſdem res in totum, vel in partem in alios transfærre poteſt, prout ſibi libuerit, multis titulis. Dicitur *niſi lege prohibeatur*, propterea, quòd ex multis cauſis contingere poteſt, vt qui habeat dominium alicuius rei, de ipſa re diſponere nequeat, vt conſtat de Pupillo, & Furioſo, & Prodigo propter rationis, & diſcretionis defectum.

C Hic tria ſunt aduertenda. Primum, quòd cum in rebus corporalibus, & immobilibus, verbi gratia, Agris, & Ædificijs reperiantur duo inter ſe diſtincta, nimirùm ſubſtantia, ſeu proprietas rerum, & vtilitas, ac commoditas, quę ex rebus illis prouenit; Hinc fit, vt qui dominium habet illarum, transfærre illud poſſit in alios dupliciter, vel quòad vtrumq; ſimul, vel quòad ſolam vtilitatem, & commoditatem, retenta ſibi nuda proprietate, & ſubſtantia. Secundum. Transfærendo ſolam vtilitatem, poteſt contingere multis modis. Primò, locando res prędictas, & ſic vſum rerum prædictarum alteri concedendo, titulo locationis vſq; ad certum tempus aliquod, quo caſu conductor nullum dominium acquirit

in

in rebus prędictis, etiam ſi conducat ad longum tempus, ſed acquirit ſolùm ius ad percipiendos fructus, & ſolus locator eſt verus dominus illorum. Secundò, conſtituendo alteri aliquam ſeruitutem in rebus prędictis, hoc eſt vſus, vel vſus-fructus, vel habitationis, hoc eſt concedendo alterius vtendi, vel fruendi prædictis, ſalua rerum ſubſtantia, & ad heredes nullo modo tranſmittitur, & ideo ius prædictum non dicitur dominium, nec Vſuarij, vel Vſufructuarij dicuntur domini, ſed illi ſoli qui nudam habent proprietatem. Tertium. Transfærri etiam poteſt vtilitas, & commoditas prædicta in alio non ſolùm pro ſeipſis, ſed etiam pro ſuis hæredibus in perpetuum, mediante contractu fæudali, & emphitheotico, remanente pænès concedentē ſola ſubſtantia, & proprietate rerum; In hoc caſu, verè tranſfærtur in iſtos aliqua ratione dominium, quoniam in Iure vocantur Domini. At quoniam ipſi concedentes, pęnès quos remanet ſola proprietas, etiam domini vocantur, neceſſe eſt aſſerere in his caſibus, eiuſdem rei duo eſſe diſtincta dominia, & conſequenter duos diſtinctos dominos, quandoquidem dominium vnum, & idem, apud duos in ſolidum eſſe non poteſt. Hæc autem dominia ità diſtinguuntur, vt dominium, quod remanet pænès concedentem vocetur directum, illud quod habet fæudetarius, & Emphiteuta, vocetur vtile. Et ſic ex prædictis apparet triplex eſſe dominium, Plenum, Directum, & Vtile. Plenum eſt, cum quis rei ſuę ſimul habet vtilitatem, & proprietatem. Directum, cum quis habet ſolam proprietatem. Vtile cum quis habet ſolam vtilitatem, vt Fęudatarius, & Emphiteuta. Diffinitio autem Dominij conuenit ſolùm Dominio Pleno, quoniam dominus Directus tantùm de re prædicta diſponere ampliùs non poteſt, nec qui habet tantùm vtile, ſine conſenſu Directi.

A

B

Dominiũ triplex, & quodnam.

Articulus Tertius.

C

De Poſſeſſione.

POſſeſſio, duo ſignificare poteſt, Primò, ipſamet corpora rerum, vt agros, prædia, & ſic cum dicimus. N. habet plures poſſeſſiones, intelligimus, quòd habet plures agros, vel plura prædia, & hoc modo nihil ad nos. Secundò, iuxtà nominis ethimologiam, ſignificat corporalem detentionem alicuius rei, vel corporalem inſiſtentiam ad finem ea-

A vtendi, & fruendi, Poſſeſſio enim dicta eſt à pedibus, quaſi pedum poſitio, vel pedum ſeſſio, vel poſitio ſedium, ſecundùm aliquos, quia nimirùm, rem aliquam corpore appræhendimus, & retinemus ad finem prædictum. Et ſic, qui colit agros ſuos, vel qui ex eis percipit fructus, qui Domum ſuam inhabitat, vel equo ſuo vtitur, & alijs rebus, ſiue mobiles ſint, ſiue immobiles, & ſi prædicta, & ſimilia actu non exercet, facere tamen poteſt, quando vult per ſe, vel per alios, dicitur res illas poſſidere, & rerum illarum habere poſſeſſionem, & hoc modo eſt ſermo noſter de poſſeſſione.

Notandum, quòd corporalis hæc detentio, aliquando eſt ſeparata à Dominio, quia nimirùm, non detinentur ratione Dominij, ſed aliquo alio titulo, verbi gratia conductionis, commodati, pignoris, depoſiti, & huiusmodi, & in hoc caſu, detinentes hac ratione, quantùmuis rebus prædictis corporaliter inſiſtant, eas tamen non poſſident, propterea quòd neque colonus, neque alij ſimiles detentores Dominium, & poſſeſſionem habent rerum, quas detinent, & ita poſſeſſio propriè dicta ſemper coniûcta eſt cum Dominio, ſaltem putatiuo, & huiuſmodi Poſſeſſio eſt ius inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri. B

Poſſeſſionis ſpecies tres. Notandum ſecundò, quòd tres ſunt poſſeſſionis ſpecies, Ciuilis, Naturalis & Corporalis. Ciuilis dicitur, quam habet Dominus verus, vel bona fide poſſidens ſiue corpore, & animo præſens ſit rebus, & illis ſimul inſiſtat, ſiue ſit abſens corpore, & eas ſolo animo retineat. Naturalis dicitur, quam habet is, qui verus, & directus Dominus non eſt, vt Vſufructuarius, Fæudatarius, Emphitheuta. Corporalis ſolùm dicitur, quam habet is, qui clandeſtinè, vel violenter ingræditur, vel occupat poſſeſſionem alterius, & eius Dominium nititur vſurpare, & occupare. Ciuilis ſola apta eſt producere ciuiles effectus, ſcilicet rerum dominia, adquiſitionem fructuum. & ius retinendi, & recuperandi. Naturalis apta eſt producere ciuiles effectus, non tamen reſpectu directi dominij, neque etiam reſpectu vtilis, quoniam ad hoc neceſſaria eſt quaſi ciuilis poſſeſſio, ſecundùm communem, Sed reſpectu fructuum, & iuris prædicti recuperandi, & retinendi. Solùm Corporalis producit ſolùm illum vnum effectum recuperandi, & retinendi, donec eum verus dominus expellat. C

Quaſi poſſeſſio quid, & quotuplex. Notandum Tertiò, quòd non ſolùm datur poſſeſſio rerum corporalium, ſed etiam rerum incorporalium, vt actionum, ſeruitutum, & aliorum iurium, & facultatum, ſed hęc propriè loquendo vocatur, quaſi poſſeſſio, quoniam ſimpliciter dicta poſſeſſio eſt ſolùm rerum corporalium.

Con-

Digitized by Google

Conſiſtit autem huiuſmodi quaſi poſſeſſio in vſu, & actuali exercitio eorundem iurium, ſiue realiter, & verè habeant, ſiue ſolùm putatiuè. Hæc etiam dicitur eſſe triplex, Quaſi ciuilis, Quaſi naturalis, Quaſi corporalis, & habet ſimiles effectus, quos habet poſſeſſio rerum corporalium. Bartholus. A *Bartholus.*

Notandum Quartó, quòd Poſſeſſio diſtinguitur à Dominio, quoniam vnum ſine alio eſſe poteſt; Dominium enim eſt ius perfectè diſponens de rebus. Poſſeſſio verò eſt ius ſolúm ad inſiſtendum rei, hoc eſt, vt à corporali detentione, vel ab vtendo non poſſit poſſeſſor remoueri, vel impediri, & ſi aliquando contingat, eum ſpoliari poſſeſſione, vel illam ammittere, habet, ratione poſſeſſionis præcedẽtis, ius, illam recuperandi, nàm quod attinet ad fructus, quos facit ſuos, id procedit ratione Dominij, quod bona fide putat habere.

Notandum Quintó, quòd magna eſt vtilitas poſſeſſionis, præſertim Ciuilis. Primò, quoniam non ſolùm poſſeſſio facit fructus ſuos, & alia commoda percipit ex re poſſeſſa, ſed etiam apta eſt huiuſmodi poſſeſſio quærere poſſeſſori Dominium eiuſdem rei, ſi fortè illud non habeat, idq; B duobus modis, Primò, ſi res poſſeſſa in nullius bonis fuerit antea. Secũdò, etiamſi alteri fuerit quæſita, tamen bona fide ſit poſſeſſa tempore quodam prædefinito, concurrentibus alijs quibuſdam circunſtantijs, de quibus, cum de Præſcriptione. Aliud commodum, quoniam à poſſeſſore tolli non poteſt res poſſeſſa nisi Domino legitimè probante Dominium ſuum, & ideo poſſeſſor habet interim ius retinendi, & ſi ab eadem aliqua ratione ceciderit, habet ius recuperandi, vt dictum eſt, & hoc ſignificat diffinitio poſſeſſionis, dum dicit, *Poſſeſſio eſt ius inſiſtendi.*

Item, releuat poſſeſſorem ab onere probandi Dominium, & ſe eſſe Dominum rei poſſeſſę, quod difficilis eſt probationis. Cap. Sæpè. 18. in ord. De Reſtit. Spoliat. Vide. Et ideo, Actore non probante Dominium ſuum, poſſeſſor abſoluetur, etiamſi ipſe nihil probauerit. Poſtremò, vbi ex vtraque parte iura ſunt dubia litigantium, potior eſt conditio poſſidentis. *De Reſt. Spoliat. Sæpè.* C

De

A

De Occupatione primo, dominiū acquirēdi, modo. Caput VI.

Diſt. 1 C. Ius naturale. DOminia rerum ſecundùm ius naturæ non fuerunt diſtincta, nec termini agris poſiti, quoniam communis vna omnium erat poſſeſſio. Cap. Ius naturale. 8. in ord. diſt. 1. Diuiſio itaq; facta eſt iure poſitiuo humano, ſecundùm D. Aug. Tract. 6. *S. Auguſt.* Ad cap. 1. Ioannis, & refertur diſt. 8. Quo iure, 1. in ord. Vel iure gen- *Diſt 8 Quo iure.* tium, vel à primis illis populis, vel à Principe aliquo, quem ſibi conſtituerunt, vel fortè à parentibus ſecundùm Theologos, & præſertim Scotum *Scotum.* in 4. diſt. 15. q. 2. per quam diuiſionem renunciabatur iuri illi naturę de habendo omnia communia, & concedebatur cuilibet licentia ſibi illa ap- *Gloſſa.* propriandi, iuxtà illud Gloſ. in l. de Acquirenda poſſeſſione. Nimirùm, B Quodcumque calcauerit pes tuus, tuum erit. Vndè poſtea manauit celebris, & vulgata iuris regula, Quod nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur; Quia ſublata communitate, & data licentia appropriandi, ſecundùm rectam rationem, videtur, quòd illud, quod nondùm alteri eſt appropriatum, concedi debeat occupanti.

Loco citato Concl. 6. Sic habet Scotus ad rem noſtrā. Prima diſtinctio dominiorum potuit eſſe iuſta à lege poſitiua iuſta, ſiue lata à patre, ſiue Principe, ſiue Cōmunitate iuſtè Regnāte, vel Regente, & hoc modo probabile eſt, factum fuiſſe, nàm vel poſt Diluuium Noe filijs ſuis diſtinxit terras, quas ſinguli occuparent pro ſe, vel filijs ſuis, & poſteris, Vel ipſi de *Geneſis.* communi concordia diuiſerunt, ſicut legitur Gen. 13. de Abraham, & Loth, quia Abraham dedit optionem Loth, quam partem vellet eligere, & ipſe reliquam acciperet; Vel lex aliqua promulgata eſt à patre, vel ab aliquo ab eis electo in principem; Vel à communitate, cui ipſa com- C munitas commiſit iſtam auctoritatem, quę (inquam) lex fuit, vel potuit eſſe, quòd res tunc non occupata eſſet primò occupantis, & tunc poſtea diuiſerunt ſe ſuper faciem orbis terrarum, & vnus occupauit vnam plagam, & alius, aliam.

D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 2. ad 1. Communitas (inquit) rerum attribuitur iuri naturali, non quia ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter, & nihil eſſe quaſi proprium poſſidendum, ſed quia ſecundùm ius naturale, non eſt diſtinctio poſſeſſionū, ſed magis ſecundùm humanum conditum, quod pertinet ad ius poſitiuum, vt dictum eſt; Vndè proprietas poſſeſſionum non eſt contra ius naturale, ſed iuri naturali ſuperadditum per adinuentionem rationis humanæ. Et ad ſecundum

ſic ſubdit, Diues non illicitè agit, ſi præoccupans poſſeſſionem rei, quæ à principio erat communis, alijs etiam communicat, peccat autem, ſi ab vſu illius alios indiſcretè prohibet. Vndè D. Baſilius. Cur tu abundas, ille verò mendicat, niſi vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille verò patientiæ meritis coronetur. Hæc D. Th. Appropriatio ergo prædicta facta fuit per ſolam occupationem, ſeu apprehenſionem harum cōmunium rerum, & hac ratione Dominium cæpit. A S. *Baſilius.*

Obſeruandum verò eſt, quòd non omnium rerum quæſita ſunt dominia, ſed etiam hoc tempore reperiuntur multa, tàm mobilia, quàm immobilia, quæ in nullius bonis ſunt, & nemini adhuc appropriata, & in iſtis etiam hoc tempore locum habet regula, *Quod nullius eſt, occupanti conceditur*, & conſequenter etiam hoc tempore per ſolam apprehenſionem quæri poſſunt Dominia aliquarum rerum. *Vnde cæpit Dominium.*

Quarum rerū primū omniū eſt mare cum litoribus, Vndè poteſt quilibet appropriare ſibi mare, & litora eius, ædificando Domum, &c. & hac ratione quærere ſibi Dominium, non ſolùm ædificij, ſed etiam ſoli, donec durauerit ædificium illud & conſequenter ab ædificando in mari, vel litore nemo prohiberi poteſt, modò non impediat vſum communem. Hinc eſt, quòd inſulæ in mari de nouo inuentæ, fiunt primò occupantis, & ſic ſola apprehenſione, & occupatione quæritur dominium illarum, quoniā in nullius bonis ſunt. Idem dici poteſt de inſulis antiquis, inhabitatis tamen, deſertis, & incultis. Molina. Diſp. 53. Piſcari etiam quilibet poteſt in mari, & fluminibus publicis, quilibet etiam tollere poteſt aquam, & arenam ex litore, quilibet in iſtis nauigare, natare & lauari, quia in nullius bonis ſunt. Verùm hæc non poſſunt ita fieri propria per ſolam apprehenſionem, vt alij prohiberi poſſint, ne in eodem mari piſchentur, vel nauigent, &c. quoniam eodem iure gentium, hæc prohibita ſunt occupari, quòad prædictos effectus, ſcilicet prohibendi alios à piſcatione, & nauigatione, & alijs vſibus, & ideo relicta ſunt publica, ac propterea nō ſunt omninò de numero eorum, quæ in nullius bonis ſunt. Verùmtamen verum etiam eſt, quòd licèt per ſolam apprehenſionem non acquirantur huiuſmodi iura prohibendi, præſcribi tamen poſſunt, & acquiri, poſſeſſione longiſſimi temporis. B *De Mari, & litorib. eius.* *Molina.* C

Idem dicendum de fluminibus publicis, & ripis eorum, quod attinet ad piſcationem, & nauigationem, & alios communes vſus. Quod autē attinet ad inſulas in illis natas, & ripis earum, aliter eſt in Iure definitum, nempe, Vt inſulæ ſint eorum, qui prædia propè ripas habent, & poſſident. Ripæ verò ſolùm, quòad vſum nauigantium, & piſcantium ſunt publicæ, & proptérea cuilibet licitum eſt naues ad eas applicare funes arboribus *De fluminibus, & ripis.*

ligare,

A ligare, & onera in eiſdem reponere. Proprietas verò, Arbores, Fructus, & reliqua eorumdem ſunt, quorum ſunt prædia coniuncta.

Quàmuis in mari, & litoribus eius cuicumque liceat ædificare, non tamen licet in fluminibus publicis, & ripis eorum, ſiue nauigantium ſint, ſiue non, & propterea ſine Principis auctoritate, vel Reipublicæ, nemo poteſt in illis ædificare molendina, aut aliquid aliud quoniam hoc expreſsè prohibetur in Iure.

De Lapillis, & Gemmis. *De Theſaur.* Lapilli, Gemmæ, Aurum, & Res aliç mobiles quæcumque, quæ in bonis alicuius nunquàm fuerunt, & reperiri ſolent in litore maris, conceduntur occupanti, & ſic ſola appræhenſione acquiritur Dominium earũ rerum. Theſaurus, qui verè, & propriè theſaurus eſt, eadem ratione conceditur inuentori occupanti, quoniam in nullius bonis eſt tempore inuentionis. At quoniam iura ciuilia ſuper hoc multa ſtatuerunt, vt eorum clara, & diſtincta habeatur notitia, ſunt nonnulla obſeruanda.

B *Molina.* Primum, quòd theſaurus propriè dictus, eſt quædam vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat. Molina. diſp. 53. Vel, Sunt condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiori mobilia. Vndè colligitur. 1. Quòd theſaurus conſiſtere poteſt, non ſolùm in pecunia numerata, ſed etiã in Vaſis, Statuis, maſſa Auri, & Argenti, & huiuſmodi. 2. Ad Rationem theſauri neceſſe non eſt, quòd ſit magna copia, & quantitas rerum conditarum, & ideo conſiſtere poteſt in modica quantitate. 3. Nihil refært, an res prædictæ reperiantur conditæ in terra, vel in muro, aut ædificijs, quoniam eadem eſt ratio theſauri, vbicumq; *Nauarr.* fuerit. Nauarrus. Cap. 17. num. 172.

Theſauri cõditiones. Secundum. Tres ſunt conditiones theſauri. Prima, vt res ſint ſtudioſè, & ex induſtria conditæ, ſeu repoſitæ in ſecreto aliquo loco, alioquin, ſi eſſent deperditæ, aut per obliuionem, & ingnoratiã alicubi relictæ, non eſſent theſaurus. Secunda, Vt in eodem loco reperiantur reconditę, ſicut fuerant priùs à Domino earum, alioquin notæ, ſi aliqua ratione fuerint, verbi gratia, ex ruina domus, vel vi fluminis, aut pluuiæ, & ſic poſtea diſperſæ reperiantur, & malè compoſitæ, non haberent nomen theſauri. Tertia, Vt huiuſmodi res conditę ſint ab antiquo tempore, itaut propter vetuſtatem temporis, ignoti ſint domini, & propter hoc illas ammiſerunt, & in nullius bonis eſſe cæperunt. Quanta autem debeat eſſe huiuſmodi diuturnitas, diffinitum non apparet in Iure, neque apud Doctores, quare relictum videtur iudicio prudentis, & boni viri; Sufficere tamen videtur, ſi fuerit tanta diuturnitas, vt memoria rerum prædictarum conditarum non extet nec publicè, nec priuatim, verbi gratia, apud hæredes, alioquin, ſi aliqua extaret memoria, quàmuis ignoraretur locus,

C

cus,

cus non haberet rationem veri theſauri, tametſi impropriè, & large ſumpto vocabulo, theſaurus nominetur. A

Tertium. Si quis dominium, & poſſeſſione habet in præſenti loci illius in quo eſt theſaurus abſconditus, non propterea eſt dominus illius, quoniam eiuſmodi res conditæ non ſunt eiuſdem loci pars aliqua, neq; ſunt productæ, aut generatæ in eodem loco, propterea, cum non appareant in ſuperficie, & prorſùs ignorentur, nequeunt poſſideri, immò etiam ſi ſcirentur, eorum non adquireretur dominium, vel poſſeſſio ſine apræhenſione.

Quartum. Non eſt aliqua ratione prohibitum, aut illicitum, quòd aliquis, iuxtà Domini parabolam. Matt. 13. Sciens occultum theſaurum in agro, vel in domo aliqua, emat agrum illum, propterea quòd, vt dictum eſt, venditori nulla ſit inuria, vel iniuſtitia, cum ius nullum habeat in theſauro illo, & ager ille non pluris valeat, quàm ſi in eò nullus eſſet theſaurus. D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 2. Et ideo totum theſaurum poſtea ſibi quęrit, ſed illum communicare tenetur venditori. Siluester. *S. Matt.* B

Quintum. Magna eſt differentia in Iure Inuenire theſaurum, in loco proprio, & alieno; Item inuenire in loco alieno, caſu, vel data opera, aut ſtudio; Propterea quòd, quantúm attinet ad illius diffinitionem, non eſt eadem Iuris diffinitio, vt patebit. Ex iſtis obſeruandis deducuntur aliqua dicta ad hanc materiam de theſauris ſpectantia.

I. Peccatum mortale eſt quęrere theſauros magicis, aut quibuſcumq; alijs malis artibus, non ſolùm in agro alieno, ſed etiam in proprio, & ideo hac ratione theſauri inuenti huiuſmodi malis artibus, non efficiuntur inuentoris, ſed Fiſci Nauarr. Cap. 17. n. 175.

II. Abſq; malis artibus theſaurus propriè dictus inuētus in agro proprio totus adquiritur inuentori ſiue caſu, ſiue data opera inuentus ſit; Idem quoq; procedit, fortè reperiatur in publica platea, in via, vel foro, quoniam eiuſmodi loca non ſolùm publica ſunt, ſed nemini etiam appropriata. C

III. Theſaurus inuentus in agro, vel alio loco alieno caſu fortuito, & non data opera, & ſtudio quęſitus, pro æquis portionibus diuidendus eſt inter inuentorem, & dominum loci, in quo inuentus eſt, non in pænam inuentoris, ſed pro bono pacis inter ciues conſeruando, alióquin ſecluſa Iuris poſitiui diſpoſitione, Iure naturali totus diceretur Inuentoris quantùmuis induſtria quæſitus, & propterea, cum huiuſmodi leges non ſint pænales, obligant inuentorem in conſcientia ad reſtituendum domino loci, etiam non petenti, & ignoranti prędictam dimidiam partem inuenti theſauri ànte omnem Iudicis ſententiam. Nauarrus, vbi ſupra.

Digitized by Google

A IV. Si theſaurus ſtudioſè, & data opera quæratur, & inueniatur, in loco alienò, inuito, vel ignorante domino loci, totus reſtituendus eſt proprio domino; At quoniam lex pœnalis eſt, in conſcientia non obligatur inuentor ad totius theſauri reſtitutionem, ſed ſolùm ad dimidium.

V. Si in loco ſacro, vel religioſo theſaurus inueniatur, dic vt ſupra.
Molina. Molina. diſp 56. Dicitur, quod eſt totus inuentoris Inſt. De Rer. diuiſ.
Inſt de Rer. diuiſ § Theſaurus. §. Theſaurus; Alibi quòd dimidium pertinet ad fiſcum. Nihilominùs dicendum eſt, quòd dimidium eſt Prælati, eiuſq; cuius fuerit talis locus ſacer. Ratio eſt, quoniam hodiè Eccleſiæ in hac parte Prælatorum eſſe cenſentur.

VI. Theſaurus inuentus in fundo dotali quòad portionem illius, quæ domino fundi debetur, pertinet ad Vxorem. Inuentus in prædio vinculo primogenij ligato, quòad portionem, quæ ex illo domino prædij debetur, integrè pertinet ad poſſeſſorem maioratus eo tempore, neq; tenetur
B quidquam ſucceſſoribus reſeruare.

VII Scientibus, & conſentientibus dominis locorum, poteſt vnuſquiſq; ſtudioſè quærere theſaurũ in locis alienis, & inuentos, ſibi quęrere in totum, vel in partem, iuxta conuentionem habitam inter ipſos. Nauarrus. Supra. Addunt alij, ſi dominus loci, de theſauro quęrendo in ſuo agro fuerit requiſitus, ipſe verò permiſit quidem, ſed ſpreuit, & neglexit non credens poſtulanti, ſi in veritate poſtea fuerit inuentus, totus erit
Medina. inuentoris, & nequaquàm communicandus eidem domino. Medina. Sed hoc non videtur tutum.

VIII. Prædicta omnia procedunt ſecundùm Iuris communis diſpoſitionem, Vtrum verò hoc tempore hæc eadem ſeruanda ſint, magna eſt controuerſia, quandoquidem multi Doctores teſtantur ex pręſcripta conſuetudine totius orbis, theſauros quomodocumq; eſſe Principis, & hanc conſuetudinem obligare omnes in foro conſcientię. Molina diſp.
C 56. Alij contendunt oppoſitum, nimirùm, vel conſuetudinem prædictam non eſſe ſic generaliter vbiq; introductam, immò nec introduci poſſe, cum ſit contra ius gentium, & de facto introductam, eſſe violentam, & irrationabilem, populis nec expræſsè, nec tacitè conſentientibus, & ideo nullam vim habere obligandi; Idemq; aſſerunt, ſi lex alicubi eſſe poſita,
Silueſter. quòd theſauri inuenti eſſent Principis. Silueſter. De Incertis. 6. Secundùm Petrum de Palude Hodiè vbicumq; inueniatur theſaurus, de conſuetudine, eſt Principis, ſed ego (inquit) dico, iſtam conſuetudinem in conſcientia non ligare, quia nõ eſt introducta per modum legis, ſed violentię, nec fuit vnquàm moribus vtentium approbata, niſi violenter; Eſt etiam contra Iura Canonica, quæ volunt, Bona incerta, ſi reſtituenda ſunt, eſſe pau-

pauperum; Et ſi non ſunt reſtituenda, eſt contra Iura Ciuilia, & contra naturalem æquitatem, contra quam æquitatem conſuetudo non poteſt. Pro huius ergo controuerſiæ ſolutione tria dicam. A

I. Quòd leges particulares in ſingulis Ciuitatibus Prouincijs, & Regnis poſitæ, quòd theſauri inuenti in totũ, vel ſecundùm partẽ aliquã ſint ſolius Principis, ſunt ſeruanda, & obligãt in cõſcientia, propterea quòd, cum ante inuentionem nullius ſint, poteſt Princeps lege ſua illos ſibi applicare ad ſuſtinenda onera gubernationis. Et nemini facit iniuriam, cum (vt dictum eſt) nullius ſint. Probatur, Quoniam poteſt eos theſauros inueniendos alteri concedere, vt conceſſit Adrianus Imperator, ſtatuendo, theſauros inuentos in loco alieno eſſe diuidendos inter dominium loci, & inuentorem, cum tamen iure gentium debuiſſent eſſe ſolius inuẽtoris.

II. Si alicubi leges huiuſmodi particulares de inuentione, & acquiſitione theſauri poſitæ non reperiantur, ſeruanda eſt illa particularis conſuetudo, quæ fortè ibidem eſſet introducta, & præſcripta. Quòd autem de generali conſuetudine totius orbis teſtantur Doctores, Theſauros omnes eſſe ſolius Principis, admittendum non eſt, quoniam probabile non eſt, populos conſenſiſſe, cum quilibet ſubditus præſumatur magis ſibi, quàm Principi velle bonum, & beneficium. Æxiſtimo autem, Doctores prædicto, ſteſtatos fuiſſe de eiuſmodi conſuetudine, quoniam vbique ferè terrarum leges particulares poſitæ ſunt, de theſauris prædictis quærendis Principi in totum, vel ſecundùm aliquam partem. B

III. Vbi neque particularis lex, neque conſuetudo apparet de prædictis theſauris communicandis Principi in totum, vel in partem, ſeruanda ſunt Iura Communia, iuxtà prædicta.

Valde autem animaduertendum eſt, quòd quæcumque aliæ res, quæ Dominum aliàs habuerunt, in præſenti tamen non habent, acquiruntur, & fiunt occupantis ſola inuentione, & apprehenſione propter eandem Iuris regulam, quoniam in nullius boni ſunt. Harum verò tria ſunt genera. *Tripl. genus rerũ, quę occupãtis fiũt.*

Primi generis ſunt illæ res, quæ ab antiquiſſimo tempore dominum amiſiſſe videntur, & non habent formam, & rationem veri theſauri, propterea quòd non reperiuntur in aliquo certo loco ſtudioſè conditæ, & huiuſmodi omnes acquiruntur inuentori, etiamſi in loco alieno, & etiamſi ſtudioſe, & data opera fuerint quæſitæ, & inuentæ, quoniam cum non ſit theſaurus in illis, non procedit determinatio Iuris Ciuilis, vt communicentur domino loci, in quo inuentæ ſunt, & propterea in illis ſolùm ſeruanda uenit regula iuris gentium, nimirum, *Quę in nullius boni ſunt, conceduntur occupanti*. Hinc apparet, quòd lapides pretioſi, aut metalla C

 antiqua,

A antiqua, & etiam pecunia per agrum diſperſa inuenta in loco alieno, quę runtur inuentori, nec ſunt reſtituendæ Domino loci, in quo fortè reperiũtur, quoniam ille non eſt dominus rerum prædictarum, nec etiam earundem poſſeſſor, ſicut non eſt dominus theſauri, vt dictum eſt, eadem enim ratio eſt in vtriſque. Nec etiam ſunt alicuius alterius; Ergo neceſſariò dicendæ ſunt eſſe inuentoris.

Secundi generis illæ res ſunt, quæ habentur pro derelictis, ſiue mobilia ſint, ſiue immobilia; Habentur autem pro derelictis, cum dominus, illorum poſſeſſionem abiecit, ea mente, vt in numero bonorum ſuorum ea eſſe nolit, & hac ratione, eorum definit eſſe dominus. Et ideo, cum nullius eſſe incipiunt, fiunt occupantis; Quod dupliciter contingit, primò cum quis poſſidet res ſuas, & eaſdem ſponte abijcit, vel ſponte deſerit earum poſſeſſionem animo (vt dictum eſt.) & non vult eas ampliùs eſſe ſuas. Exemplum in pecunijs, & rebus alijs mobilibus, quæ aliquibus in locis, cum accipitur poſſeſſio Regni, vel in alijs ſolemnitatibus iactari ſolent, vt fiant primò occupantis. Vel cum deſeruntur loca habitationis, & quæruntur aliæ ſedes. Secundò res habentur pro derelictis,
B cum nimirùm quis perdiderit res ſuas, vel ignorat, vbi eas reliquerit, vel fuerit ſpoliatus earum poſſeſſione, & illàs ſcienter non perquirat, nec recuperat, cum poſſit. Nauarr. cap. 17. num. 170. Silu. Inuentum. q. 3.
Nauarr. *Silueſter.* Quapropter, ſi ignorat, illas perdidiſſe, vel oblitus ſit eas alicubi reliquiſſe, aut ignorat vbi perquirat, vel propter difficultates, labores, & pericula in perquirendo definat perquirere, is profectò dici non debet, quòd res prædictas habeat pro derelictis, id enim certis, aut ſaltẽ probabilibus argumentis iudicare oportet, quandoquidem nemo præſumitur velle iactare res ſuas.

Dubium eſſe poteſt in hoc caſu de rebus iactis in mari tempore tempeſtatis, cauſa alleuiandi nauem, Vtrum æſtimari debeant, pro derelictis? Vbi ſciendum eſt, quòd lata eſt excommunicatio in Bulla Cænæ contra occupantes bona Naufragantium. Sed diſtinctio allata ab omnibus ferè Doctoribus mihi non probatur, de hoc tamen aliàs longior, &
C exactior erit ſermo.

Tertij generis illæ res ſunt, quę dominum quidem habent, ſed omninò incertum, & incognitum. Iſtę non ſunt inuentoris, ſed dominorum. Verùm quòad hoc non leuis eſt dubitatio.

Dubium. Vtrum ſi Dominus ſit ſufficienter perquiſitus puta, ſi proponatur in foro. & locis publicis libellus, in quo ſignificetur res inuenta, & proponatur domino illius modus aliquis illam recuperandi, & non compareat, Vtrum (inquam) res acquiratur inuentori.

Pro

A *Solutio.*

Pro parte negatiua, & quòd bona prædicta reſtituenda ſunt pauperibus vel in alios pios vſus conuertenda arbitrio Epiſcopi; Hęc ratio eſt quoniã talis interprætatur, & præſumitur eſſe voluntas domini rerum, vt poſtquam immediatè ſibi reſtitui non poſſunt propter ſui incertitudinem, ſaltem erogentur in pios vſus ad ſui ſpiritualem vtilitatem. Probatur ex Sacr. Can. nàm Cap. Cum tu. 5. in ord. De vſuris, & Cap. Cum ſit, 16. in ord. De Iudæis. Reſtitutio malè acquiſitorum præcipitur fieri pauperibus, ſi domini ſint incerti, & ignoti. Similiter in Iure Ciuili definitum eſt, bona peregrinorum decedentium ab inteſtato, propterea quòd ipſorum hæredes incogniti ſunt, eſſe eroganda pauperibus.

De Vſuris. Cap. Cum tu. De Iudæis. Cap. Cũ ſit.

Item probatur ex illo D. Aug. l. 50. Homiliarum hom. 9. & refertur 14. q. 5. Cap. Si quid 6. in ord. ſi quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti, quantum potuiſti, feciſti. Quia plùs non inueniſti, ideo non plus rapuiſti. Vndè, qui aliena bona inuenta domino ſuo non reſtituit quoquomodo poteſt, eo ipſo illa furari videtur.

S. Auguſt. 14. q. 5. Cap. Si quid.

B

Pars affirmatiua, nimirùm, quòd facta diligenti inquiſitione, quantùm fieri oportet, Iudicio boni viri, & domino non comparente, & adhuc incognito, inuenta acquiruntur, & fiunt inuentoris, & nulla ratione adeſt obligatio ad ea pauperibus, vel in alios pios vſus erogandi. Ratio quoniam nullo præcepto poſitiuo, aut naturali id definitum eſt. Decretales citatæ, & aliæ, ſi quæ ſunt ſimiles procedunt in malè acquiſitis, cum peccato ſcilicet, & iniuſtitia, non verò in inuentis, quæ ſine vllo crimine, & ſine culpa accepta ſunt. Similiter leges Ciuiles loquuntur de peregrinis decedentibus ab inteſtato ſine vllo certo, & cognito hærede. Caput illud *ſi quid inueniſti*, & lex procedunt, vbi Dominus certus eſt, cui fieri poteſt reſtitutio, & quando non habentur pro derelictis. Gloſ. d. cap. Si quid inueniſti. Quòd non adſit præceptum naturale probatur, quoniam eo ipſo, quòd incertus eſt Dominus, inuenta reputantur de numero eorum bonorum, quæ nullius ſunt, & ſic occupanti de iure gentium concedi deberet. Et ex hoc ſoluitur Argumentum præſumptæ, & interprætatæ voluntatis, quoniam, etſi voluntas domini, pręſumi poſſit ſatis probabiliter quòd ſit huiuſmodi, nihilóminus ea voluntas non eſt efficere ad cogendum inuentorem, vt illam impleat, & exequatur quoniam eo ipſo, quòd Dominus incertus eſt, diſponere non poteſt ampliùs de bonis ſuis deperditis, & ſic voluntas eius nullam habet vim obligandi.

Gloſſa.

C

Quid igitur dicendum? Dico primò, quòd inuentor ſiue ſit pauper, & indigens, ſiue fuerit Diues, & non indigeat, poteſt res prædictas ſibi retinere. Probabiliter enim æxiſtimare poteſt, res inuentas habitas eſſe pro derelictis à dominis ſuis.

Dico

A Dico ſecundò. Si probabiliter iudicio boni viri præſumi non poteſt, res prædictas habitas eſſe pro derelictis à dominis ſuis, tutior, & ſecurior videtur opinio, quòd erogari debeant in aliquos pios vſus ad vtilitatem ſpiritualem dominorum. *Sed tu tene cum ſecunda opinione.*

Aduertendum hic, quod etiamſi nec leges Ciuiles, nec Canonicæ reperiantur poſitæ de bonis iſtis inuentis alicui quærendis, nihilòminus in quibuſdam locis particulares conſuetudines præſcriptæ ſunt, & fortè etiam leges poſitæ, vt animalia ſic deperdita, vt equi boues, & ſimilia, ſi domini ſint omninò incerti, poſt proclamationes, applicentur fiſco, vel alteri, quæ quoniam irrationabiles non ſunt, ſeruari proculdubio, debent.

S. Thom.

Ex prædictis reſolui poſſunt multi caſus, qui non infrequenter accidere poſſunt, & ſolent.

B Primò. Ad acquirendum dominium rerum iſtarum, quæ in nullius bonis ſunt, non ſufficit ſola inuentio, & aſpectus illarum, ſed neceſſaria etiam eſt appræhenſio, & occupatio, idque generaliter ſiue thesauri ſint, ſiue alia quæcumque. Vndè inferri poteſt, quòd ſi duo homines, caſu, aliquid huiuſmodi ſimul inuenerint, vel viderint, ſed vnus citiùs altero appræhendat, & occupet, ipſe ſolus erit dominus rei illius; Ad pacem tamen ſeruandam, & ex quadam æquitate diuidi inter eos conueniet, propterea quod etiam ille alius appræhendiſſet, niſi fuiſſet præuentus, & impeditus; Dari tamen debet optio appræhendenti, ſi velit rem integram ſibi retinere, & valorem partis communicandę in pecunia, vel in alia re compenſare. Secùs fortè dicendum, ſi data opera, & ſtudiosè ſimul quæſijſſent, & nulla, inter eos ſit contracta ſocietas.

Occupatio ad dominiũ neceſſaria.

Secundò. Si Dominus in penetralibus, & locis reconditis Domus, agri, vel alterius rei ſuæ, vel in terra, immurata, vel recondita nonnulla bona mobilia, quæ ibidem, non ante multos annos à prioribus dominis vel perdita, vel relicta, & per obliuionem ablata, aut per metum hoſtium, vel latronum vel cauſa cuſtodiæ, aut alia quacumque ratione abſcondita fuerint, reperiat; ea cuſtodire debet prioribus dominis, aut heredibus ipſorum, ſi fortè quoquomodo ſciri, aut præſumi poſſit, qui ſint illi, aliàs furtum committit, & peccat conſequenter mortaliter; Quoniam, cum non habeant huiuſmodi bona rationem theſauri, & domini non ſint omninò incogniti, manent illorum, etiam ſi non meminerint ampliùs rerum prædictarum, & ignorent illa,

C

De rebus reconditis.

aut

aut locum, in quo repoſitæ ſunt.

A

De lignis aquarũ impetu tranſportatis.

Tertiò. Trabes, tabulæ, & alia lignamina, vel vaſa lignea, quę vi, vel impetu fluminis, aut aquæ pluuiæ inundantis auferuntur, manent dominis ſuis, & illi poſſunt à quocunque loco in quę illa fuerint tranſportata ſibi tollere, & prohiberi non poſſunt; Atq; proinde peccant peccato furti quicumq; alij, illa vſurpando, ſiue dum adhuc ſunt ſuper aquas, ſiue etiam poſtquam in terrã depoſita fuerint; Poſſunt tamen & debent locorum Domini, in quos illa fuerint tranſportata, per iudicem monere dominos prædictarum rerum, ſi fortè ſciantur, vel ſaltem per banna, vel proclamationes, ſi illi ignorentur, vt ſibi tollant, aliòquin habebuntur pro derelictis, & tunc, ſi negligant auferre, tuta conſcientiâ poterunt illi ſibi acquirere, quoniam tunc videtur conſcientiæ ſatisfactum fuiſſe illis modis, ac vijs, quibus in tali re dubia, & ambigua ſatisfieri poterat, monendo, proteſtando, &c.

B

De lignorum collectione.

Quartò. Pauperes homines incidentes, & colligentes ligna ſicca, & arida in agris, & locis alienis excuſari poſſunt non ſolùm prætextu paupertatis, ſed etiam ex eo quòd huiuſmodi ligna habentur pro derelictis à dominis, propterea quòd nec ipſi ea ſibi colligunt, nec vendunt alijs, aut de illis aliqua ratione diſponũt, Vndè frequenter contingit illa, ſi non tollantur, corrumpi, & marceſcere.

De Paſcuis.

Quintò. Poteſt quilibet collectis frugibus paſcere animalia ſua in agris alienis vſq; ad nouam culturam, & etiam inuitis dominis, & ab eis prohiberi non poſſunt; Quoniam herbę ex illis ſpontè interim naſcentes, nullius ſunt, aut ſaltem haberi ſolent à dominis pro derelictis, aut deniq; iure gentium communes ſunt conciuibus; Modò tamen eadem loca non ſint prata, aut domini non ſoleant herbas prædictas pro eodem tempore alijs locare, vel vendere.

C

De metallorum fodinis.

Sextò. Fodinæ Auti, Argenti, Ferri, vel alterius metalli, & mineralium quorumcumq; non acquirũtur inuentoribus, ſed iure gentium pertinẽt ad dominos locorum, vbi ſunt, quoniam ſunt partes agrorum, & in eiſdem productæ. Verùm, quod attinet ad fodinas auri, & aliorum metallorum, & mineralium ex conſuetidine praſcripta in multis Prouincijs, & Regnis reſeruatæ ſunt Principi, vel Reip. ad onera gubernationis ſuſtinenda, tamen ſecundùm leges particulares, vel etiam conſuetudinem alicubi nonnihil concedi ſolet inuentoribus, & dominis locorum, vbi reperiantur, præter compenſationem damnorum, quę ſuſtinent dum effodiuntur, & perquiruntur. Quod attinet ad lapicidinas, & aliarum rerum venas, vt aquæ, cretæ, & huiuſmodi, nihil immutatum videtur, & ſic manent dominorum ſuorum, ſecundùm Iura communia.

Septi-

Digitized by Google

A De Operarijs Septimo. Fabri murarij, & alij, quorum operæ diurnæ conductæ ſunt ad laborandum in agris, vineis, & rebus alienis, inuenientes theſauros, ſecundùm Iura communia lucrantur medietatem ipſorum, reliquã veró partem domino loci reſtituere tenentur; At ſi non fuerint theſauri, ſed res aliæ antiquiſſimo tempore ibi exiſtentes, quarum domini ſunt prorſus ignoti, ſecundùm ea, quæ dicta ſunt, totas ſibi acquirunt, & alijs communicare non tenentur, quamquàm ſecundùm quandam æquitatẽ, aliud fortè videatur dicendum.

De Venatione, Aucupio, & Piſcatione.

Cap. VII.

B SVpponendum eſt pro declaratione huius articuli, Inter quadrupedes, & volucres quaſdam natura ſua feras eſſe, vt lepores, perni- ces, &c. quaſdam manſuetas, vt oues, & gallinas; Item inter Columbas, alias feras eſſe, alias manſuetas, ſic inter Anſeres, Gallinas, ſues, & ſimilia. Deniq; quędam ſunt ferę quidem natura, ſed per accidens hominum conſuetudine factæ ſunt manſuetæ, vt Cerui, Accipitus, &c. Quo ſuppoſito tres ſunt regulæ circa horum animalium dominium.

Prima regula Animalia ex natura ſua manſueta regulariter ſemper ſunt in bonis alicuius, & regulariter nulla reperiuntur, quæ dominium nõ habeant, niſi fortè habita ſint pro derelictis, vel niſi à dominis ſuis aufugerunt, vel perdita fuerint, & propterea in ſiluis enutrita euaſerint feræ naturæ. Horum animalium dominium non amittitur quantúmuis longiùs, & multo tempore à conſpectu domini euaſerint, quàmuis, ſi C ignorent, vbi ea ſint, deſinant ea poſſidere, ac proindè qui ea occiderit, lęſerit, aut occupauerit, ſeu illis vſus fuerit, aut fructus, vel aliquid aliud ex eis perceperit, furtum committit. Nauarr. Cap. 17. num. 178.

Secunda regula. Reſpectu eorum animalium, quæ naturà ſuà feræ ſunt, ſed per accidens manſueta ſtudio, induſtria, & conſuetudine noſtra, ea eatenùs noſtra ſunt, quatenùs ſunt ſub aſpectu, & cuſtodia noſtra; Idem etiam, ſi extrà cuſtodiam noſtram ſint aliquando, abire tamen, & redire ad nos poſtea conſueuerunt; Tandiu igitur ſub dominio noſtro ſunt, quàmdiu animũm, & conſuetudinem reuertendi retinuerint; Quàpropter, ſi redire deſinant, etiam noſtra eſſe deſinunt. Ratio, quoniam, cum

cum in naturalem libertatem ſe receperint, & conſequenter de illis amplius diſponere non poſſimus cum volumus, & proindè in nullius bonis eſſe incipiunt, etiam iterum fieri poſſunt occupantis. Quando autem talia animalia dicenda ſint ammiſiſſe animum, & conſuetudinem reuertendi, iudicio boni viri diffiniendum relinquitur. A

Tertia Regula. Feræ, Beſtiæ, Volucres, Piſces, & Animalia omnia, quæ mari, cœloq; hoc eſt Aere, & Terra naſcuntur, aut verſantur, ſimul atq; capta ſunt, iure gentium ſtatim capienti acquiruntur, quoniam cum nullius ſint naturali ratione conceduntur cuicumq; occupati. Ex his regulis educuntur plura dicta.

I. Animalia, naturà ſuâ, manſueta, quę noſtra ſunt, vt oues, & Gallinæ, ſi à lupis capiantur, & aliquis ab ore ipſorum ea eripiat, non deſinunt eſſe noſtra, quàmdiu à prædictis beſtijs conſumpta non fuerint, & ideo ille, qui ea eripuit de ore eorum, non acquirit eorum Dominium.

II. Animalia feræ naturæ, ſed manſueta effecta, vt Cerui, Falcones Accipitres, & ſimilia, quæ oſtenſo cibo, aut alio ſigno ad manus vocata ex conſuetudine venire ſolent, ſi in naturalem libertatem ſe receperint, & reuertendi animum depoſuerint; Quàmdiu ſunt in conſpectu Domini ea perſequentis, & reuocantis, adhuc ſub Dominio proris domini ſunt, & nulla ratione licitum eſt alijs ea venari, quàmuis non ſtatim vocata veniant, prężertim Domino laborante, & ſperante eorum reuerſionem. Idem dicendum, etiamſi non ſint ampliùs in conſpectu Domini, & ignoretur vbi ſint, vel vbi perquirantur, ſi capiantur, quoniam vocata oſtenſo cibo vel facto aliquo ſigno veniant ad manus, vt priùs conſueuerant, dicendũ videtur, quòd pertineant ad priores dominos, & illis reſtituenda ſunt, & non fiunt capientium. Ratio, quoniam apparet conſuetudinem, & animum reuertendi non depoſuiſſe. Econtrà ſi capiantur dolosè retibus, aut alijs ſimilibus inſtrumentis erunt capientium, etſi ſtigmata in collo, vel pedibus ex auro, vel argento, vel ære habeant priorum dominorum. Quoniam nec ſub aſpectu, aut cuſtodia illorum ſunt, & conſuetudinem reuertendi dnpoſuerunt, & ideo, cum reuerſa in naturalem libertatem, in nullius bonis ſint, iure gentium, iterùm fiunt occupãtis, iuxtà ſecundam regulam; Et hoc quidem attento iure communi, nàm fortè de conſuetudine, aliter eſſe dicendum. B C

III. Animalia feræ naturæ ſemel capta, & appropriata, etiamſi euaſerint noſtram cuſtodiam, & in naturalem libertatem ſe receperint, ſi oculos noſtros ſeu prioris domini non effugerint, qui eadem perſequitur, & difficilis non eſt eorum recuperatio, adhuc noſtra ſunt, ſiue prioris domini. Econtrà, ſi in conſpectu prioris domini non ſint, vel etiam, ſi ſint,

Digitized by Google

A difficilis eſt illorum perſecutio, quoniam propter hoc definunt eſſe illius, fiunt occupantis.

IV. Animalia feræ naturæ, dato, quòd nidum fecerint, vel conſederint, aut, ſi Apes fauum mellis facerent, aut maneant, & nutriantur in agro, nemore, vel arbore mea, nec etiam, dum ibi ſunt, æxtimari debent eſſe mea, quoniam adhuc ſunt in naturali libertate, & indè diſcedere, & aliò migrare, vel volare poſſunt, & impediri, & retineri non poſſunt, & ideo in nullius bonis ſunt, hinc occupanti conceduntur, vt in tertia Regula. Idem dicendum de fauo mellis, & pullis, quos ibi fecerint.

V. Apes alueis incluſæ, & columbæ in columbarijs commorantes, & nidificantes ſunt eorum, quorum ſunt columbaria, quoniam ſedem habent firmam, in quam ex conſuetudine ſemper ſe recipiunt, eaq; eſt in bonis eorumdem, qui pro induſtria illam aptauerunt ad hunc finem, & dictorum animalium nonnullam habent curam, & prouidentiam, & ideo

B de illis diſponere aliqua ratione poſſunt. Hinc eſt, quòd illa capientes, vel occidentes peccant mortaliter, & idcircò tenentur ad reſtitutionem. Nauarr. cap. 17. num. 127. Mortaliter peccat ille, qui dolo, vel arte aliqua, verbi gratia, ciminio, ſeminibus, vel alijs medijs, columbas alterius columbarij tradit ad ſuum.

VI. Alicubi ſunt leges poſitæ, vel conſuetudines præſcriptæ, iuxtà certum aliquod, & definitum ſpacium, verbi gratia duorum, vel trium milliarium à columbario, columbas prædictas diſtantes occidi, vel capi non poſſe; Vltrà verò ſpacium prædictum non eſt prohibitum; Vbi huiuſmodi leges, vel conſuetudines apparent, quantùmcumque peregrè volauerint, ad quærendos cibos, modò ire, & redire ſoleant, eas capere, & occidere, prohibitum eſt, quoniam vbicumque exiſtant, manent dominorum ſuorum.

VII. Etiamſi ſimul, & turmatim omnes Apes, vel examen exeat ex

C alueis ad quærendas nouas ſedes, ſi ſint in conſpectu domini, qui eas recuperare, & includere iterùm conatur, & difficilis non eſt eorum perſecutio, non ammittitur eorum dominium, nec fiunt occupantis. Sic enim definitum eſt in Iure, quòd etiam hoc tempore ſeruat conſuetudo.

VIII. Feræ, volucres, & piſces incluſi in paludibus, ſtagnis, & lacubus naturà, vel arte circumſeptis, Si loca illa ſint magnæ vaſtitatis, non ſunt eorum, qui dominium habent eorundem locorum; Ratio quoniam naturalem ferè habent libertatem, & ita difficilis eſt eorum perſecutio, ac ſi loca prædicta non eſſent circumſepta. Econtrà, ſi parui ſint ſpacij cuiuſmodi eſt piſcina, hortus, viuarium, aut aliquid huiuſmodi, ſunt eorum, quorum ſunt loca prædicta, quacumque ratione ibi reperiantur, propterea,

Digitized by Google

rea quòd propter loci anguſtiam, non videntur habere naturalem libertatem, cum facili negocio, capi, & occidi poſſint, & fugere nequeant. Molin. diſp. 41. A *Molina.*

IX. Si færam lethaliter vulneratam vulnerans proſequatur, ex rationabili conſuetudine, nullus alius eodem tempore, eam venari poteſt. Idem dicendum, ſi vulnus non fuerit læthale, modo vulnerans, eam non deſinat perſequi, & venari, quoniam vulnere illo facta eſt debilior, & proindè venatio illius non eſt ita difficilis, ſicut erat antea, ideo vulneranti ius quæſitum eſt ad prohibendum alios, ne eam venentur, aliter illi fieret iniuria. Attendi debet conſuetudo. Molin. diſp. 42. *Molina.*

X. Færæ, Aues, & Piſces, ſolùm illaqueati, vel incluſi retibus, laqueis, aut alijs inſtrumentis, ſi animalia prædicta ita fuerint irretita, vt nulla ratione ſe expedire poſſint, atque ideo, vt ponens laqueos, aut retia, eadem ſit aliquando appræhenſurus, quãmuis ex ſola illaqueatione dominium non acquiſierit, quæſiuit tamen ius aliquod ad illa, propter quod prohiberi videntur omnes alij ab illis ſibi appropriandis, & vſurpandis. Molin. diſp. 42. Ita vt, ſi ab aliquo fuerint de facto vſurpata, compenſationem facere debent. B

XI. Dominus Agri, Stagni, vel alterius loci, etiam circumſepti, in quo ſunt animalia, volucres, aut piſces, prohibere poteſt, ne alij ibi venentur, occupentur, piſchentur, quoniam prohibere poteſt, ne ingrædiantur loca prædicta, quorum Dominus eſt, & ſi eo inuito, & prohibente ingrædiantur, peccant mortaliter; Addit Nauarr. cap. 17. num. 129. Eiuſmodi prohibitio fieri poteſt non ſolùm expreſsè, ſed etiam tacitè ſępiendo, verbi gratia, loca illa muro, vel alio modo. *Nauarr.*

XII. Ius prohibendi Venationem, Aucupium, & Piſcationem habet etiam Reſp. vel Princeps non recognoſcens Superiorem, non ſolùm in bonis proprijs, ſicut poteſt quilibet priuatus, ſed etiam in bonis communibus, immò etiam in bonis, quæ ſunt propria ſingulorum; Poteſt enim Primò Princeps hoc ius venandi, piſcandi, aucupandi, ſibi applicare, & appropriare, vt vendat, vel concedat alijs accepto prętio, cum ſit pecunia æſtimabile, vt illo iuuetur ad publica onera ſuſtinenda; Poteſt etiã, ob publicam vtilitatem, nimirùm vt prædicta animalia multiplicentur, & penitus non deſtruantur. Secundò prohibere poteſt in certis anni temporibus, quando grauida ſunt, vel nidificant; Aut ne capiantur quibuſdam inſtrumentorum generibus. Nauarr. Cap. 17. num. 124. Tertiò poteſt idem ius ſibi reſeruare in omnibus prædictis bonis, vel in aliqua parte ipſorum, vel ſemper, vel in determinatis anni temporibus, vel omnium animalium, vel determinatè alicuius ſpeciei ad honeſtam, & ſibi C

A debitam animi recreationem. Quartò poteſt idem ius Venandi, Piſcandi, Aucupandi in bonis prædictis, ea animalia, quæ nullius ſunt, alteri in priuilegium concedere, cum facultate alijs prohibendi; Ratio, quoniam, etſi Venatio, Aucupium, & Piſcatio horum animalium libera ſint iure gentium, nihilominus, cum nullius ſint animalia, poteſt Princeps ea ſibi appropriare, vel alijs concedere, priùs quàm ab alijs apprehendantur. Quintò tandem poteſt, idem ius venandi, & prohibendi alijs, acquiri legitima præſcriptione, vel conſuetudine legitimè præſcripta.

XIII. Si quis legitimè prohibitus, prohibitione non obſtante venetur, ei, qui ius habebat prohibendi, tenetur animalia, quæ ceperit reſtituere, ſi animalia prædicta fuerint illius propria, quia videlicet in columbarijs ſuis ſunt, aut viuarijs, & ſimilibus incluſa poſſideantur, vt dictum eſt ſupra; At ſi in nullius bonis fuerint, propterea quòd naturalem habent libertatem etiam ſi loca ſint circumſepta arte, vel natura dicendum quòd *Molina.* non; Molin. diſp. 41. Quidquid dicant alij. Ratio eſt quoniam ſicut ante B prohibitionem, animalia prædicta non erant in bonis alicuius, ſic nec fuerunt poſt prohibitionem, cum is, qui ius habet prohibendi per ſolam prohibitionem, non acquiſierit dominium prædictorum animalium; Ergo acquiri poſſunt venatori occupanti æquè poſt, ſicut ante prohibitio- *Nauarr.* nem. Nauarr. cap. 17. num. 121.

De Acquirendo Dominio per Bellum.

Cap. VIII.

C PRO huius rei notitia duo ſupponenda ſunt, ex quibus, quid ſecundùm veritatem dicendum ſit determinari poſſit. Primò itaq; Suppono, quod bellum quodcumq; ſi ex vna parte licitum eſt, & iuſtum, ex alia parte oportet eſſe illicitum, & iniuſtum; Quoniam fieri non poteſt, vt ex vtraq; parte ſit iuſtum, niſi forte iura bellantium ſint ambigua, & vnaquæq; pars probailiter æxiſtimet, ſe fouere iuſtitiam, vt aliquando contingit. Secundò ſuppono. Quòd ea pars, ex qua bellum eſt iniuſtum, ſiue ſit offenſiuum, ſiue deffenſiuum præter rationem peccati, potiri non poteſt beneficijs, & commodis iuris gentium, quo bella ſunt introducta, & ideo nullo modo acquirere poteſt dominium neq; perſonarum, neq; rerum partis aduerſæ, quæ bellum infert, vel ſu- *Concluſio.* ſtinet. Quibus poſitis Certa Concluſio eſt, & communis Sententia.

Omnia

A

Omnia, quæ capimus ab hoſtibus, ſiue ſeipſos defendentibus, ſiue nos offendentibus noſtra ſunt, & eorum dominium acquirimus, ſiue illa mobilia ſint, ſiue immobilia, immò ſi ipſaſmet hoſtium perſonas capiamus, eodem iure gentium fiunt noſtri dominij. Ratio eſt, Primò, vt puniantur iniuſtè bellantes, & in pęnam peccati iacturam, & occupationem bonorum, & perſonarum ſuarum ſuſtineant; Secundò, in vindictam irrogatæ iniuriæ; Tertiò in recompenſationem damni illati; Propter quæ omnia, bella iuſtè moueri poſſunt. Tandem, ad debilitandum hoſtium vires. Quod tamen attinet ad homines, qui ex hoſtibus capiuntur, humanitatis gratia conſtitutum eſt, vt potiùs fiant ſub dominio capientũ, & ſeruentur viui, quàm occidantur. D Thomas 2. 2. q. 66. art. 8. ad 1. Vbi habet. Si illi, qui deprædantur hoſtes, habeant bellum iuſtum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur, & hoc non habet rationem rapinæ; Vndè nec ad reſtitutionem tenentur, quàmuis poſſint in acceptione prędæ iuſtum bellum habentes peccare per cupiditatem ex praua intentione, ſi ſcilicet, non propter iuſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnarent. B

Obiectio. Obijcienti. Libertas, eſt de iure naturæ, quoniam iure naturæ liberi naſcimur omnes. Ergo tolli non poteſt iure gentium, cum iura naturalia ſint immutabilia.

1. Reſponſ. Respondetur primò. Nõnulli docent quòd ius naturale ſecũdùm totũ vtiq; tolli non poteſt tamen tolli ſecundùm partem poteſt. Alij, quòd tolli poteſt per aliud ius naturale ſecundarium, & quòd illud eſt ius gentium.

2. Reſponſ. Reſpondetur ſecundò. Iuxtà doctrinam S. Thomæ 1. 2 q. 54. art. 5. Quòd libertas eſt ex iure naturali, inſpecto primo ſtatu generis humani, quando ſolis huiuſmodi legibus vtebantur, at eo ſtatu in deterius mutato propter peccata hominum, nequaquàm ampliùs eſt ius naturale, quandoquidem in pænam humanæ culpæ, naturalis ratio dictat, ſeruitutem eſſe introducendam. C

3. Reſponſ. Reſpondetur tertiò. Quòd libertas non eſt iuris naturalis, eoquòd illam præcipiat, & prohibeat ſeruitutem, ſed dicitur eſſe iuris naturalis negatiuè, eo quòd ius naturale ſeruitutem non induxit, nec etiam libertatem prohibuit, ſed reliquit hęc omnia humanæ diſpoſitioni; Ergo iure humano tolli poteſt. Ex his patet Veritas allatę Concluſionis, quòd dominium in homines bello iuſto captos licitè quęri poteſt, & quęſitum, iuſtè retinetur.

Extenſio, & declaratio Cõcluſionis. Neq; ſolùm hoſtes nocentes, ſed etiam paruuli, mulieres, & quicumq; alij ſunt ex parte hoſtium redigi poſſunt in ſeruitutem, & quoniam iſti pertinent

A tinent ad hoſtes nocentes, & ideo hac ratione, eos punire permiſſum eſt, & ſic ſeruatur de conſuetudine. Molina. Diſp. 120. Et hoc ius, ſeu dominium, quod quæritur hominibus, Primò importat, quòd tenetur ſeruus oſequi, & ſeruire domino ſuo per omnia, iuxtà vires, aptitudinem, & conditionem ſuam; Secundò, quòd poteſt illum dominus vendere, donare, permutare, pignoridare, illius operam locare, & de illo diſponere prout de reliquis ſuis bonis; Tertiò, quòd filij, quos generat, in eadem naſcuntur ſeruitute; Præterea, quæcumq; acquirit ſeruus arte, ludo, donatione, teſtamento, inuentione, aut alia quacumq; via, omnia acquirit domino ſuo, Ita diffinierunt Iura. Probatur ratione, quoniam hæc ſunt Iura, & conditiones ſeruitutis, vt nihil habeat is, qui ſub aliena eſt poteſtate, quoniam licèt inuiti in ſeruitutem redacti ſint, redacti tamen voluntariè erant in bello, & ideo voluntariè ſe expoſuerunt periculo ſeruitutis. Sed circa prædicta obſeruandum eſt, quòd vera ſunt, modò fiant ſecundùm rectam

B rationem; Vndè ſeruus non tenetur, niſi ad obſequia, & opera licita conſueta, & rationabilia, ex D. Aug. 19. de Ciuit. Dei. Cap. 16. Et habetur Cap. 1. De Coniugio. *S. Auguſt.*

Dominiũ in ſeruos, & captos ad quæ non extendatur.

Hinc elicitur, quòd ſeruus non tenetur obedire domino ſuo, ſi ei præcipiat, vel exigat opera, quæ ſunt peccata, verbi gratia, vt occidat alterum, lædat, furetur, fornicetur, mentiatur, &c. Nec tenetur ad opera, quę ſuperant vires, & ingenium ipſius, neq; ad ea, quæ citrà periculum vitæ, aut notabile damnũ ſalutis corporalis fieri non poſſunt; Hæc enim irrationabilia ſunt, & præcipi non poſſunt. Multò magis dominium hoc non extenditur vſq; ad mortem, nec vſq; ad mutilationem membri, nec vſq; ad vulnera, & indiſcretam verberationem, ſeu caſtigationem; Et ſi quid prædictorum admiſerint domini, puniri poſſunt, quin etiam ob nimiam eorum ſæuitiam, ſeruos alijs vendere compelluntur. Hoc parum eſt. Item ſi eis neceſſaria alimenta negauerint. Et expræſſe decreuit Impe-

C tor, quòd ſi domini ancillis ſuis neceſſitatem peccandi præbuerint, Ancillę prædictæ per Epiſcopum libertate donentur in pænam attentatæ, & ablatæ pudicitię.

Quòad fugam verò talium ſeruorum, & captorum dicendum eſt, quòd ſerui illi, qui ſeipſos in ſeruos vendiderunt, vel eorum parentes, fugere non poſſunt abſq; peccato mortali; Econtrà capti in bello iniuſto, ſiue iniuſtitia ſit manifeſta, ſiue dubia, abſq; vllo peccato aufugere poſſunt. Ex quo euidenter ſequitur, & apparet, quòd Chriſtiani omnes à Turcis, vel alijs infidelibus capti, licitè, & tuta concientia aufugere poſſunt, & qui eos ad fugendum adiuuant, benè faciunt.

Capti iniuſto bello aufugere poſſunt.

De Captis autem in bello iuſto, Vtraq; pars defendi poſſe videtur.

Nega-

A

An iuſto bello capti fugere poſſint. Pars negat. Gloſſa. Nauarr. Molina. 17 q. 4. Si quis ſeruum

Negatiua, quòd ſcilicet, aufugere non poſſint, videtur eſſe Gloſſæ in Cap. Ius gentium .9. in ord. d. 1. §. ſeruitus. Ibi, Peccat taliter captus, ſi recedat à domino ſuo. Nauarrus. Cap 17. n. 103. Molina diſp. 37. Concl. 1. Probant Primò, ex Cap. ſi quis ſeruum .38. in ord. 17. q. 4. Vbi repræhenditur, immo dicitur anathema illis, qui conſulunt ſeruis, vt recedant à dominis ſuis. Secundò, quia ſeruitus eſt licita deſcendens à iure gentium, & probata vtroque Iure Canonico, & Ciuili, Ergo, qui eam incurrit, eamdem ſuſtinere debet, atq; ab ea ſe liberare non poteſt abſq; conſenſu domini. Tertiò tandem probatur, quoniam magna irrogatur pœna in fugientes ſeruos.

Pars Affirmatiua.

Affirmatiua videtur magis probabilis; Quoniam etiamſi ſeruitus iure gentium licita ſit, & in pœnam peccati rationabiliter introducta, negari tamen non poteſt, eam eſſe inuoluntariam, atque eodem iure gentium, & ciuili permiſſam cum hac circumſtantia, vt ſi fugiant ſerui, & Dominorum ſuorum poteſtatem euaſerint, redeunt in naturalem libertatem. Cõfirmatur, quoniam iuxtà ſententiam Theologorum, reus condemnatus ad pœnam mortis propter ſcelera, abſque peccato fugere poteſt è carceribus rumpendo vincula, & carceres (modò non inferat violentiam cuſtodibus, eos occidendo, vel aliter lædendo.) Ergo multò magis fugere licebit ſeruo ad conſequendam naturalem libertatem. Nauarr. cap. 17. num. 102. Videatur. *Nauarr.*

B

Reſpõſio ad rationes pro Negatiua.

Nec obſtant oppoſita. Non primum quoniam etiamſi (vt dictum eſt) liceat ſeruo fugere, non tamen licebit alteri, fugam illi conſulere, propter damnum, quod inferret Domino. Vel meliùs, In dicto Cap. citato tantùm cauetur, ne prætextu Religionis quiſque doceat, ſeruos contemnere Dominos ſuos, & ab eorum ſeruitio recedere, quoniam potiùs docendi ſunt, vt fideliter ſeruiant. Ad ſecundum patet ex dictis. Ad tertium, nihil obſtat, quia appoſitio pœnæ non ſemper arguit, factum eſſe illicitum ex natura ſua.

C

Circa hanc tamen materiam de dominio ex bello, diligenter obſeruanda ſunt ſequentia dicta.

I Vbi bellum geritur inter Chriſtianos, ſi capiantur qui partem iniuſtè bellantium ſequuntur, ex conſuetudine præſcripta non efficiuntur ſerui capientium, idq; propter charitatem Chriſtianæ Religionis, qua ſe inuicem amant, vt fratres omnes eam profeſſi, etiamſi aliquando ciuilibus diſcordijs diſſideant.

II. Si bellum geratur pro recuperandis bonis iniuſtè occupatis, vel pro recompenſatione damnorum iniuſtè illatorum, ſiue pro vlciſcendis iniurijs, licet Principi, vel alteri bellum mouenti accipere ob hoſtibus

tantùm

A tantùm, quantùm ſufficiat ad plenam ſatisfactionem debiti, vel damni, vel iniuriæ acceptæ, & non plùs niſi hoſtes tales fuerint, quòd ab eis omnia ipſorum bona eſſent publicanda, & ab eiſdem auferenda propter aliquod delictum.

III. Bona immobilia, vt Agri, Ciuitates, & alia, quę ab hoſtibus auferuntur, eius ſunt, qui bellum indixit, ſiue Princeps ſit, ſiue Reſpublica, ſiue quiſpiam alius.

IV. Octauo. Bona mobilia capta à militibus, ſiue ſtipendiarij ſint, ſiue non ante partam victoriam, & deuictos hoſtes, ſunt capientium. Hoc verum eſt, modò Princeps, vel Dux exercitus prędam non prohibuerit. At capta, parta victoria, & deuictis hoſtibus, ſecundùm militarem diſciplinam, in commune ponenda ſunt, & Duci Exercitus aſſignanda, vt ea diuidat inter milites, iuxtà propria ſingulorum merita, dignitates, & labores, vt deſcribit iuſtitia diſtributiua; Aliàs, ſi ſibi retineant, capientes furtum committunt, niſi belli alicuius conſuetudo, aut Princeps, vel Dux militum permittat, vt quiſquis retineat ſibi quod cæperit.

B

V. Nono. Res ab hoſtibus prætio redemptæ, vel cum re aliqua commutatę, poſſunt à domini prioribus repeti, modò offerant prætium, quo redemptæ ſunt, & in hoc caſu reſtituendæ ſunt; Oppoſitum non videtur abſurdum, præſertim, ſi eſſet conſuetudo. Res immobiles, vt Agri Ciuitates, &c. Virtute bellica recuperatę reſtituendæ ſunt prioribus Dominis Iure Poſtliminij (vt aiunt) modò ſatisfiat recuperantibus pro laboribus, & periculis ſuſceptis, & ſumptibus factis in illis recuperandis. Erat priuilegium Poſtliminij, quo res capta ab hoſtibus, atque adeò quaſi extrà limen, & terminum Regni perducta, cum reuertebatur, ſiue bello extracta de hoſtium poteſtate, ſiue quacumque alia ratione, perindè reputabatur, ac ſi numquàm fuiſſet extracta, atque adeo iura omnia, quæ ante habuerat, obtinebat, eaque ratione, ſi ad aliquem, ante pertinebat, ad eundem reuertebatur. Molina. Diſp. 118.

Molina.

C

VI. Si ea, quæ recuperantur ab hoſtibus, ab eiſdem recuperentur iuſto bello, quoniam iure gentium quęſierunt dominium illorum, ideo priores domini illud ammiſerunt, non ſunt illis reſtituenda, niſi ſint de numero illorum, quę habent priuilegium Poſtliminij. Reuerſis conceditur priuilegium Poſtliminij, nauibus oblongis, atque etiam onerarijs, eò quod ad belli vſum ſint accommodatę, non verò piſcatorijs, aut alijs agilibus, quæ voluptatis cauſa parantur. Item equis, & ęquabus, modò fræni eſſent patientes. Hominibus etiam, qui captiui, ab hoſtibus detinebantur ius Poſtliminij concedebatur, modò redirent animo non reuertendi. Molina. Diſp. 118,

VII. Si

VII. Si bona prædicta capta fuerint ab hoſtibus, iniuſtè bellantibus, eadem recuperata reſtituenda ſunt prioribus Dominis; Quoniam, nunquam deſierunt illi illorum Domini, nec vnquam hoſtes illorum dominiũ acquiſierunt. Molina vbi ſup. inferunt Doctores, Quoniam Turcæ, & Saraceni contra Chriſtianos ſemper in iuſtum bellum habent, ideò nunquã acquirunt, de iure gentium, dominium eorum, quæ rapiunt à Chriſtianis, & ideò, ſi recuperentur, reſtituenda ſunt prioribus Dominis. A

VIII. Poteſt de hac re introduci, & præſcribi contraria conſuetudo, & etiam lex poni à Principibus, oppoſitum decernens pro bono communi, vel etiam ob aliquam aliam honeſtam cauſam, & rationabilem.

IX. Res hoſtium, ac etiam ipſimet hoſtes Turcæ, & Saraceni capti, non virtute bellica, neque eo tempore, quo bellum actu geritur, neque publica authoritate bellantibus, ſed clam, dolo, vel etiam per priuatam violentiam, ſiuè in mari, ſiuè in terris, fiunt capientium & nullam de hac re ſibi faciant conſcientiam, nec Confeſſarij cogant illos ad reſtituendum, & ideò facta videtur omnibus Chriſtianis publica poteſtas, Turcas depræhendi, & lædendi, omnibus modis, quibus poſſunt, & id ſatis rationabiliter, quandoquidem ſunt acerrimi, & perpetui hoſtes Chriſtianorum: Occupant plura bona ipſorum; impediunt promulgationem Euangelij, & grauiſſimis odijs, nos perſequuntur. B

X. Quæ rapiuntur ab hoſtibus, contra quos bellum publicè non eſt indictum, nec cum illis pacem, aut fœdus vllum habemus, vt ſunt Iudei degentes apud Turcas, & alios Infedeles, vel Indos, & alios ſimiles, licet de iure ciuili adquirantur Raptoribus; oppoſitum tamen videtur verius, & correctum eſt Ius Ciuile, quoniam nulla ſubeſt cauſa, qua prædicti ſpoliari poſſint bonis ſuis, non ſolùm priuata authoritate, ſed nec etiam publica; Et ideò eis bellum inferre ad eos, vel eorum bona occupanda, non licèt, ſi rationabilis aliqua cauſa non ſubſit, nàm ex eo ſolo, quòd infideles ſunt, dominium rerum non ammiſerunt, nec eo, propter ſolam infidelitatem, priuandi ſunt. C

XI. Ea, quæ ſatellites, & miniſtri Iuſtitiæ capiunt ex bonis bannitorum, etiã ſi eius conditionis ſint bãniti, quòd liceat eos impunè occidere, & eorum bona ſint publicata, ſibi non acquirunt, etiam ſi capiant, dum eos, actu perſequuntur. Ratio, quoniam licet ſint priuati dominio rerum ſuarum, illud tamen dominium applicatum eſt Fiſco, & miniſtri prædicti ſtipendium habent pro laboribus ſuis, & propterea non licet eis bona prædicta ſibi vſurpare, niſi fortè Princeps, illud permittat, vel excuſentur aliqua conſuetudine, quæ fortè introducta videtur, circa arma, & huiuſmodi. Vnum tamen ſupereſt aduertendum: quod, tametſi licitum

Zz ſit ca-

A ſe, capere bona hoſtium iniuſtè bellantium, & ea, ſibi vſurpare, & iure gentium, ſibi acquirere, nihilominus non licet militare, ſolùm propter prædam: Vnde D. Auguſt. de verbis Dom. ſer. 29. & refertur 23. q. 1. c. militare. Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt.

August.

Plura, & ea diligentius examinata, qui cupit pro complimento huius materiæ de furto videre, conſulat quæ de Reſtitutione, Deo dante, ſuo loco dicemus, vbi exactè quicquid ad hanc rem pertinere poſſunt diligenterq; tractemus.

F. VIN-

F. VINCENTII A

DE MONTE REGALI

Inſtitutionis Theologicæ Moralis

Tractatus Nonus.

De Octauo Decalogi Præcepto.

Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium. B

De intelligentia huius Octaui Decalogi pracepti Quidue per ipſum prohibeatur. Cap. I.

EA etiam, quæ ad plenam, & totalem huius Præcepti explicationem ſpectant, petenda ſunt ex his, quæ dicenda erunt in materia de Mendacio, ac etiam, cum de Reſtitutione agemus, vbi præter illa, quæ de reſtitutione rei ablatæ dicemus, non modica quoque, nec leuia de Famæ reſtitutione conſiderabimus. Hìc verò, quæ ad huius Præcepti intelligentiam attinent, dumtaxat tangemus. C

Principaliter ergo hoc præcepto prohibetur omne falſum teſtimonium contra proximum in iudicio, & verum celare. Secundariò prohibentur omnia peccata linguæ, quibus proximus læditur Mentiendo, Inhonorando, Suſurrando, Deridendo, Maledicendo, Detrahendo. Quare dicendum eſt quòd iſto præcepto prohibetur omnis inordinata ſignificatio verborum, ſignorum, factorum, puta, mendacia, contumeliæ, ſuſurrationes, deriſiones, detractiones, & cætera huiuſmodi, libelli quoque infamatorij, adulationes, iudicia temeraria, de quibus omni-

Digitized by Google

A bus, Deo opitulante ſuis opportunè locis completos dabimus Tractatus.

Ad tria verò capita, peccata omnia, quæ contra hoc præceptum perpetrantur, reduci poſſunt. Sub primo capite continentur peccata omnia contra famam, vel honorem proximi per detractionem, contumeliam, vel deriſionem. Sub ſecundo, ea omnia peccata, quæ in temerario iudicio conſiſtunt. Sub tertio verò illa, quæ contra proximum in publico iudicio per impoſitionem falſi criminis committuntur, vtpura, peccata Teſtium, Iudicum, Reorum, Scribarum, Notariorum, Actuariorum, Aduocatorum, Procuratorum, &c.

Magiſter Sent. In Tertio diſt. 37. ſic explicat hoc Præceptum. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium, Vbi Crimen mendacij, & periurii prohibetur.

S. Bonauentura item in 3. diſt. 37. dub. 8. ſuper lit. In hunc modum
B explicat, In hoc (inquiens) Præcepto prohibetur falſitas oris, præcipuè prout ordinatur ad nocumentum proximi; Verbum, enim, ad alterum eſt, & qui falſum alteri loquitur, quodam modo, etſi non nocet aliquid auferendo, fallit tamen decipiendo.

Alij quoque ſic explicant. Appellatione falſi Teſtimonij prohibetur omnis iniuria verbis proximo illata, ſiuè in iudicio, ſiuè extra iudicium; Præcipuè tamen teſtimonium illud hic prohibetur, quod in iudicio dicitur falſum à teſte iurato, cuius teſtimonium, quò maioris eſt ponderis, & momenti ob diuinum nomen, quod interponitur, eò eſt periculoſius, & magis horrendum, ſi falſum ſit quod dicitur. Nomine autem *Proximi* intelligitur non ſolùm Amicus, & vicinus, ſed quicumque noſtra indiget opera.

C Poteſt autem lædi proximus in iudicio, & extra iudicium. In Iudicio ex Parte accuſatoris, & ex parte accuſati; Ex parte Accuſatoris dupliciter; & falſum crimen alteri imponendo, & verum crimen, ſed occultum dicendo. Ex parte Accuſati, etiam dupliciter, vel ſi accuſatus neget verum crimen, & publicum, vel dicendo, quòd accuſator mentitur, vel calumniatur.

Fama verò proximi (prout ad præſens ſufficit, & requiritur) poteſt auferri dupliciter, directè, & indirectè, formaliter, & virtualiter. Directè crimen falſum alteri imponendo, vel verum, ſed occultum. Indirectè negando crimen ſibi obiectum, lædit, enim, conſequenter famam alterius, quia ſignificat, eum mentiri, vel calumniari. Formaliter læditur fama proximi ex intentione infamandi ipſum, crimen illius prodendo. Virtualiter, crimen proximi alijs referendo, non ex intentione læ-

dendi

dendi famam illius, ſed tamen, quia imprudenter, inconſideratè, incautè, & negligenter crimen proximi narratur. Directè tamen, ſeù formaliter quatuor modis proximi fama lædi poteſt. Primò Imponendo falſum. Secundò, Augendo peccatum verbis ſuis. Tertiò reuelando crimen occultum, quamuis verum. Quartò, honeſtum proximi factum in malum finem, vel intentionem eius retorquendo. Indirectè verò, ſeù virtualiter, multis modis. Solet afferri iſte verſus. A

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.
Qui negat, aut minuit, tacet, laudatq; remiſsè.

De his, quibus læditur proximus extrà iudicium, quibuſue transgresſio huius octaui Præcepti committitur. Cap. II.

B

CVM (vti dictum eſt) prohibeantur hoc præcepto, ſaltem ſecundariò omnia linguæ peccata, quibus proximus læditur non ſolùm in iudicio, ſed & extra iudicium, præterea, quæ pro explicatione huius præcepti dicta ſunt, nonnulla addere operæpretium duximus de his quoque peccatis, quibus extra iudicium huius Præcepti tranſgreſſio committitur; Etſi enim, de ſingulis iſtis peccatis ſuis locis acturi ſimus, hic tamen illa, vel leuiter, attingere non ab re iudicauimus, quæ ad completam Octaui Præcepti intelligentiam conducere poſſunt. Præcipuè ergo extra iudicium læditur proximus Detractione, Suſurratione, Contumelia, Irriſione, Maledictione. Cum, enim, ſit fama illeſæ dignitatis ſtatus, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus, ex laudabili, & honeſta vita ortus; ſeù, exiſtimàtio bona communis voce manifeſtata de laudabili, & honeſta vita alicuius. ſequitur quòd modis omnibus ſupradictis, alijſq; pluribus, de quibus opportunè magis agendum eſt, ipſa proximi bona fama lædatur. *Fama quid ſit.* C

Detractio pro nunc duplex eſt, formalis, & materialis; formalis, quæ fit cum intentione lædendi famam, & ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quamuis ex triplici capite fieri poſſit veniale, ex paruitate, nempe, materiæ, ex imperfectione actus, & indeliberatione, & ex intentione detrahentis, cum fit ioco, quòd tamen, ſi ex detractione facta ioco ſequatur notabile damnum detracto, vel notabili exponatur, erit peccatum mortale. Læuitas autem, vel grauitas detractionis ex multis capitibus attendi debet per prudentem Confeſſarium. Leuitas quidem ex tribus *Quid, et quotuplex Detractio.*

præ-

melia iniuria quædam, qua quis alicui honorem aufert deducendo in- A
notitiam eius, vel aliorum aliquid, ex quo illò dehonoratur, quòd tri-
bus modis potiſſimùm fieri poteſt, aut profærendo verba huiuſmodi in
præſentia illius, vt plerumq; fit, aut literis, vel libello, ita vt ad notitiam
eius perueniat, aut in abſentia, cum hac tamen intentione, vt tal a ver-
ba iniurioſa in eius deueniant notitiam. Contumelia formalis eſt ex ſuo
genere peccatum mortale, iuxta illud Matt. 5. *Qui dixerit fratri ſuo fa-* *Matteus.*
tue, reuſerit gehenna ignis, ideſt, *pœna æterna*, quæ non niſi pro peccato
mortale debetur, poteſt nihilòminus in aliquibus caſibus eſſe tantum
veniale, vno modo ratione intentionis, alio modo ratione imperfectio-
nis actus, quando, ſcilicet, ex aliqua animi leuitate, aut ex leui ira ali-
quis in verba contumelioſa, prorumpit abſque intentione dehonoran-
di. Contumelia materialis, quæ ex genere ſuo non eſt peccatum
mortale, poteſt nihilominus fieri aliquando mortale, aliquando ve- B
niale, aliquando etiam nullum omninò, immo poteſt eſſe actus quan-
doque licitus, & ſtudioſus, tunc, ſcilicet, quando Superior, Prælatus,
Pater, Mater, Maior natu, debito cum moderamine acrius interdum
ſolo animo corripiendi inferiorem obiurgat, iuſta illud Apoſtoli ad Gal.
4. *O' inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati*. Et illud *Ad Gal. 3.*
Saluatoris Lucæ 24. *O' ſtulti, & tardi corde ad credendum*. Hæc omnia *Lucas.*
quæ de Contumelia dicuntur de Conuictio pariter, & improperio acci-
pienda ſunt, cum materialiter tantummodo differant, Contumelia, ſi- *Differunt*
quidem, propriè eſt, cum ſignificamus, & manifeſtamus proximi defe- *Cōtumelia,*
ctum in aliquo malo culpæ, vt cum illum dicimus eſſe hereticum, & ſi- *Conuitium,*
milia Conuitium, cum ſignificamus defectum in malo pœnæ; Im- *& Improperium.*
properium demum, in eo præcipuè conſiſtit, quód quis iniurioſè alteri
in memoriam reducit auxilium, aut beneficium, quod ei in neceſſitate
conſtituto præſtitit, iuxtà illud Eccleſiaſt. 20. *Exigua dabit, & multa* *Ecclesiaſt.*
improperabit. Formaliter autem tria hæc non differunt inter ſe, quia ad
idem referuntur, ad ſignificandum, videlicet defectum alicuius in detri- C
mentum honoris illius.

Irriſio, ſeu deriſio proprie eſt, cum quis malum, vel defectum ali-
cuius in ludum, vel riſum proponit, vt erubeſcat; Committitur autem *Irriſio, &*
irriſionis peccatum duobus præcipuis modis, Vno, Verbis irriſorijs, iro- *ſubſannatio.*
nicis, & cachinnis; Altero, ſignis, quæ verbis irriſorijs æquipolent vt
naſo rugato, extenſis labijs, &c. Primus modus eſt propriè deriſio,
vel irriſio, ſecundus, ſubſannatio. Conueniunt in fine; differunt in mo-
do.

Maledictio eſt imprecatio, ſeu exoptatio mali facta alicui ſub ratione
mali

A mali, hoc eſt, malum ipſum intendendo, & duobus modis committitur; Imperatiuè, ſcilicet, & Optatiuè, eſt quæ duplex, Formalis, qua, ſcilicet optatur malum, vt malum, cum animo, nimirum, & intentione, vt illi eueniat, & eſt ex genere ſuo peccatum mortale eiuſdem ſpeciei cũ malo, quod optatur, & Materialis, qua quis intentione, & deſiderio malum non intendit, quod ore profert, & ex ſuo genere eſt tantum peccatum veniale. Non eſt prætereundum, quòd diſerte notat S. Thom. 2. 2. q. 76. a. p. quòd maledictio, ſcilicet, qua quis imprecatur malum ſub ratione boni, vel iuſti, aut boni vtilis, imprecando ægritudinem, aut impedimentum aliquod peccatori, quo vel ipſe melior fiat, vel ſaltem alijs nocere deſiſtat, non eſt peccatum, ſed bonum, & licitum in ijs caſibus in quibus licitum eſt, malum illud velle ad tale bonum; Huius generis ſunt imprecationes Iudicum in Reos, & Eccleſiæ imprecantis
B mala illi, quam anathematizat, quo etiam modo Prophetæ in ſacra ſcriptura mala peccatoribus imprecantur, voluntatem ſuam, iuſtitiæ diuinæ conformantes. Et ſic patet quot modis violetur hoc præceptum, & quæ ſit illius intelligentia.

F. VIN.

Digitized by Google

F. VINCENTII A

DE MONTE REGALI

Inſtitutionis Theologicæ Moralis

APPENDIX

Pro Nono, & X. Decalogi Præcepto.

B

Non Concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinam, nec omnia quæ illius ſunt. *Exod. cap.* 20.

De intelligentia horum Præceptorum, quidue per ea prohibeatur.

Cap Vnicum.

C

VISO de his præceptis, quibus prohibentur expreſſe peccata oris, & operis, videndum ſupereſt de præceptis, quibus prohibentur peccata cordis, concupiſcentia, ſcilicet, & deſiderium. Vbi animaduertenda eſt differencia inter legem diuinam, & humanam, Humana ſolùm iudicat de peccatis oris, & operis, nõ autem de peccatis cordis, quia Eccleſia non iudicat de occultis, at lex diuina iudicat etiã de ocultis, & de peccatis cordis, & oſtendit ea eſſe puniẽda iuxtà illud p Reg. 16. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Vulgare eſt, quod dicitur, Veterem legem cohibuiſſe manũ, non animum, vt lex Noua facit; ſed hoc non ità intelligendũ eſt, quòd lex Vetus non prohiberet peccatum cordis, nàm cõtrarium ex

Lex diuina, & humana differunt.

P. Reg.

Noua, & Veteris legis differentia.

A

S. Aug. De Conſtit. Nàm concupiſcentiam, S. Mat.

preſſe apparet in his Præceptis Nono, & Decimo, ſed ideò quia nõ puniebat pœna temporali, ſeu corporali peccata cordis, & malas cõcupiſcentias, ſicut puniebat peccata oris, & operis. Bona tamen eſt lex (vt dicit D. Auguſt., & refertur De Conſtitut. Cap. Nam concupiſcentiam) quæ dum cõcupiſcentiam prohibet, omne malum prohibet. Concupiſcentia enim mali, eſt radix omnis mali, & principium, niſi enim, quis concupiſceret, malum non faceret, Vide Mattei 15. *De corde exeunt cogitationes malæ adulteria, furta, blaſphemiæ; falſa teſtimonia, & hæc coinquinant hominem.*

Hæc duo Præcepta compræhendunt alia omnia, & in his færè conſtituitur ratio, qua cætera præcepta ſeruentur, quoniam, qui non concupiſcit ſuis contentus, aliena non appetit, aliorum commodis gaudet, Deo gloriam tribuit, gratias Deo agit, ſabbatum colit, ideſt, quiete perpetua fruitur, maiores veneratur, nem nem neq; re, neq; verbis, neq; alio modo lædit, nàm ſemen omnium malorum eſt praua cõcupiſcentia, qua, qui incenſi ſunt, præcipites færuntur in omne flagitiorum, & ſcelerum genus.

B

Noni, & decimi Præcepti diſcrimẽ

Differunt autem hæc duo Præcepta, quamuis ambo ad concupiſcentiam ſpectent, quia Nono prohibetur inordinata lucri cupiditas, Decimo verò impuræ voluptatis cupiditas vitàtur; Nàm ex ijs altera ſolùm ſpectat quid vtile ſit, quid fructuoſum, Alteri propoſitæ ſunt libidines, & voluptates. Si quis igitur fundum, & domum concupiſcit, is lucrum potius, & quid vtile eſt conſectatur, quàm voluptatem, ſi verò alienam vxorem appetit, non vtilitatis, ſed voluptatis cupiditate ardet.

Horum Præceptorum, quãta neceſſitas.

Duplex etiam horum Præceptorum ſolet aſſignari neceſſitas, altera, vt Sexti, & Septimi Præcepti ſententia explicaretur, nàm etſi quodam naturæ lumine intelligatur prohiberi cupiditas aliena potiendi vxore, vetito adulterio, quia, ſi liceret concupiſcere, liceret etiam potiri, plerique tamen ex Iudæis peccato obcæcati in eam opinionem adduci non poterant, vt crederent, id à Deo prohibitum eſſe; Immò vero lata, & cognita hac lege Dei, multi, qui ſe legis eſſe Interpretes profitebantur in eo errore verſati ſunt. Altera verò horum Præceptorum neceſſitas eſt, quòd aliqua diſtinctè, & expreſsè, ſeu explicitè vetantur, quæ ſexto, & ſeptimo non ſic prohibebantur, Nàm, exempli gratia, Septimum Præceptum prohibuit, ne quis iniuſtè concupiſcat aliena, aut eripere conetur, hoc autem vetat, ne vllo modo quis concupiſcat, etſi iure, & lege id aſſequi poſſet, ex cuius adeptione proximo damnum importari videat. Hinc docendi ſunt fideles, quòd nos hac lege, non ſolùm ad id inſtituimur, vt cupiditates noſtras cohibeamus, ſed Dei ergà nos pietatem, quæ immenſa eſt, cognoſcamus, nàm, cum ſuperioribus Præceptis nos quibuſdam, quaſi præſidijs muniuiſſet, ne quis nos ipſos, aut no-

C

ſtra

Digitized by Google

ſtra violaret, his adiunctis præceptis, illud maximè prouidere voluit, ne appetitionibus noſtris nos ipſi læderemus, quod facilè eueniret, ſi omnia cupere, atq; optare liberum nobis, atq; integrum eſſet; Hac igitur non concupiſcendi lege præſcripta, illud à Deo prouiſum, vt cupiditatum aculei, quibus ad pernicioſa quæque incitari ſolemus, huius legis vi, quodam modo excuſſi nos minus vrgeant, maiuſq; propterea temporis ſpatium nos moleſtia illa cupiditatum ſollicitudine liberati, ad ea præſtanda pietatis, & Religionis officia habeamus, quæ Deo multa, maximaq; debemus. A

Quàm magnum malū mala Cupiditas.

Meritò ergo damnata eſt cupiditas; vel quia malum appetit, veluti adulteria, ebrietates, homicidia, & huiuſmodi ſcelera, vel quia, & ſi res natura ſua mala non ſunt, cauſa tamen aliunde extat, quare illas concupiſcere non liceat, cuiuſmodi ſunt ea, quæ, ne poſſideamus, Deus, aut Eccleſia prohibet, quia appetere non licet, ea, quæ poſſideri licitè non poſſunt. Tunc peccatum eſt, cum poſt cupiditatum malarum impulſum, animus prauis delectatur, & his vel aſſentitur, vel non repugnat. B

Horum Præceptorum explicatio.

Quid vero intelligatur per ly *Domum, Bouem, Aſinum, & Ancillam* animaduertendum eſt, Nam per ly *domum* non ſolum ſignificatur locus, in quo habitamus, ſed vniuerſa hæreditas. Per ly *Bouem, & Aſinum* oſtenditur, quod non ſolum non liceat nobis concupiſcere ea, quæ magna ſunt, vt domus, nobilitas, & gloria aliena, ſed nec etiam parua, qualia illa ſint, ſiue animata, ſiue inanimata. Per ly autem *ſeruum, & Ancillam* intelligitur omne ſeruorum genus, quos, vt cætera alterius bona concupiſcere non debemus, nec vllo modo corrumpere, aut ſollicitare debemus, vt eos deſerant, quibus ſeſe addixerint. Cumq; in X. Præcepto dicitur *Non deſiderabis vxorem proximi tui* comprehenditur omne deſiderium carnale illicitum, ſicut ſub nomine mechiæ, vt dictum eſt ſupra, includitur omne peccatum operis carnis illiciti, ſed quia hoc apparet magis eſſe iniuſtum de vxore proximi, ideo hoc expræſſe apponitur. C

Horum Præceptorum finis.

Maximè itaq; in his præceptis de mala illicitarum rerum concupiſcentia vitanda Dei bonitas, ac benignitas elucet, hac enim lege fit, vt ardenti ſtudio, & ſumma cupiditate optemus, vt id potiſſimùm efficiatur, quod Deus vuult, Voluntas autem Dei in eo maximè eſt, vt ſingulari quodam modo ſancti efficiamur, & animum rectum, ſincerum, & ab omni labe purum, & integrum conſeruemus, & exerceamus nos in his mentis, & ſpiritus officijs, quæ corporis repugnant ſenſibus, vt horum appetitionibus edomitis, ratione, ac ſpiritu duce rectum vitæ curſum teneamus, ac tandem ad perennem fœlicitatem euolemus, Vbi ipſo Deo

opti-

Digitized by Google

A optimo maximo, à quo, & propter quem creati ſumus perpetuò frui ipſo met præſtante mereamur. Fiat fiat. Amen.

Quæ omnia à me ſcripta, & Deo benè iuuante ſcribēda Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ pedibus vſque ad iota, et apicem, vnà cum memetipſo promptè, fideliterq; ſubijcio.

FINIS.

Digitized by Google

LEGATORIA
R. SAL
Via Val
Tel

Digitized by Google